14

I
F

3896

GENERALES VINDICIÆ,

ADVERSVS FAMOSOS GASPARIS SCIOPPII LIBELLOS, SOCIETATI IESV,

AB

ALBERTO DE ALBERTIS, EX EADEM SOCIETATE, TRIDENTINO, ET IN MEDIOLANENSE COLLEGIO, SACRARVM LITERARVM PROFESSORE DATÆ.



Permiſſu Superiorum.

MONACHII,

Formis LVCAE STRAVBII.

ANNO M. DC. XLIX.

Bibliotheca Angelica

FERDINANDO III.
AVGVSTISSIMO IMPERATORI,
GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c.
REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET VVIRTENBERGÆ, &c.
COMITI TIROLIS.

NON auderem profectò ignoti auctor vultus ac nominis, vt meæ tenuitatis probè conſcius, ita ſummâ MAIESTATIS TVÆ reuerentiâ abſterritus, Cæſareo Tuo Nomini, FERDINANDE AVGVSTISSIME, haſce *Vindicias* meas inſcribere, Tibique venerabundas ſiſtere, niſi Tu eas iure Tuo iam pridem Tibi vendicaſſes. Nam quum ego in Regium Tuum paratum cunctarum virtutum, quæ Imperatoriam Tuam Chlamydem multo ſpecioſiùs, quàm

quæcunque auri vis, aut gemmarum fulgor, exornant, oculos intendo, eximiam Tuam in Religioſarum Familiarum Ordines Beneuolentiam, ac ſingulare Patrocinium, quo illos non minùs peramanter complecteris, quàm fortiter etiam tueris, tam luculenter inde emicare, extemplo cerno, vt quicquid à Religioſo viro ad eiuſmodi Ordines protegendos elucubratur, id Tibi præcipuè deberi, Tuoque in ære iam eſſe mihi non immeritò perſuadeam.

Vt enim in præſens ſeponam illa, ac diſſimulem, quæ pro Catholicâ fide ſartâ tectâ conſeruandâ opere quàm maximo geſſiſti, quemadmodũ Chriſtianus Orbis admirabundus conſpicit, & ego quoque in mei *Lydij Lapidis* veſtibulo paucis expendo, certè turbulentiſſimis hiſce temporibus, niſi Tua MAIESTAS rem ſacram à Catholicæ Religionis hoſtibus tam impotenter arietatam apprime confirmâſſet, ac ſuſtentâſſet, hodieque etiam-

num totis viribus propugnaret, nulli amplius in Imperij regionibus Religioſi Ordines, nulla Templa, Clauſtra nulla penitùs apparerent, omnemque religionem, abſque Te foret, iam dudum in illis prorſus funeratam cuncti ſpectare, Leſſumque omnes germanè Catholici funeris ergo habere cogeremur. Vnde ſi olim Romani Imperatores à deuictis prouincijs Africani, Numidici, Aſiatici, Macedonici ſunt appellati; Tu ſanè à repulsâ hæreſi, ſaluisque Tuâ potiſſimùm operâ Religioſis Cœtibus ac religione iure optimo RELIGIOSISSIMVS CÆSAR, multo glorioſiùs nuncuparis, isque titulus præcipuè Tuo ex Diademate multo nitidiùs, quàm cuncti adamantes, ſcintillat, ac ſplendet.

Quæ palmaris Tua Excellentia campum mihi quidem latiſſimum ad Tuas laudes plenâ manu in aſtra ferendas, cæterisque Tuis ex Factis immortalibus oppidò cumulandas aperit; at quia Panegyrico concinnando

hic locus non eſt, cogorque dictis compendium facere; id vnum verbo expediam, ad immortalem Tui Nominis prædicationem quàm maximè pertinere, quòd Tua MAIESTAS, quæ Hiſtoricorum ingenia, & calamos præclarè agendo delaſſatura eſt, contracto orationis genere laudari, niſi ieiunè admodum, nequaquam poteſt; neque Imperatoria Tua Facinora, quæ annalēs, faſtoſque implebunt, paucorum foliorum anguſtijs, niſi inconſultè, circumſcribi.

Si quâ tamen ratione totus Tuorum Præconiorum cenſus abſciſſo ſermone mihi efferendus, ac minimè marginandus ſit, nihil ego de te ſublimius dici, aut ſcribi poſſe iudico, quàm quòd FERDINANDVM II. Parentem Tuum, rerum geſtarum admirabilitate ſupra ſtata Cæſarum faſtigia in portentoſam altitudinem elatum, cunctis virtutum lineamentis ita expingis, atque ad viuum reddis, vt eum mortalitati ſubtractum morta-

les

les neſciant, ſuperſtitemque adhuc putent, niſi quòd Patriorum Honeſtamentorum opimum Patrimonium à Maioribus Tuis hæreditario iure ita, FERDINANDE accepiſti, vt Tu ipſe illud exaggeratâ etiam acceſſione prolixè locupletâris. In Religioſis porrò Familijs defendendis, fouendis, ac decorandis adeò cum eodem Tuo Parente Inuictiſſimo certas, vt par vtriuſque gloria ſit, incertum enim, cui palma debeatur. Quâ munificentiſſimâ inexplicabilium beneficiorum liberalitate cunctos Religioſos Ordines, non ſolùm, qui in Germaniâ degunt, ſed cæteros quoque omnes, qui cum ijſdem inſtitutæ vitæ ſeuerioris profeſſione coniuncti ſunt, ita obſtrinxiſti, vt non de nihilo ſuprà pronuntiârim, quicquid à viro Religioſo ad Religioſæ Sodalitatis propugnationem elaboretur, id iam Tibi in anteceſſum eſſe obæratum.

Sed quum omnes Religioſæ propagines TVÆ MAIESTATI magnis nomini-

minibus deuinctæ ſint, in primis certè minima noſtra Societas IESV Tibi nexu ſolemni obligata eſt, vtpote quam Tibi eſſe planè in amoribus, nihiloque minùs, quàm Patri Tuo hærere in medullis, continua officiorum ac promeritorum largitate, alijsque compluribus documentis iam dudum vulgo compertis validiſſimè retinecis. Quamobrem multo magis has etiam eiuſdem Societatis, quam tantoperè cordi habes, *Vindicias* ſuâpte naturâ Tibi iam eſſe obnoxias, haud temerè cenſeo; adeoque ijſdem quoque Benignitatis tuæ oculis, in quibus illam fers, & iſtas pariter à te aſpiciendas, excipiendasque, non ex vano, vt reor, mihi polliceor; præſertim quia certò inſuper intelligo, ſeuerè à te quoque vetitum, ne famoſus libellus ad noſtri Ordinis probrum compoſitus, ex Hungarico ſermone in Latinum verſus, luci crederetur; vt propterea hoc etiam nomine hæ ipſæ *Vindiciæ* ad TUAM MAIESTATEM, no-

ſtri

ſtri vindicem potentiſſimum non poſſint non aduolare.

Quid quod noſtræ Societatis obtrectatores, atque inſectatores non pauci, manibus pedibusque obnixè iam omnia fecerunt, quo ea, ſi non toto ex Orbe Chriſtiano funditus deleretur, quod medullitus ipſi quidem diſcupiunt, ex vniuersâ ſaltem Germaniâ in exilium relegaretur? ſed nemo profectò ex omnibus pugnaciùs id, quàm Gaſpar Scioppius, tam multis famoſis libellis in nos editis, velut totidem claſſicis ad noſtrum nomen penitùs delendum cunctos excitantibus, molitus eſt; qui etiam minimè erubuit virulentum codicem noſtri Ordinis ac Sociorum noſtrorum calumnijs & contumelijs refertum, AVGVSTISSIMO PARENTI TVO noſtri Patrono amantiſſimo, ac notiſſimo palàm dicare, atque in ipſius nomine peruulgare. At quo magis tot noſtri hoſtes in hanc Societatem ſæuiunt, eo tu conſtantiùs PATRIS TVI potentiſ-

ſimi veſtigia ſecutus, eandem incolumem ſoſpitemque præſtare, nec non plurimis bonis augere non deſinis.

Quod igitur aliud propugnaculum, aut præſidium quærant hæ meæ *Vindiciæ* quam TVAM MAIESTATEM, quam noſtri vindicem tam beneuolum fortemque ſe præbere iam dudum experimur? Erit fortaſſe etiam aliquod operæ pretium, ſi has eaſdem *Vindicias* cum Scioppianis Satyris conferre Tibi adlubeſcat, hinc, quid hominum Scioppius, & cæteri eius gregales ſint; quid exaduerſum Societas noſtra, ac Socij, quos illi allatrant, & vtri fucum faciant, ac fallant, ipſine, an nos, quanquam probè id iam tenes, propiùs nunc, ac planiùs recognoſcere.

Quare quum tam multis nominibus huiuſmodi *Vindiciæ*, Tuo Nomini addictæ ſint, Tuis ego pedibus aduolutus, MAIESTATEM Tuam etiam atque etiam obteſtor, vt qua humanitate & clementiâ Societatem noſtram.

ſtram in ſinu geſtas, eâdem & iſtas velut Tuas, Tuæque Societatis *Vindicias* ſuſcipere digneris; ac ſicut ab illâ inimicorum impetus longè propulſas; ita & has tuâ eſſe in fide, & clientelâ patiaris, Tuoque patrocinio atque auctoritate ab omni hoſtili fraude, ac vexatione pro Tuâ incomparabili bonitate perpetuò tuearis. Mediolani, anno CIϽIϽCXLVIII. Kalen. Iunij.

AVGVSTISSIMÆ MAIESTATI TVÆ.

Deuotiſſimus.

Albertus de Albertis è Societate IESV. Sacerdos.

LAVRENTIVS KEPPLER Societatis IESV in Prouincia Superioris Germaniæ Præpoſitus Prouincialis.

CVM *librum, qui inſcribitur* Vindiciæ Generales aduerſus famoſos Scioppij libellos, *à P. Alberto Alberti Societatis noſtræ compoſitum aliqui eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint poteſtate ad id factâ ab Adm. R. P. Vincentio Carrafa Præpoſito Generali facultatem concedimus, vt typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Monachij die 15. Decembris Anno 1648.*

Laurentius Keppler.

CAP. I. *Ignominiâ pro Chriſto Domino notari, aut calamitatibus affici, praclaram eſſe gloria immortalis notam.*

CAP. II. *Omnes Religioſos Ordines varijs obtrectationibus pro Chriſto perhonorificè, ac feliciter eſſe obnoxios.*

CAP. III. *Societas* IESV *pertinaciſſima Gaſparis Scioppij erga ſe odia non modo ſorbet, ſed longè etiam patientiâ concoquit.*

CAP. IV. *Demonſtratur Gaſparem Scioppium famoſorum libellorum eſſe Auctorem.*

CAP. V. *Quorum nominatim libellorum infamium Scioppius ſit Auctor, dilucidè oſtenditur.*

CAP. VI. *Renatus Verdaus ineptiſſimus Scioppij Patronus.*

CAP. VII. *Auctarium probationum ſuperiore gemino capite explicatarum.*

CAP. VIII. *Tam immanis odij Scioppiani in Ieſuitas cauſſa enumerantur.*

CAP. IX. *Probroſos libellos, quibus Religioſa familia viriq; dedecorantur, ſcripto refellere, ipſis quoque Religioſis fas iuſq;, imò & opera pretium eſſe.*

§. I. *Famoſorum libellorum diſſimulatio, & patientia ſpecioſis fulta praſidijs.*

§. II. *Famoſorum Codicum refutatio à Religioſis quoque viris adornata, rationum & teſtimoniorum firmiſſimo agmine munita.*

§. III. *Veritatis atque innocentia editis libris propugnanda conſilium, atque officium.*

§. IV. *Fama atque exiſtimationis euulgatis libris defendendi neceſſitudine viri quoque Religioſi vrgentur.*

§. V. *Immania animarum damna à famoſis libellis data ad eos iuſtu vindicijs euerberandos, viros Religioſos maximè adigunt.*

§. VI. *Sanctorum Patrum de Apologeticis libris ad-*

uerſus

aduerſus calumnias, ſacrorum etiam virorum operâ ſcribendis vulganduq; Senatus conſultum.

CAP. X. *Impudentes obtrectatorum, & calumniatorum linguas calamoſq; acri orationis ſtylo eſſe retundendos.*

§. I. *Auſtera innocentia, ac veritatis aduocatio validis rationum pedamentis ſtatuminatur.*

§. II. *Hæretici præcipuè piperato ſermonis pharmaco agitandi.*

§. III. *Compluribus ex ſacro diplomate exemplis vincitur, procaces conuiciorum & calumniarum ſatores abſciſſo refellendi genere eſſe frangendos.*

§. IV. *Vindiciæ innocentiæ, ac veritatis triſtioribus veterum Patrum chirographis aduerſus Ethnicos atque Hæreticos obſignatæ.*

§. V. *Alia vehementis, incitatiq; ſpiritûs Apologetica à Sanctis Patribus aduerſus detractores, & calumniatores è Cœtu Catholicorum literis conſignata.*

§. VI. *Alia Sanctorum Patrum monumenta rubida atq; aſpera in Catholicos Deoq; ſacros viros edita.*

§. VII. *Idem vſus Ruffini ac Hieronymi documentis illuſtratus.*

§. VIII. *Apologeticorum acerbâ Oratione acescentium contubernium à conuicijs & contumelijs omnino diuiduum.*

CAP. XI. *Ad Gaſparis Scioppij audaciam coërcendam aliqui de Societate Ieſu tandem adacti.*

CAP. XII. *Impudens Gaſparis Scioppij os calamumq; acidis, ſeueriuſq; verbis eſſe refrænandum.*

CAP. XIII. *Summarium Lydij Lapidis Scioppiani ingenij Spiritus ac morum.*

CAP. XIV. *Generalis, & ſolida calumniarum omnium à Gaſpare Scioppio Societati Ieſu ſtructarum refutatio.*

§. I. *Primum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, calumniæ Scioppianæ compluribus traiecta Apologeticis, nulluq; conſolidata documentis.*

§. II.

§. II. *Secundum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Scioppianæ maledicentiæ patrocinium, compluribus impietatis, hæreſis, aliorumq́; ſcelerum probris infame.*

§. III. *Tertium innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Scioppij calumniatoris lingua, acta, & vita flagitioſiſſima.*

§. IV. *Quartum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Gaſparis Scioppij in illam hoſtilis animus, odiumq́; inueteratum.*

§. V. *Quintum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, mendaciorum & calumniarum à Scioppio eidem affictarum euidentia.*

§. VI. *Sextum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, mendaciorum, & calumniarum à Scioppio eidem impoſitarum fortiſſima propulſatio.*

§. VII. *Septimum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Gaſparis Scioppij egregia in laudem eiuſdem Societatis, & Ieſuitarum teſtimonia.*

§. VIII. *Octauum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Ieſuitarum teſtimonium à Scioppio probatum.*

§. IX. *Nonum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Apoſtolicæ Romanæ Sedis, tum ſacroſanctæ fidei Quæſitoris Hiſpanici iudicia.*

§. X. *Decimum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, paucitas delinquentium.*

§. XI. *Singulares innocentiæ Societatis Ieſu Vindiciæ.*

§. XII. *Corenis totius Operis ad Lectorem.*

AVCTORIS ANIMADVERSIO
Lectori omnino animaduertenda.

CVM Gaſpar Scioppius ſuos in Societatem IESV famoſos libellos in Germaniâ edi curauerit, ego quoque meas iſtas *Vindicias* in eâdem typis imprimendas, vt vbi venena potiſſimùm graſſantur, ibi etiam antidota maximè præſto ſint, meritò exiſtimaui. At quia per locorum intercapedinem prelo ego ipſe præeſſe non potui, permultos errores in librum irrepſiſſe animaduerto, non ſine animi mei ingenti moleſtiâ. Qui tamen, ne cuiquam fraudi ſint, Lectorem ego etiam atque etiam obteſtor, vt ante quàm has *Vindicias* inſpiciat, quoniam plura in ijs, præter meam mentem, ac voluntatem, præterita, vel addita, vel tranſpoſita ſunt, hæc, quæ præcauenda ſunt, diligenter obſeruet.

I. Si qua verborum conſtructio vitioſa, aut vox importuna, aut ſenſus impeditus, vel abſonus occurrerit, tabellam ad calcem Operis adiectam illico conſulat, eâque remoram omnem tollat.

II. In eandem tabellam non omnia Typographi menda retuli, ſed ea tantùm, quæ minùs attento Lectori, vel etiam perſpicaci faciliùs poſſunt imponere: cætera verò, quæ ab imperitioribus quoque nullo negotio diſcerni queunt, vt ſunt accentus penitùs

omiſſi,

omiſſi, aut perperam additi, inconſtans orthographia, puncta interogationis vel prætermiſſa, vel malè adiecta, vnum characteris genus pro alio, atque id genus non pauca, omnino neglexi, ac Lectoris eruditioni ac prudentiæ emendanda reliqui.

III. In Auctorum locis citandis vti ſoleo ad numerum indicandum veteribus Romanorum characteribus, quos Typographus, quia fortè totidem in promptu non habuit, in barbaras notas Arithmetices, quæ iam dudum ſunt vſitatæ, commutauit; in quâ commutatione quàm ſit procliue vnam notam pro alterâ ſubſtituere, erroremque improuidè admittere, nemo non videt. Ego nonnullos deprehendi, cæteri, ſi qui meos oculos fefellerunt, mihi adſcribi non debent.

IV. Quoties Auctorum verba minimè continuata refero, ac nonnulla, quæ interiacent, quia ad rem meam non faciunt, omitto; vt id Lectori candidè aperiam, in more habeo lineolam antecedentibus, & conſequentibus hoc pacto interponere. —. At Typographus accurationem hanc meam penitùs neglexit; quod mihi ſanè inacuit valde. Quanquam eo leuiùs fero, quò ex hac verborum mediorum diſſimulantiâ nullus ſenſus à mente Auctoris alienus, aut loco diſſentaneus à me elicitur, omniſque fraus ac fallacia omnino procul habetur.

V. Compendia dictorum, quæ paucis contenta verbis, in margine ad Lectoris, ſeu

notitiam

notitiam properè creandam, ſeu memoriam breuiter refricandam, appingi ſolent; quoniam margo anguſtior viſus eſt, quàm vt graphicè illa ferre poſſet; in medium paginæ ducta ſunt intro à Typographo, me prorſus inuito, ac fruſtra obluctante. Nam interiecta iſta compendia tam frequenter, quum noui tituli ſpeciem præ ſe ferant, membratim ipſammet orationem intempeſtiuè ſecant, parteſque aptè commiſſas importunè diuellunt, diſcerpuntque; atque ita ratiocinationis filum continenti amplificatione deductum perperam intercidunt. Præterquam quòd etiam, ſicut in margine collocata, ac ſequentia ex præcedentibus pendula, quomodo inter ſe concinant, facilè Lector animaduertit; ita in medio poſita atque ab antecedentibus præciſa, velut trunca atque abſona offendit. Quanquam huiuſmodi piaculum in primis dumtaxat folijs cernitur; in cæteris verò ſublatum eſt, at non meis verbis omnino retentis, ſed pleriſque ab alio additis, quæ mihi proinde tribui non debent. Quare Lectorem quemcunque obſecro, vt quoties has *Vindicias* percurrere oculis non grauabitur, talia compendia & argumenta ne legat, ſed ea prorſus præteriens, ad proximum orationis membrum exemplo tranſiliat.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI.

MELIORA *eſſe diligentis vulnera, quàm fraudulenta oſcula blandientis*, a à Diuinâ Sapientiâ memoriæ ac litteris mandatum, conſtat. Ita exaduerſum nihil abdito tenebricoſóque hoſte infeſtius, nihil nocentius. *Plinius lib. 9. cap. 44. Abdito hoſte nullus pernicioſior.* Aries piſcis grandium, nauigiorum vmbrâ occultatus, ſi quem fortè nandi voluptas inuitet, inſidiosè præſtolatur; tum piſcantium cymbas, elato extra aquam capite, callidè ſpeculatus, latenter illico adnatat, eáſque repentino mergit. *b* Baiazetes pariter Turcarum Imperator, quum pacem Sereniſſimæ Reipub. Venetæ dediſſet, Dalmatiam ac mare Adriaticum eiuſdem Reipub. ditioni ſubiectum, cæde, direptione, igni ſuis à militibus

A fœdè

a *Prou. 27.* b *Alphonſus Vlloa lib. 4. Vita Caroli V.*

fœdè vaſtari, ſecretò iubebat, Venetiſque de iniuriâ, & perfidiâ iure expoſtulantibus, verſipelle caput ſubdole cauſabatur, ſe eorum facinorum conſcium minimè eſſe, ſuo iniuſſu cuncta patrata, illos non è ſuo exercitu conſcriptos eſſe milites, ſed proſcriptos latrones; proinde eos impune caperent, debitáſque pœnas obtorto collo luere, ſe quoque annuente, ac plaudente, vtique cogerent.

Num. II. *Cui par mirus præſtigiator.*

Haud ſecus inſanus neſcio quis præſtigiator in Catholicæ Eccleſiæ pelago, in qno Societas noſtra Diuinæ gloriæ, & proximorum ſaluti totâ ſuarum virium contentione velificatur, commentitiorum vmbrâ nominum tectus, ceu truculentus aries, noſtræ exiſtimationis cymbam, imò & Chriſtianæ doctrinæ roſtratam nauim multiplici calumniarum, atque

errorum aſſultu incuſſúque obruere ac peſſumdare, iamdiu imbibit, totóque corpore, atque omnibus, vt dicitur, vngulis porrò conatur: quumque olim è Lutheri ganeis emerſus, communem Catholicæ Reipub. pacem à ſe ritè deinceps colendam præ ſe tuliſſet; bello clandeſtino, per infames Libellos effræni maledicentiâ, Hæreticâque labe infectos, furtimque editos, ceu per ſuos emiſſarios, tum eandem Rempub. vniuerſam, tum in primis Ordinem noſtrum iam multos annos acerbiſſimè agitare, ac perſequi non deſinit.

Num. III. *Quem comprimere è Republica eſt: Vtinámque ſuperet, donec pro meritis luat pœnas.*

Quare operæ pretium me factu- rum, candide Lector, putaui, ſi improbum Catholicæ Religionis pira-

tam, iuratúmque noſtræ Societatis prædonem Gaſparem Scioppium ex antris & latebris ad Lucem ac Solem, quò ab omnibus agnoſcatur, & caueatur; tum ſuæ temeritatis, inſcitiæ, impietatis, ac reliquorum flagitiorum iuſtas pœnas in conſpectu Chriſtiani Orbis perſoluat, tempeſtiuè extraherem: quod me tum hiſce *Generalibus Vindicijs*, tum *Lydio Lapide*, tum cæteris Lucubrationibus meis, Deo auſpice, præſtaturum polliceor, neque me, neque te polliciti mei, vt ſpero, pœnitebit. Vna dumtaxat cura hîc me habet planè ſolicitum, ne Scioppius, iam capulo vicinus ſenex, priùs, quàm meæ in eum ſcriptæ tabellæ lucem aſpiciant, hac ipſe orbetur, ac de ſtatione vitæ decedat; atque ita plerique obiectent, nec ſine riſu, in leonem iam mortuum, & lepores etiam facilè tutóque inſultare. At hanc meam ægrimoniam egregius ille fabulator, quamuis annis prægrauis, corpore tamen crudæ adhuc, viridiſ-

que

que ſenectæ, & ſuperſtes, & ſoſpes, vt mihi perſuadeo (atque vt eum Deus diu ſeruet incolumem, ac plurimis mactet bonis, ex animo meo voueo) omnino ſolabitur. Quod ſi fortè quid humanitus, letho preuertente, ipſi accidat, meis certè libris apud æquos rerum æſtimatores fraudi, vt opinor, non erit, quos à me, eo adhuc æuum agitante, abſolutos, ne dum inchoatos, tum operam à me ſtrenuè nauatam, vt in vulgus exirent quàm primùm; ſed compluribus alijs occupationibus me continenter addicto, citiùs eos typis credi non potuiſſe, locupletibus teſtibus poſſum, ſi opus ſit, aut vſus, nullo negocio ſemper oſtendere.

Num. IV. *Multa ſunt egregiè Latina, vulgò ignota.*

Cæterùm quia cum importuniſſimo, ac tumultuoſiſſimo Grammatico, qui vbi cauſſam nullo modo vincibi-

lem à ſe propugnari animaduertit, victus iam & profligatus, litem de verbis & nominibus ineptè ſolet intendere, rem mihi futuram video, ne fortè hîc quoque huiuſmodi diuerticulum quęrere, ſibique hoc nomine placere queat; te ego, benigne Lector, per tuam humanitatem obſecro, vt meam *de Latina Lingua menſuris diſſertationem*, quam propediem Deo auſpice peruulgabo, ante quàm voces vllas vel dicendi genera inquinatæ Latinitatis apud Orbilium, ſeu à Scioppio, ſeu ab alio notari patiaris, inſpicere ne graueris: ſimúlque memineris, quod illic etiam obſeruaui, vocabula noſtro æuo minùs frequentata, in Apologeticis concertationibus pręcipuè (in quibus ſeueritudo, & facetiæ ad obtrectatorem frangendum bellè alternantur, & comperta quidem flagitia caperatâ fronte meritò obiurgantur, ingeſta autem nugamenta ſalibus ac ridiculis appoſitè exploduntur) valdè accommodatè

vſur-

vſurpari: haud leuiter verò allucinari eos, qui vniuerſam Linguæ amplitudinem Calepino, Nizolio, Theſauróque circumſcriptam tam certò ſibi perſuadent, vt ſi quid in ijs minimè reperiant, mox ceu barbarum perenni Latij exilio multare non dubitent, quos ſicut ab eruditis viris, qui multam Romani Sermonis copiam in eiuſmodi Indices nondum relatam ſuperare non ignorant, rideri certum habeo; ita opinione ſuâ palàm falli, mea *Latinæ Linguæ Sicilimenta* luci quàm primùm per otium licebit, committenda (in quæ Latinarum vocum, & locutionum puncta ex antiquis & probatis Scriptoribus à me excerpta, fruſtráque hactenus in illis Latinitatis Nomenclatoribus quæſita, ad plura millia conieci) perſpicuè docebunt.

Num. V. *Vulgi ſententia, de verâ Latinitate, parùm ſana eſt.*

Interim eidem Scioppio, cæteriſque Ariſtarchis id, quod vir diſertiſſimus Ioannes Gerardus Voſſius cogitatè ſcribit, ne excidat, hîc tempeſtiuè in memoriam reuocatum cupio. Sic enim monet præclariſſimè: a *Vulgi hac ſententia, vt non modò φιλαρχαίους, & antiquarios appellet: ſed etiam affectatè ſcribere dicat, quicunque vſurpant verbum minùs vulgare, quamuis probum, & medio illo æuo à Cicerone, Varrone, Salluſtio, alijſq; vſurpatum. At diſtinguendum inter ea, quæ reuerà obſoleta ſunt, & ea, quæ creduntur iſtiuſmodi ex ſententiâ eorum, qui vbi ſex ſeptem in Cicerone paginas legerunt, videntur ſibi eſſe idonei Linguæ Latinæ Ariſtarchi, contra quos inuehitur Politianus Epiſtolâ ad Corteſium, lib. 8. Franciſcus Picus Mirandulanus*

a *Lib. 14 de Inſtitut. Orator. cap. 1. §. 7.*

lanus in diſputatione contra Bembum, Eraſmus in Ciceroniano, Budæus digreſſione quâdam in Comment. Linguæ Græcæ, Ludouicus Viues lib. 4. de Corruptis Diſciplinis, Franciſcus Floridus Sabinus lib. 1. Lect. ſubſec. cap. 11. Muretus lib. 15. variar. Lect. cap. 1. Vbertus Folieta lib. 11. de Latinæ Linguæ præſtantiâ, Nicolaus Beraldus Dialogo de parandâ facultate ex tempore dicendi, Nicolaus Suſius in Limâ Ciceronianâ &c. Et optimo profectò iure optimus ferè, ac doctiſſimus quiſque iſtiuſmodi ineptos Ciceroniaſtros, ſiue, ſi malis, Ciceronianos (quandoquidem eo nomine, parum licèt Ciceroniano, ſe iactant) perpetuò culpârunt, damnarúntque. Tum infrà: *Denique in ijs ipſis, quæ, ſuperſunt, innumera iſtis hominibus ignota inuiſáque, inuenta & eruta ſunt à præſtantiſſimis ingenijs, quæ ſi vſurpemus, quid flagitij committatur? neque enim ita ſcribere neceſſe eſt, vt omnes omnia intelligant; ſed potiùs, vt quædam ſint, quæ rudiores inueſtigare ac diſcere cogantur.* Sapientiſſimè. Nec minùs

 falsè

falsè eodem loco: *Si tamen paullùm ſit peccandum, peccandũ potiùs in eam partẽ quæ oſtentatione eruditionis, quàm deſpectu; cultu nimio, quàm ſordibus peccat: Præſertim hodie, poſtquàm tot iam ſeculis deſijt Sermo Romanus: vt nunc vulgi nobis cura ſit nulla; ſed tantummodò eorum, quos eruditio commendat.* Hactenus Voſſius.

Atque hæc ſunt omnino, quæ faſtidioſiſſimi literatoris, atque huius gregalium gratiâ præfanda duxi. Nunc Opus ipſum aggredior.

Cap. I.

Ignominiâ pro Chriſto Domino, notari, aut calamitatibus affici, præclaram eſſe gloriæ immortalis notam.

Num. 1. *Effœminati virtutis aſſeclæ.*

Imbelles animæ, quæ terrarum ſolo continenter affixæ, ſublime nihil, nihil cæleſtis patriæ cogitare ſolitæ, aut gnaræ ſunt; vt in humanarum rerum indicaturâ ſupra vulgi captum nunquam aſſurgunt, ita in graſſantium calamitatum æſtimatione fœdè ſemper allucinantur. Quippe intempeſtiuis illis, fucatiſque Iobi Sancti amicis, qui pios à Deo in hac vitâ fortunari omnes, contra verò impios cunctos ærumnis vexari, inſani opinabantur, planè ſuppares à cuiuſque probitatem hominis ſecundis rebus, improbitatem aduerſis non minùs ineptè metiuntur, quàm improbè mentiuntur. Si cui enim egregia facinora inuidiam conflant, ſi quem animi excelſitate, morumque innocentiâ plebi exemptum inopia, maleuolorum inſectatio, pædor carceris, inualetudo, morborum carnificinæ, aut aliæ acerbitates exercent, illico ſacerrimum caput, à quo Deus pœnas exigat, interpretantur, hoſtiamque præcidaneam, dignam prorſus, quæ in Herculis fano (cui ingeſtis affatim maledictis, teſte Lactantio, a exſacrificabant) mactetur, vociferantur. Hos domi, atque in foro, in circulis, in baſilicis, in vicis, in angiportis vnà cum illis congerronibus identi-

a *Lib. 1. Inſtit. c. 21.*

dem occentare audias: a *Quis vnquam innocens periјt? aut quando recti deleti ſunt? quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periјſſe, & ſpiritu iræ eius conſumptos*. Parum videlicet eſt, iſtis arbitris, ſummis in malis iacere, niſi & malorum extrema coronis accedat, noxiæ eorum probroſa infamia; *vltimamq́ aduerſæ fortunæ ſarcinam* (vt Boëtij verbis vtar b) *quod dum miſeris aliquod crimen affigitur, quæ perferunt, meruiſſe videntur*, nemo non agnoſcit. Quocirca ſi quos viros probos turpibus compellationibus dehoneſtari, ſi aduerſarijs famæ rumuſculis laborare, ſi propudij inſimulari, ſi conuitijs differri, ſi maledictorum notis inuri, ſi inclementer in eos paſſim dici animaduertant, extemplo illos velut Seiani equi Seſſores, vel Tholoſani auri depeculatores in vltimas anguſtias deductos, in profundum miſeriarum abiectos, nullos eſſe, planeque interijſſe pronuntiant. Vſqueadeo mollem vitroque friabiliorem virtutem effœminati huiuſmodi de Epicuri caulâ clientes architectantur, quam vel aſperiore dicto effœminari euertique, ſi Deo placeat, arbitrantur.

a *Iob*.4. b *Lib*.1 *de Conſolat. Philoſop. Proſa* 4.

Num. 2. *Chriſtiana vita ærumnis nobilitatur.*

Verùm quàm hebeti mentis acie tenebriones iſti mero prorſum meridie cæcutiant, nunc mihi non tralatitiâ operâ anquirendum, ſolideque contra docendum, quicunque Chriſtiano cenſentur nomine, neque id per ſummum nefas eiurare adhuc ſuſtinent, nullâ honoris aut gloriæ Laureâ auguſtiore, quàm oppidò multis ærumnis, & contumelijs vndique iactis, & pro Chriſto fortiter exantlatis, inſigniri poſſe. Nam ſi, vt catè Seneca, a

a *Epiſt*.107. *Res*

Res minimè *delicata eſt viuere*, quanto minùs, Chriſtianè viuere? Et quæ tandem Chriſtianæ palęſtræ germana teſſera eſt, niſi pro Chriſto calumnijs traduci,ludibrio haberi,conuicijs inceſſi, dicterijs proſcindi? Olim, cùm nondum Chriſtus illuxit Orbi, à fortiſſimâ Heroinarum ſapientiſſimè aſſeueratum nouimus, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum,Moyſen,omneſque,quotquot Deo fidem ſuam probauerunt, ſæuis anteà procellis diu exagitatos, poſtremoque defunctos æternæ beatitatis portum tenuiſſe. Nempe in diuinâ militiâ exaggeraras obtrectationum,turbinumque moles perrumpere, prima amicorum Dei ſunt rudimenta; in his validè repellendis tirocinium iubentur ponere; his conſtanter obluctando neruos omnes intendere, his ſubigendis perdomandiſque ſtrenuam, ac perennem nauare operam: *a Abraham tentatus eſt* (cui non compertum?) *& per multas tribulationes probatus Dei amicus factus eſt: ſic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles.* Quantò magis eos, quicunque Chriſto ſunt authorati, doctrinæque longè præſtantioris philoſophiam, hoc eſt ipſam Euangelij Crucem apertè profitentur, iiſdem cruciatuum experimentis tentandos inſpiciendoſque iure exiſtimemus? An non iſtorum omnium aures Apoſtolica Pauli vox claſſico perſpicuè clateque perſonat: *b Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur?* Num hæc ad eos dumtaxat Chriſti milites in præſens pertinet, qui ſiue in Iaponiâ,ſiue in Angliâ,ſiue in Scotiâ,ſiue aliâ in regione pro Chriſtianâ religione aduerſus Ethnicos, atque Hæreticos inter eculeos, inter carceres, inter ſecures & buſta,ore, linguâ,calamo,atramento,ſudore,& ſanguine fortiſſimè dimicant, cæteros verò,qui in medio Catho-

a *Iudith.8.* b *2.Tim.3.*

ſticæ Eccleſiæ ſinu, vbi ab huiuſmodi hoſtibus tuta quies, hærent, ſecuros certaminis nullum ad palum, ad luctam nullam euocat? ſcilicet an non his etiam vbique terrarum inſidiatur dæmon? an non bellum cunctis mortalibus indicit? an non quemlibet Chriſti aſſeclam præcipuè oppugnat? an non mille nocendi artibus aggreditur? an non innumeris fraudibus circumuenit? *Non enim modò, quia diabolus per reges non ſæuit, ideò Chriſtiani non patiuntur perſecutionem* (vt diſertè monet S. Auguſtinus *a*) *ſi mortuus eſt diabolus, mortuæ ſunt perſecutiones: ſi autem ille aduerſarius noſter viuit, vnde non tentationes ſuggerit? vnde non ſæuit? vnde non minas, & ſcandala procurat?* In quam etiam ſententiam iens D. Bernardus; *Videbatur*, inquit, *b iam ceſſaſſe perſecutionis tempus, ſed vt palàm factum eſt, nunquam deeſt perſecutio Chriſtiano.* Quin etiam hæc inſectationum atque ærumnarum pugna, omnium, quicunque Chriſto nomen dederunt, ita propria, comeſque adeò indiuiſa eſt, vt ſi quis illarum ſe immunem putet, Chriſtianum neget idem, quem iam laudaui, Auguſtinus: *Nemo ſibi dicat*, ait, *c fuerunt tribulationes apud Patres noſtros, apud nos non ſunt. Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus.*

a *In Pſal.* 127. b *Serm.* 3 *de Conuerſ. S. Pauli.*
c *In Pſalm.* 55.

Num. 3. *Chriſtus ſui cultores ærumnis exercet, ac probat.*

Quid quod calamitates omnes atque cruciatus non ſolùm Chriſtianorum peculiaria ſigna atque vexilla ſunt, ſed ipſius quoque Chriſti Domini, à quo ſati & propagati ſumus, ſingularis omnino teſſera, quam in cruce primus ille noſtri Auctor & Redemptor, in ſemetipſo conuicia omnia, probra,

atque ſupplicia diuinâ patientiâ conſecrans, decuſſatim elaborauit, cunctiſque imitandam propoſuit? *a* *Chriſtus paſſus eſt pro nobis* (vt Princeps Apoſtolorum fidem facit) *vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et diſertè ipſemet Orbis aſſertor omnibus, qui eum propius aſſectari cupiunt, in anteceſſum edicit: *b* *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* His ille calamitatum initiamentis veluti ratis argumentis excultos diſcretóſque ſui cultores nimirum voluit quò eorum fidem atque virtutem certò periclitaretur, vulgóque conſpicuam faceret. Tolle enim ab hac palæſtrâ inſectantium tela linguarum, tolle nefariorum hominum opprobramenta, tolle ingruentium æſtuaria infortuniorum; & mentior, niſi virtutem ipſam illico ſiderari, torpeſcere, eneruari, frigere & congelare cernas. Huc Dei apertum ſpectat oraculum, vbi apud Zachariam Vatem denuntiat: *c* *Vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum.* Quo reſpiciens quoque Tertullianus, *d.* *Ita fideles*, inquit, *quum exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei nitore.* Hinc Eccleſiæ genas mali Punici fragmine obſignatas, Chriſtus eiuſdem Sponſus, non aliam ob cauſſam, quàm ad illius documenta virtutum prodenda commemorat: *e* *Sicut fragmen mali Punici,* inquit, *ita gena tua.* At quorſum hæc? Abditam myſterij rationem egregiè Venerabilis Beda enucleat, priùs obſeruans, mali Punici conferta grana, nemini eſſe, niſi eorum vulnerato ac diffiſſo cortice, adſpectabilia, illóque integro incluſa, ſemper latêre; tum ſubijciens: *Sic Sancta Eccleſia, quo eam ampliùs frangi aduerſis contigerit, eo clariùs, quot virtutum grana vnius fidei tegmine complectatur, reſerat.* Hinc Diuus quoque Auguſtinus titulum

a 1. *Petr.* 2. b *Ioan.* 15. c *Zachar.* 13.
d *Lib. de Præſcrip. cap.* 3. e *Cant.* 4. *Ibid.*

tum Pſalmi 50. *Tenuerunt eum Allophyli in Geth* ſo-lerter expendens, vrbiſque Geth nomine tribulationes (quia Geth idem) ac torcular, ſonare putat, Dauidis autem loco Eccleſiam interpretatus; ingeniosè ita diſſerit? *Quid eſt in torculari? in preſſuris: ſed in torculari fructuoſa preſſura eſt. Vua in vite preſſuram non ſentit; integra videtur: ſed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ: ſed iſta iniuria ſterilis non eſt; imò ſi nulla iniuria accederet, ſterilis maneret.* Hinc Chriſtus animarum Sponſus, earum, quas ſingulari amore proſequitur, virtutem varijs cruciamentis, ita explorat, atque in propatulo collocat: vt fœcundam ſimul multiplici exempla ſequentium prole genitricem reddat. Eapropter Eccleſiam ſine maculâ, & ſine rugâ Sponſam deſpondens ſibi, crebris primùm agitatam procellis, diriſque pulſatam verberibus adamauit, atque huiuſmodi veluti cruentis imbribus illam admirabili feracitate irrigauit, aluit, amplificauit. Sanè *æruentâ impietate in Dei populum ſæuiebant,* a inquit Leo Pontifex Maximus, *quaſi ad maximam gloriam ſuam pertinere ducerent, ſi de terris nomen Chriſtianum auferrent; neſcientes Eccleſiam Dei per furorem ſuæ crudelitatis augeri, quando in ſupplicijs, & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo.* Quibus & illud vulgatum Tertulliani conſentaneum eſt: *Plures efficimur, quoties metimur. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.*

a *Serm. 6. de Epiphan.* b *In Apolog cap. vltimo.*

Num. 4. *Chriſtiani hominis dignitas ab ærumnis.*

Iam quid, rogo, Chriſtiano homini ad laudis decus illuſtrius poteſt contingere, quàm eximiâ

Chri-

Chriſtianæ vitæ prærogatiuâ coruſcare, iiſdem, quibus Rex ipſe noſter Chriſtus induitur, ornamentis donari, eâdem teſſerâ inſigniri, eiuſdem genituræ *ſpiritalis* fecunditate & gratiâ potiri? Quis neſcit: quod in quouis genere principem obtinet locum, vt indubium fixúmque Ariſtotelis effatum docet, menſuram eſſe cæterorum? Et cui lateat, Regiam vel Imperatoriam dignitatem omnium primam, reliquarum honeſtatum normam eſſe, cunctas apud gentes certiſſimam atque ampliſſimam? *a* Quid Alexander Macedo Hephæſtioni amicorum anteſignano aut liberaliùs, aut glorioſius indulſit, quàm vt regio paludamento habituque alterum Alexandrum repræſentaret? *b* quid magnus Aſſuerus Mardochæi ſummis honoribus, in proditæ proditionis præmium, mactandi percupidus, magnificentius, vel regalius excogitauit, quàm vt regiâ ille amictus chlamyde, regio coronatus diademate, regioque inſidens equo, per vrbem circumduceretur, præcone ſæpius enunciante, ſic honorari, quemcunque Rex voluerit honorari? *c* quid munificentiſſimus Dauid, ingens beneficium commeatus ſibi ſuiſque copijs in maximâ egeſtate à Berzellao ſuppeditati remuneraturus, ſplendidius, aut ſpecioſius vidit, quàm vt illius filij regiæ menſæ perpetuò accumberent? At ecce Regum omnium Rex Summus Chriſtus, quotquot laborum atque ærumnarum ſtipendiarios facit, ac legit, illos eâdem purpurâ ſudoris ac ſanguinis circumdat. Quid nobilius? regiâ obtrectationum coronâ redimit. quid elegantius? expeditos in equis ſuccuſſantium moleſtiarum traducit, quid ſublimius? eâdem dolorum menſâ communicat, eundem cruciatuum Calicem ijs propinat, ex eâdem tormentorum lance ac patinâ eoſdem

a *Curt. l. 5.* b *Eſth. 6.*
c *3. Reg. 2.*

eoſdem paſcit ac ſaturat. quid clarius? quid lucu-lentius? quid honorificentius?

Num 5. *Chriſtus comes & adiutor ærumnoſorum.*

Neque tamen dignitatis hæc vltima linea. Nam Deus probra atque ærumnas tanto habet in pretio, vt in arenam vnà cum iis, qui illis obnoxij ſunt, peramanter deſcendat, eorum ſe ſocium præbeat, eorum commilitonem agere ac profiteri non erubeſcat. *Venditum* enim *iuſtum non dereliquit* (vt è Sapientis oraculo intelligimus *a*) *ſed a peccatoribus liberauit eum, deſcenditq́ue cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Agitur in crucem vnà cum Chriſto fortunatus latro, à quo dum poſcit opem, ſyngrapham mox accipit ſempiternæ felicitatis his exaratam verbis; *b Hodie mecum eris in paradiſo.* Nempe in ipsâ Cruce, in quâ Cruciatuum Socium reperit ipſum Deum, ſolatium dolorum omnium cumulatiſſimum ſentit, atque in cæli municipalem, quâ dignitate nihil expetendum magis, tranſcribitur. *Quid* namque *potuit mæſtus pati*, vt rectè Ambroſius, *qui paſſionis Socium Deum habet, & dolorem leuantem, & in gaudium tormenta ipſa tranſmutantem?* Imò verò idem Deus, quicquid dehoneſtamentorum, quicquid angorum, aut vulnerum probis viris, ſeu ab rerum aſperitatibus, ſeu ab hominum flagitijs infligitur, id ſibi inflictum reputat, atque, vt ita dicam, luget: nec ſanè *mirum, ſi viſitet Deus in carcere poſitos*, vt appoſitè idem Ambroſius, *c qui ſeipſum in ſuis incluſum eſſe memorauit.* Quam ob rem regius Vates eundem Deum iure ita affari non dubitat: *d Redemiſti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius*, hoc eſt,

a *Sap.* 10. b *Luc.* 23.
c *Lib. de Ioſeph. cap.* 5. d 2. *Reg.* 7.

hoc eſt, vt eum in locum notat Vatablus, teipſum, quòd tu cum his, qui exagitantur, exagitari videaris, in libertatem aſſeruiſti. Quaſi Deus cum captiuo populo in Ægypto ſimul captiuus fuerit, eaſdémque anguſtias atque miſerias tum expertus ſit. Quâ Dei conſociatione, atque in anguſtijs noſtris vexatione, vt nihil ad leuamentum, reflante iactatis fortunâ ſuauius, vel præſentius eſt, ita ad gloriam nihil præſtantius, aut eminentius. *Hoc* enim *ex omnibus, quæ patimur, clariſſimum & magnificentiſſimum eſt*, ſi Gregorium Nazianzenum audimus, a. *quòd cum Deo periclitamur.* Et quicunque in hoc tolerantiæ amphitheatro ab impijs pro Chriſto, & cum Chriſto, quouis obtrectationis, vel inſectationis genere vtuntur, ad Apoſtolicæ dignationis ſolium feliciter ſe euectos meritò lætari poſſunt, quandoquidem *Apoſtolica, ſi neſcis, hac dignitas eſt*, vt egregiè ingeniorum ille Phœnix Ioannes Picus philoſophatur, b *dignum haberi, qui pro Euangelico nomine ab impijs infameris: quando Apoſtolos legimus apud Lucam gaudentes à conſpectu abijſſe Concilij, quia digni habiti eſſent, quibus pro nomine Ieſu contumelia irrogaretur.*

a *Orat.2.de Pace.* b *Epiſt.1. ad Franciſcũ Nepotem.*

Num. 6. *Ærumnæ dona Dei.*

Quare complures è vulgo hauſtæ voces, quin ex miſtis etiam vulgo chlamydatis non paucis inſanæ opinationes deriuatæ (quæ calumnias, probra, & calamitates in malis numerant, infortunia appellant, miſerias nuncupant, irati Dei monumenta, pœnas, & ſupplicia indigitant) nunc mihi probè compeſcendæ ſunt. Faceſſant inauſpicata nomina, faceſſant inania terriculamenta, faceſſant ſpectra & lemures. Ignominiæ, conuicia, verbera, & quicquid acerbitatis Chriſtiano inaceſcere po-
teſt,

teſt, pro Chriſto ſedatè & vultu belliſſimo perlata, ſi verum quærimus, & fucum non amamus, haud pœnæ ſunt, ſed dona Dei; vexilla Crucis, non fel, ſed mel; non ſpinæ, ſed roſæ; non tormenta, ſed deliciæ. *Trophæa noſtræ vitæ*, vt ſapienter indicat S. Hieronymus, *a non pompis, ſed miſerijs reputantur, in noſtrâ claſſe vniformes opprobria ſciunt portare, non munera, ideoq; plus vobis donatum eſt, non ſolùm vt credatis, ſed etiam vt pro Chriſto patiamini.* Nec qualiacunque ſunt huiuſmodi dona collata diuinitus, ſed operis ſimul præmia, & virtutis emerita ſtipendia. Idcirco Gregorius Nazianzenus cauſſam indagans, cur operarijs *b* laborem à ſummo mane vſque ad veſperum continuantibus par merces, atque operi manum, ſerò admodum diéque iam obeunte, admouentibus, à Patrefamilias ſit perſoluta, acutè reſpondet, *c* quia *hoc ipſum ampliùs laborare, amplioris mercedis loco habendum eſt his certè, qui animo ſunt non omnino illiberali, & ſordido.* Neque ſolùm labores ipſi, Chriſti gratiâ tolerati, præteritorum laborum ſtrenæ, & ſolatia ſunt, verùm etiam futurorum inuitamentum & pignus. Siquidem *d pro Chriſto pati*, vt idem magnus Doctor ſcribit, *animi magnitudine præditis viris ad ſequentia certamina velut arrha exiſtit.*

a *In Regulâ Monachorum.* d *Matth.* 20.
c *Orat.* 40. b *Orat* 24.

Num. 7. *Pignora æternæ beatitatis.*

Addo eaſdem etiam ærumnas, atque obtrectationes Chriſtianâ charitate atque patientiâ exceptas, non tantùm laborum, & certaminum eſſe pignora & præmia, ſed cæruleos etiam æternæ beatitatis flores, qui tibi immenſi illius doni, quo nullum eſt opulentius, fructum vt ſpondent, ita eiuſdem obſides certiſſimos, & iucundiſſimos tibi

ſe

ſe præbent. Vidit olim hæc tam ampla honoraria Nyſſenus Antiſtes, dum paradoxum Chriſti oraculum: *Beati, qui perſecutionem patiuntur* ſolerter rimatus, *Fructuum*, inquit, *qui ſperantur, flos afflictio eſt: iam verò anima ſancta viſis floribus, qui æternitatis fructum inamißibilem promittunt, gaudio perfuſa annuntiat*, Flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, tempus putationis aduenit. b *Dum enim capita amputantur, & membra præciduntur, flores Martyrum apparent, & voces gaudij in Eccleſia reſonant.* Hinc à Tiburtio fortiſſimo in ærumnarum circo athletâ, quum à Fabiano iudice nuncium Chriſto remittere, idoliſque thus adolere, vel certè per ignitos carbones nudis pedibus incedere iuberetur; moxque ille crucis ſigno ſe muniens, fidenter in prunis ambularet; admirabiles illæ voces ſummâ alacritate depromptæ: c *Diſce ex hoc ſolum eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt: prunæ enim mihi flores videntur.* Quid ſi etiam hiſce ex floribus afflictationum, æternæ claues patriæ, quæ cælum nobis patefaciant, conflentur? Teſtor ipſum Martyrum Coryphæum Stephanum, cui cæleſtis regiæ penetralia inter lapidum imbrem reſerata conſtat. *Nec mirum*, inquit Euſebius Emiſſenus, d *ſi lapidantibus neſcit iraſci, per quos ſibi videt aulam regni cæleſtis aperiri, per quos æternis ſæculis ſe intelligit conſecrari: tantum abeſt, vt in tormentis triſtetur, quod pro torquentibus deprecatur.* Quorum omnium conſequens eſt, vt vbi aliquem compluribus inſectationibus ob Chriſti obſequium vndique obſeſſum cernimus, iam eum ipſo in cæli veſtibulo ac limine hærere, æterna proximè libaturum gaudia, non ſine piâ quâdam inuidentiâ, nobis colligendum ſit.

a *Matth.* 5. b *Cant.* 2. c *In Officio Diuino, Lect* 9. *Auguſti* 11. d *Homilia de S. Steph.*

Num,

Num. 8. *Qui Dei ſeruos perſequuntur, illis ſeruiunt.*

Quorſum igitur illos (qui nos vexant, premunt, agitant, lacerant) infensâ perſecutorum, atque obtrectatorum appellatione deſignamus, atque in inuidiam vocamus? Valeant hoſtilia id genus nomina: abeant infauſtæ notæ: Ego verò eos iure optimo illorum, quos inſectantur, ſeruos potiùs ac famulos, ſummiq; adminiſtros beneficij dixerim, quũ de Eſau & Iacobo ſacrum diploma memoret, *a* maiorem minori ſeruiturum. At vbi gentium, aut quo tempore Eſau natu maiorem reapſe ſeruijſſe ſeruitutem, Iacoboq; minori famulatum legimus? Nuſpiam id ex ſacrâ hiſtoriâ aut alijs ex Annalibus odorari licet. Quin contra potiùs Iacobus ipſum Eſau apertè Dominum ſuum confeſſus eſt, ita nuncios, quos ad eum deſtinabat, affatus: *b Sic loquimini Domino meo Eſau.* Quo modo igitur diuini fides oraculi vaticinantis: *Maior ſeruiet minori*, conſtabit? Nodum pulchrè enodat hunc in modum Auguſtinus: *c Seruiet non vtique obſequendo, ſed perſequendo. Quomodo limæ, vel mallei auro, quomodo mola ſeruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia.* Quocum aptiſſimè concinens quoque Guerricus, *d poterit*, inquit, *inuidus ille tentator ſæuire, ſed hoc erit ſeruire; poterit vrere, tundere, diſſecare, ſed hoc erit, coronas fabricare.*

a *Geneſ.* 25. b *Geneſ.* 32. c *Serm.* 78 *de tempore.*
d *Serm.* 2. *de S. Benedicto.*

Num. 9. *Beati, qui rebus aduerſis vexantur.*

Quæ quum ita ſint, quid moramur cunctos, qui pro virtute, calamitatum, dedecorúmque tot beneficijs cumulati, tot honeſtatibus exornati, tot donarijs

narijs locupletati ſunt, è miſerorum albo, in quod vulgo referuntur, expungere, vereque felices ac perbeatos prædicare? quos è mortalibus, niſi hos præcipuè, ipſa Dei Sapientia in cælo collocat? quibus, niſi iſtis ſempiterna illa hereditas à Chriſto promiſſa venit? *a Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* In quos, niſi in crucis vexillarios diuino ore oppignerata felicitas cadit? *b Beati eſtis, quum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm vos, mentientes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Quæro nunc, an fidem hiſce Redemptoris decretis omnes, qui inter Chriſtianos numerari cupiunt, ex animo habent? ſine dubio. Itáne habent? quid ergo ſurdis adeò auribus illa accipiunt? quid faſtidioſâ oſcitatione negligunt? quid ſtupidâ mente verſant? quid adhuc ærumnis aut contumelijs verberatos infortunatis accenſent? quid ea ſacroſancta chirographa ceu non exarata, vel tanquam inducta, aut obſoleta ſus déque ferunt? Audiant hi non vllum ampliùs Prophetarum, non ex antiquis Patribus aliquem, non è ſacratis Deo viris vnum, ſed hominem omnino profanum, atque inter profanos principem, ſed ingenio longè maiorem, quàm principatu, Ioannem Picum, non fucatam mundi felicitatem, ſed germanam ac ſolidam, inter probra & anguſtias triumphantem, ſuis coloribus graphicè ita expingentem in eâ, quam ad Franciſcum Nepotem dedit, Epiſtolâ: *c Felix es, fili, quando non ſolùm id tibi tribuit Deus, vt benè viuas, ſed vt benè viuens, à malis tamen ob id maximè, quia benè viuis, interim malè audias. Æqua enim laus, à laudatis laudari, & improbari ab improbis. Sed non proptereà te felicem appello, quia hæc tibi calumnia glorioſa eſt,*

a Matth. 5. b Ibid. c Epiſt. 2.

eſt; ſed quia Dominus Ieſus, qui verax, imò ipſa veritas eſt, futuram affirmat mercedem noſtram copioſam in cælis, quum maledixeeint nobis homines, & dixerint omne malum aduerſus nos, mentientes propter eum.

Num. 10. *Ærumnis carere magna ærumna.*

Quâ cæleſti Philoſophiâ viri ſanctiſſimi ac diſertiſſimi medullitus imbuti, quemadmodum pro Chriſto probris atque infortunijs onerari magnæ felicitatis loco habebant; ita contra, huiuſmodi fluctibus atque incommodis vacuam agere vitam, infelicitatem magnam cenſebant. Quàm longè enim à proletariorum hominum improuidâ ſententiâ abit magnus Nazianzenus, a dum, vt ipſemet profitetur, *Nequaquam detrimentum* ducit *pati, ſed potiùs non pati, idq; eo magis, quòd periculorum, quæ pro Chriſto patiuntur, guſtum habemus?* quàm fortiter inſigniteque mellificus Ambroſius moleſtiarum amotionem dolorumque vacuitatem, damnationis malam ſcæuam interpretatur? Quàm animosè, *quum perſecutiones*, inquit, *b non patimur, tanquam condemnati habemur.* Quod etiam argumento ineluctabili ſtatim confirmat: *Quum ſit definita ſententia, quod c omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſequutiones patiuntur; videtur is, qui perſequutiones non patitur, abdicatus. Deuotionem enim fidei prælia ſequuntur.*

a *Orat.2. de pace.* b *Serm.11. in Pſal.118.*
c *2.Tim.3.*

Num. 11. *Qui inſectationes pro Chriſto ſubeundas auerſantur, perſtringuntur.*

Verùm abſcindendus mihi ſermo eſt, & plura, quæ ad hunc locum illuſtrandum ſuppetunt, diſſimulanda.

mulanda. Sed vbínam modò ignauæ illæ animæ ſunt, vbi homunciones illi trioboli, vbi gregarij illi Chriſtianę milites diſciplinę, malaciſſati, enerues, pumicati, qui ad inſectationis nomen veluti fulmine tacti de cælo, exanimantur? vbi qui aduerſi aurā rumoris vel leuiter afflati, ſeruiliter trepidant? vbi qui oblocutiones ſcurrarum, ſimultates potentum, flagitioſorum contumelias, opprobria, conuicia, famoſos libellos, orco peiùs metuunt, dedecori atque infamiæ ducunt, ſummis in malis ac miſerijs ponunt? Reſipiſcant tandem rerum peruerſi æſtimatores, reſipiſcant inſana capita, deſinantque aliquando Chriſti ſapientiam atque doctrinam ſuā inertiā & ſtupiditate metiri. Diſcant mortalium imperitiſſimi, linguis ac libris improbè oblatrantium calumniatorum malignè cædi, præcipuam eſſe Chriſtiani hominis, niſi Chriſti fidem expectoratam perfidè velint, teſſeram: diſcant eximiæ virtutis documentum eſſe minimè dubium; diſcant maximum Dei eſſe donum, diſcant egregiorum facinorum eſſe mercedem atque inuitamentum, flores perennis vitæ, claues cæleſtis regiæ, æuiternæ gloriæ certum pignus. Diſcant denique felicitatis humanæ eſſe verticem, & coronam, quo nihil glorioſius, nemo mortalium in hac caducarum rerum viciſſitudine optare poteſt.

Cap. II.

Omnes Religioſos Ordines varijs obtrectationibus pro Chriſto perhonorifice, ac feliciter eſſe obnoxios.

Num. 1. *Religioſorum Ordinum proprium eſt pro Chriſto vexari.*

IN tam pretioſi muneris, inuidendæque beatitatis, qualem paulò antè deſcripſi, partem, cunctos Religioſos Ordines, nullò excepto, ad multiplices pro Chriſto labores, compluresque inſectationes ſubeundos, & perferendos, maximè omnium eſſe vocatos, perſpectum eſt. Nam ſi cuiuſcunque verè Chriſtiani nota & ſignum, vt vidimus, proprium eſt, calumniarum, & maledictorum fluctibus quati; quanto magis eodem authoramento Religioſi viri adſtricti ſint, eâdemque teſſerâ inſigniti, qui Chriſto Domino afflictorum omnium anteſignano, peculiari quodam nexu ſe mancipârunt? qui ad apices Euangelicæ perfectionis contendunt? qui Prætoriæ veluti cohortes, cæleſtem militiam aduerſus mundi corruptelas ſanctè militant? qui vitijs omnibus, & perditis hominibus ſacrum bellum habent ſemper indictum? qui ſtipendia peccati mortem, vitâ & ſanguine pro Chriſto oppignerato, & quum opus eſt, etiam fuſo redimunt, alijſque immortalitatis emeritis ſtipendijs glorioſè triumphant? Incredibile planè dictu eſt, quàm impotenter, quàm effrænatè, quàm furioſè improbi nebulones, oſores æquitatis, calumniarumque promi condi in ſacras huiuſmodi familias bacchentur, excandeſcant, im-

impreſſionem faciant; quorum ingenium ac mores Regius Vates delineans, vt Doctori Angelico a ſedet, exertè canit: b *Ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt conſilium. Cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Dixerunt, venite, diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltra.* Nempe Dei ſe hoſtes neceſſariò produnt, qui Dei ſeruos tam impudenter carpunt. *Ecce inimici tui ſonuerunt.* Hi vero, qui dudum contra Dei famulos clam, in angulis, in gurguſtijs, in conclauibus ſermones cædebant, nunc in publico venenum malignitatis euomere nihil verentur. Sed nimirum *ſonuerunt*, hoc eſt, ſonos ac voces rationis expertes ediderunt. Quid enim à ratione magis alienum; quid, efferatæ né tigridi, dicam, an homini congruentius, quàm ſacratos Deo viros dentibus, atque vnguibus mordere, & lancinare? *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* Neque propriâ iſti nequitiâ contenti, caput inſuper efferunt, atque Antichriſtum, membraque eius, quò in Sanctos diriùs incitentur, vt indicat Gloſſa, impiè euocant. Tum *ſuper populum tuum malignauerunt conſilium, cogitauerunt aduerſus Sanctos tuos.* Hoc eſt, non in mediocres tantùm vel capite cenſos de triuio, ſed in cæleſtes quoque viros inſaniunt, atque, vt c olim Pharao Iudæorum infantes, ſi quidem maſculi eſſent, tolli iuſſerat; fœminas verò ſolas, è quibus nihil videlicet mali ſibi timeret, ſeruari; haud ſecus dæmon mundi huius princeps, de vilioribus aut infirmioribus mancipijs non admodum ſolicitus, in eos potiſſimùm manipulos, quorum virtutem roburque pertimeſcit, id eſt, in Religioſa agmina vires ſuas totas per ſuos emiſſarios exerit: ac propterea non mirum, ſi hi aduerſus Sanctos peſtem conti-

a *Opuſ 19. contra impugnantes Dei cultum in Proæmio.* b *Pſal. 82.* c *Exodi 1.*

nuò machinentur. *Cogitauerunt aduerſus Sanctos tuos.*

Num. 2. *Dæmones atque improbi, Dei ſeruos perſequuntur.*

Pugnat videlicet cum Deo exaduerſùm dæmonis inuidia. Vbi enim ille miniſtrorum ope gloriam ſuam ab hominibus, ſalutemque hominum, quam alioqui ſuâpte vi, ſine cuiuſquam adiumento, quippe omnium potens, facilè obtineret, captat, atque elicit; hic diuinæ æmulus gloriæ, humanæque ſalutis hoſtis, alios è regione adminiſtros ſuos ad vtramque euertendam in aciem educit, atque in miniſtrorum Dei inſectationem, vt a D. Thomas notat, ſemper inflammat. Hinc diaboli miniſtros, Deique perduelles, atque hominum, omnes illi eo ſe haud perplexè indicant, quod Dei gloriæ incommodant, ſalutique humani generis aduerſantur, præcipuè verò Dei adminiſtros perſequuntur, quod & Paulus ipſe, tantus Apoſtolus in ſeipſo expertus eſt, atque id huc aptiſſimè idem Aquinas refert: b *Nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus aduerſantur.*

a *Opuſc. 19. contra impugnātes Dei cultū.* b 1 *Theſſ. 2.*

Num. 3. *Dæmon maximè infeſtat eos, qui ſibi maximè aduerſantur.*

Porrò ſi dæmonis conſilium ſpectemus attentiùs, eò maximè illud in perſequendis Dei miniſtris, Religioſis præſertim, ab eo collineatur, vt quos ſibi potiſſimùm deuios futuros ille proſpicit, omni conatu arietet, ac ſternat. Quocirca Iobus vir ſanctiſſimus huiuſmodi oppugnationem atque aſſultum per diaboli ſatellites non ſemel adornatum ægrè ferens, dolenter exclamat: a *Aperuerunt ſuper me ora ſua exprobrantes.* Quo loco ac-

a *Iob. 16.* con-

commodatè Magnus Gregorius, *Illos præcipuè reprobi, dæmonis vtique Sicarij, id ſanctâ Eccleſiâ perſequuntur, quos multu conſpiciunt eſſe profuturos.* Duo autem ſummoperè improbi aduerſus Sanctos Dei, lectiſſimam videlicet Chriſti ſobolem, duce dæmone moliuntur. *Dixerunt, Venite, diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltra,* ſubdit loco iam laudato regius pſaltes. Primùm ſanè è vita illos eijcere, rebus omnibus ſpoliare nituntur; propptereaque Regina Eſther *a* amarore ingenti reſperſa, ingemiſcebat: *Volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere.* Deinde ſi votis iam ſceleratis ſucceſſuque fruſtrantur, omnem lapidem mouent, vt eorum ſaltem famam, ſecundamque nominis admurmurationem obſcurent, lædant, deterant, quò illi nihil diuini fructus ab hominibus eblandiri queant; vt ab Apoſtolo Iacobo *b* disertè grauiterque perſtringitur. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos? nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod inuocatum eſt ſuper vos?* Hinc quod ad primum caput attinet. *Dixerunt*, ait Propheta iam recitatus, *venite* (*Socios* intelligit, vt à Gloſsâ illic animaduertitur, *ſibi quærentes*) *Diſperdamus eos de gente*, vel de gentibus, *ſcilicet ne ſint inter gentes*, vt eadem Gloſſa exponit, id eſt, *de mundo eos tollamus.* Quantum verò ad ſecundum addit ſtatim: *Et non memoretur nomen Iſraël vltra:* vt nimirum nomen eorum deinceps malè audiat, aut penitùs aboleatur.

a *Eſth.* 13. b *Iacob.* 2.

Num. 4. *Præcipuè Religioſos viros Dæmon infeſtat.*

Certè immites olim Tyranni, omnes neruos, vt Sanctorum vitam variâ tormentorum excogitatâ carnificinâ funditus delerent. vt innuit S. Thomas,

mas, *a* intenderunt, ideoque Apoſtolus *b* ſuo iam æuo illud Pſalm: *c* *Propter te mortificamur tota die, & æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis:* vſuueniſſe teſtatur. Cæterùm ad Religioſos cœtus ſpeciatim exterminandos quid non fraudium, quid non ſuppliciorum, quid non quæſtionum, ac fidicularum truculenti Imperatores Iulianus, Valens, Conſtantinus, Copronymus, Leo Armenus, alijque permulti ſubinde periclitati ſunt? Mitto Hæreticos veteres Iouinianum Romæ, Vigilantium in Galliâ, multiſque poſt luſtris VVicleffum in Germaniâ, tum noſtris temporibus Lutherum, & Caluinum vnà cum reliquis illorum catulis, aut aliorum peruerſorum dogmatum architectis, qui nullam Catholicæ Eccleſiæ partem acerbiùs, quàm Religioſos Ordines, inſectati ſunt, eoſque ad internecionem penitùs extinguere remis veliſque ſemper apparauerunt. Quod ſi vitâ illos orbare, aut in eorum corpus ſæuire non poſſunt, tanto immaniùs in eorundem dignitatem, honorem atque exiſtimationem inuadunt, illorum auctoritatem dedecorant, laudes commaculant, innocentiam calumniantur, virtutibus claros ipſi ſuis flagitijs in crimen populo atque infamiâ ponunt, cœnoque oblinunt.

a *Loc. cit.* b *Rom.* 8. c *Pſal.* 44.

Num. 5. *E Chriſtianis quoque flagitioſi Religioſos perſequuntur.*

Vtinam autem dira hæc furialiſque lues atque peſtilitas ſolis ab Ethnicis, atque Hæreticis afflaretur: At, quod longè indignius atque execrabilius eſt, inter Catholicos quoque non rarò, eoque fœdiùs, quo frequentius, graſſatur. Nam horum etiam pleroſque implacabilis humani generis hoſtis dæmon in viros Dei ſolicitare, excire, armare, inceſ-

incendere, atque immittere nunquam deſinit. *Omnes* quippe, vt meritò aſſeuerat Auguſtinus, *a qui in Chriſto conuerſantur, odio habentur à corporis ſui membris, id eſt à Chriſtianis:* quin ipſemet Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos dilucidè præmonet, *b Omnibus propter* eius *nomen odio* futuros; nempe improbis cunctis hominibus, quorum ingens copia in Chriſtianâ etiam Republicâ nunquam deeſt, inuiſos fore, vt eo loco diſertè Barradius *c* explicat. Vt verò ſceleſti Chriſtiani manus à Religioſorum vitâ abſtineant, eoſque de medio tollere ſuperſedeant, aut non poſſint: in illorum profectò nomen famamque compoſitis dolis, conuicijs, probris, & contumelijs, cerriti prorſus, atque phanatici ruunt. Nam *famam Sanctorum prædicti miniſtri Diaboli*, vt explanatè Angelicus Doctor, *d nituntur corrumpere, in tantum, vt non ſolùm per ſe apud præſentes, Sanctos Dei infament verbo, ſed etiam litteras per vniuerſum Orbem dirigant.* Et quos, obſecro, niſi id obtrectatorum genus illa Ieremiæ *e* expoſtulatio percellit, vbi *à Prophetis Ieruſalem egreſſam eſſe pollutionem ſuper omnem terram* conqueritur? Nimirum linguis huiuſmodi minimè *ſufficit*, vt illic obſeruat S. Hieronymus, *iniquitatem propriam deuorare, & proximos lædere; ſed quos ſemel oderunt, per vniuerſum mundum infamare conantur, & vbique ſeminare blaſphemias.*

a *Lib.18.de Ciuit. cap.51. & lib 1.contra Gaud cap. 13.& 14.* b *Matth.10.* c *Tom.2. lib.9. cap.13.* d *Loc.cit.in fine.* e *Ierem.23.*

Num. 6. *Quod præceſſit, docetur exemplis.*

Quis porrò vnquam poſt Chriſti conditum regnum, quis Religioſorum Ordinum in Dei Eccleſiâ aliquando excitatus eſt, ad quem deformandum,

dum, præfocandum, extinguendumque, præſertim dum adhuc in cunis veluti infans vagiebat, dæmon omnes Erebi acies & copias non euocârit? Teſtor inprimis antiquiſſimum illum tot Monachorum parentem Benedictum cum nouello ſuo grege, quem quum in dies maiora capere incrementa ſatanas animaduerteret, Florentium Preſbyterum inuidiæ facibus, vt Magnus Gregorius *a* narrat, incitauit, vt caput ipſum maleficis ſuccis primùm perderet: deinde, quum in irritum ei parricidium cecidiſſet, filios illius atque diſcipulos longè nocentiore veneno perimere niteretur. Teſtor nobiliſſimam Ciſtercienſium Stirpem, quam olim varijs quoque fluctibus iactatam fuiſſe, certo documento eſt D. Bernardus in ſuâ ad Guilielmum Abbatem S. Theodorici *Apologiâ.* Teſtor ſplendidiſſimam Cluniacenſiũ proſapiam, quam multis etiam perſtrictam dictis Venerabilis Petrus Cluniacenſis *lib.* 1. *epiſt.* 28. apertè narrat, eandemque valide propugnat. Teſtor ampliſſimam ſanctiſſimamque *Dominicanorum*, ſeu *Prædicatorum* familiam, in quam læto progreſſu adoleſcentem Gulielmus Matiſconenſis *Canonicus*, vecordibus inſtinctus facibus, vt complures alias, quibus eadem illa familia frequenter vexata eſt, inſectationes omittam, nequiſſimè bacchatus eſt. Teſtor Religioſiſſimorum, & præclariſſimum Franciſcanorum Cœtum, ad quem peſſundandum Gyraldus Pariſienſis Doctor, Gulielmo amentiâ & ſcelere par, Omnes Inferorum Dæmonas centuriâſſe videtur. Vterque quaſi ex condicto, quà voce in exedris, & circulis, quà editis libris vbique gentium tantam in Dei famulos tempeſtatem commouerunt, vt pleriſque non ſolùm de rudi plebe, ſed de maioribus quoque, & ſapientioribus, quos calliditate quâdam diſputandi, collectâque

antea

a Lib. 2. Dial. cap 8.

anteà doctrinæ auctoritate deceperant, facilè perſuaſerint, illis minimè integrum, licitúmue eſſe mendicare, nec litteris ſtudere, nec ad populum concionari, nec pœnitentium confeſſiones excipere. Teſtor vitæ innocentiſſimæ, ac rigidiſſimæ inſtitutum Capuccinorum, innumeris calumnijs, anguſtijs, atque acerbitatibus, quas eorum monumenta iam diu vulgârunt, duriſſimè, dum initio virtutibus egregiè ſuccreſceret, conflictatum. Teſtor Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, inſignem propaginem, quam quondam pleriſque ærumnis pariter ab improbis exercitam atque vexatam è proprijs ipſarum hiſtorijs Antonius Caracciolus in *ſynopſi veterum Religioſorum rituum præf. ad Lectorem* refert. Teſtor Patrum Diſcalceatorum inclytam admirabilemque Tereſiâ auſpice, ſodalitatem, quàm varijs & ipſa, quàm ignominioſis, quàm inclementibus conuicijs, probriſque, vt eiuſdem acta fidem locupletem faciunt, vapulauerit. Denique, vt cæteras omnes Religioſas Congregationes, quæ paribus improborum iniurijs, vellicationibus, ac ludibrijs agitatæ ſunt, prætermittam; teſtor hanc minimam noſtram Societatem, quam dæmon haud ſecus, quàm reliquos Ordines, non ſolùm diuerſis in locis vario præliorum genere perſæpe exercuit; verùm etiam Romæ quoque fundamenta illius vix iacta ſummâ contentione ſubruere (vbi fictis per quoſdam ſuos miniſtros criminibus Ignatium caput noſtrum, eiuſque Socios in maximam hæreſis aliorumque ſcelerum infamiam adduxit) tum conatus eſt, ſemperque poſteà per alios atque alios ſuos pararios peruellere, ac pungere, rabie inſaturabili perrexit, ac porrò pergit.

Num 7. *Deus omnes Religioſorum ærumnas in bonum eorum vertit.*

Quamquam verò omnia inſectationum machinamenta ad vnumquemque Religioſorum Ordinem, vt dixi, pulſandum, vexandumque dæmonis ingenio ac malitiâ fabricantur; diuina tamen prouidentia ita illis conniuet, vt cuncta ea ad ſingularem noſtri profectum benignè referat, quò ſcilicet virtutem noſtram minimè ſinat torpeſcere, ſed in arenam deducat, vt opimioribus donis laceſſat, vt maioribus authoramentis accendat, vt Chriſto Domino nos aſſimilet, qui veros ſuos diſcipulos veroſque ſeruos eo veluti inſigni diſcriminat à reliquis; quòd quæ ille pertulit, eadem ipſi quoque ſibi ferenda noſcant, vt ſuperiore capite iam ſatis oſtenſum eſt. *Deus* enim, vt ſcitè Ambroſius, *a. ſinit nos ſæpe tentari, volens iuſta præmia dare, luctanti vtique, non dormienti. Non decet redimitos floribus corona ſed puluerulentos; nec molles delicijs, ſed labore exercitatos ornat victoria.* In quo ſanè mira Dei Sapientia, pari in nos ipſos charitate coniuncta, eminet, quòd, etiamſi Religioſi ſtatus prærogatiuas aliquammulti intelligant, atque vt debent, venerationi habeant; nihilominus alios exſtare voluerit, quorum oculos ea fugerent, quique Religioſis viris negotium ſubinde faceſſerent, vt hâc ratione tum noſtris, tum aliorũ commodis bellè proſpiceret. Nam ſi omnes eos deſpicerent, nullos illi in proximos ederent fructus: ſin omnes colerent, atque in ſinu geſtarent, id ipſum nobis ad multa diſconduceret, detrimentique plurimum afferret, quemadmodum Ioannes Picus ſollertiſſimè in hunc modum diſceptat. *b Si benè viuentem te homines laudant, porrò virtus hac tua, quatenus quidem virtus eſt, ſimilem te Chriſto facit, ſed quatenus*

a Serm. 18. in Pſal. 118. b Epiſt. 11. ad Fran. Nepot.

quatenus laudata eſt, facit diſſimilem, qui præmium ſuæ virtutis ab hominibus mortem Crucis accepit. Propter quod & Deus, a *inquit Apoſtolus,* exaltauit eum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. *Optabilius igitur crucifigi à mundo, vt exalteris à Deo, quàm exaltari à mundo, vt iudiceris à Deo. Ille enim crucifigit ad vitam, hic exaltat ad gloriam: ille exaltat ad caſum, hic iudicat ad gehennam. Denique ſi tibi mundus applaudit, fieri vix poteſt, vt virtus (quæ tota ſurſum erecta, ſolum Deum debet habere cui placeat) plaudenti ſe paulisper hominum gratiæ non inclinet, & ſi de ſuâ etiam integritate non perdit, perdit tamen de præmio, quod quum in terris incipit perſolui, vbi omnia ſunt exigua, minus erit in cælo, vbi omnia ſunt immenſa.* Quamobrem in huiuſmodi virtutum ſtadio Deus hinc noſtram vtilitatem, illinc proximorum emolumentum ſpectauit, vtrumque autem vnà ita coagmentauit, ac temperauit, vt vita hæc noſtra alternis veluti paſſibus, quemadmodum b loquitur Paulus, incederet *per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam,* noſque ipſi, *ſicut qui ignoti, & cogniti; & ſeductores, & tamen veraces.*

a *Philip* 2. b 2.*Corinth.*6.

Num. 8. *Religioſorum obtrectatores diuinitus puniti, etiam in hac vitâ.*

At licet Deus obtrectatorum, & conuiciatorum improbitate Religioſas familias, ad earum incrementum, nobilitatem ac ſplendorem augendum fodicari, excruciarique permittat, illorum tamen tantum ſcelus non propterea inultum, in hac vitâ etiam non rarò, ne dum in alterâ, abire ſinit. Quàm celeres enim execrandæ in D. Benedicti Ordinē molitionis pœnas Florenti⁹ ille turbidus, qui ſubitâ tecti ruinâ miſerè oppreſſus eſt, vt memo-

riæ proditum eſt, luit? Quàm graui multâ Gulielmus in DD. Dominicum & Franciſcum, eorumque Alumnos nefariè iniurioſus, haud ita multò poſt multatus, non ſolùm validiſſimo opere *contra impugnantes Dei cultum & Religionem* à S. Thomâ elucubrato planè iugulatus eſt, ſed ab Alexandro quoque huius nominis IV. Summo Pontifice Romam accitus, in publico *Cardinalium* conſeſſu, vtrâque pro ſuâ, Deiq; causâ adnitente familiâ, conuictus, damnatuſque, tũ ipſius liber in omniũ conſpectu igni traditus, ipſe verò eius Auctor & Eccleſiaſtici Ordinis functione, & omnibus præterea reditibus exutus, nec non à Ludouico Rege, vt accepimus, perpetuò totâ Galliâ interdictus eſt? Quàm benignè demum nobis, vt interim de cæteris ſupplicijs, quibus in aliorum Ordinum calumniatores diuinitus animaduerſum eſt, nihil præterea memorem, Dei numen tempori adfuit, *Cuius certâ atque illuſtri prouidentiâ*, ait Platus noſter, a *effectum* eſt, *vt noſtri*, Ignatio parente adhuc ſuperſtite, *primùm honorificâ Iudicum ſententiâ ab omni ſuſpicione eximerentur; deinde omnes illi tam turpis calumniæ auctores ſuâ quiſque pœnâ mulctarentur, vnus in exilium actus, alter paulò poſt morbo conſumptus, cum magnâ teſtificatione doloris ob hoc factum: tertij, quum malè ſibi de hæreſi conſcius fugiſſet, ſtatua publicè combuſta; quartus item ob hæreſim perpetuo carceri addictus: vltimus ad Lutheranos, quod ipſum fuit ſupplicium grauiſſimum ſe recepit?*

a *In Proœmio lib. 1. de bono ſtatûs.*

Num. 9 *Diuinæ bonitatis cum dæmonis malitiâ, circa Religioſos Ordines pugna.*

Ex quibus ſat liquet, ſi hos alioſquẽ euentus componere velimus, infinitam Dei bonitatem

cum

eum dæmonis incredibili malitiâ circa Religioſos Ordines ſemper pugnâſſe, illam quidem in iis erigendis, ornandis, ſtabiliendis; hanc verò in oppugnandis, conuellendis, omniq́ue machinationum inſtrumento infeſtandis; ita tamen, vt victoriâ potita ſit, quæ tanto maior ac ſuperior eſt, Dei benignitas, & potentia, cuius interfuit, hoc opus ſuum, & tale præſertim opus ſcuto bonæ voluntatis ſuæ, vt rectè inibi idem Platus, tueri.

Num. 10. *Reprehenſi, qui Religioſorum calumniatoribus credunt.*

Hinc ego ſecurus animi, quotquot mortalium famoſis mendaciſſimorum hominum libellis in Religioſas familias, aut viros editis, aut quibuſcunque aliis procellis in eoſdem concitatis mouentur, facileq́ue eiuſmodi veteratoribus, ac rabulis credulos oculos atque aures præbent, honorificamq́ue de famulorum virtute exiſtimationem apud ſe nutare, vel obſcurari temerè patiuntur (vt in præſentiâ Calumniatores ipſos ac Momos diſſimulem) vadimonium obire atque in ius ambulare iubeo. Ipſum vulgus profeſtum, profanumq́ue, & quâuis aurâ mobilius, quid ſentiat, haud equidem moror. Ventri ſcilicet atque abdomini natum, nulliſq́ue bonarum artium adminiculis fultum, vt mentem habet in ollis ac lancibus plerumque occupatam, ita iudicium de rerum honeſtate ac veritate, nonniſi pingue & iurulentum, ferre poteſt. At illos ego hic alloquor, qui de turbâ ſubductos ſe volunt, qui altiùs ſtare ſe putant, qui ſuſtinere ſe conſueuerunt, qui rationis ductui parére ſe, cunctaq́ue æquitatis trutinâ expenderé, vel ad virtutis regulâ exigere cupiunt, aut iactant. Ab huiuſmodi enim viris fidem improbis obtrectatoribus ſtatim haberi, infamiæq́ue ſuſpicionem

de innocentibus illico arripi, quàm indignum, quàm iniquum? quàm turpe? vbi enim prudentia? vbi Chriſtiani authoramenti recordatio? vbi humanitatis officium? vbi diuini ſuis in ſeruis periclitandis moris ſolenne? Flagrare perditorum hominum inuidiâ, maledictis & conuicijs ab ijſdem proſcindi, prima Chriſtiani viri teſſera eſt. Num hanc agnoſcitis? an aſpernamini? Si non agnoſcitis, quomodo vos de grege Chriſti, Chriſtianæ exortes fidei? Sin aſpernamini, quî rationis compotes? Chriſtus Religioſorum virtutem, dum eos ſuorum purpurâ ludibriorum induit, amanter probat, & coronat: vos eapropter infortunatos illos, ac veluti Reipublicæ eiectamenta cenſetis? ô animas fœdè mundi luto aſperſas, vel planè obrutas! ô brutas, pecudinaſq; ingenij grunnientis aut rudentis cogitationes. Quouſque tandem ſermonem Dei, verba Spiritûs, linguam cæleſtis patriæ, obesâ intelligentiâ, non percipitis: An non Diuina lex, Diuinum ſcitum, & cæleſte Senatuſconſultum Apoſtolicâ vulgatum tubâ eſt, a *Per multas tribulationes oportere intrare in regnum Dei?* Et vos adhuc delicias, adhuc fauorabilem plaudentis popelli auram captatis? Imò verò ſi ſapitis, ſi Spiritum Chriſti calletis, ſi teſtatum Dei placitum, Sanctorumque communem ſententiam non irridetis: pro Chriſto non pati, detrimentum eſt, condemnati, atque abdicati propudium.

a *Act.* 14.

Num. II. *Exhortatio ad ærumnas Chriſti gratiâ fortiter tolerandas.*

Huc etiam peramanter eos omnes Religioſos viros inuito, qui hominum inſectationes vulgatoſque in ſe calumniarum libellos imbecillo, abiectoque animo expaueſcunt, ac veluti maiora Tartareę arcis tormenta ſuum in caput exonerata opinati,

nati, extemplo conſternantur, in Dei prælio per ignauum ſilentium receptui derepente canunt, terga præclaris laboribus ſtrenuè alioqui ſubeundis ac proſequendis effœminatè vertunt. Heus vos *a Domeſtici Dei, & Ciues Sanctorum, ſuperadificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*; itane veſtro nomini, veſtræque dignitati turpem adeò notam dedecoris imprimitis? ob leuiſſimos obloquentium rumuſculos Dei cauſſas deſeritis? ne potentū vultus exaſperetis, corruptelis aliorum conniuetis? Si quid turbellæ aduerſæ in animarum procuratione excitetur, huic nuncium continuò remittitis? Si minuſculo digito increpuerint fores, illico exanimati concidistis? Tam perculſo, tam puſillo, tam molli ingenio ſeruorum Dei munus dehoneſtatis? tam ſeruiliter, muliebriterque facitis? hiccíne ille magnus ſpiritus veſtris Patriarchis, à quibus genus vos ducere gloriamini, dignus? iſne rerum humanarum contemptus, quem ab illis didiciſtis? hæccíne firmitudo pectoris in perrumpendis difficultatibus, vorandiſque moleſtijs, quam teſtamento illi vobis legârunt? Eia oculos aliquando in cælum erigite, proſapiam Sanctorum, à quibus proſeminati eſtis, recognoſcite, quam in militiam vocati ſitis, aut cui Duci, Chriſto nimirum in crucem acto, nomen dederitis, recogitate. Verùm quia mea apud vos oratio minus ponderis, Patres Religioſiſſimi, iure habitura eſt, Diuinam planè Sapientiſſimi Illuſtriſſimique Viri Ioannis Pici adhortationem mutuatus, hiſce verbis vos omnes venerabundus alloquor.

a *Epheſ.* 2.

Num. 12. *Ad propoſitum noſtrum aurea Pici verba.*

a *Gaudeamus & nos, ſi tantâ apud Deum gloriâ digni ſumus, vt eius gloria in ignominiâ noſtrâ manifeſtetur,*

a *Epiſt.* 11.

ſtetur, & ſi quid à mundo durum patimur, ac moleſtum, dulciſſima illa Domini vox nos conſoletur: a Si vos mundus odio habet, ſcitote quia priorem me vobis odio habuit. *Si mundus illũ odio habuit, per quem factus eſt mundus, nos viliſſimi homunciones, &, ſi flagitia noſtra penſitemus, digniſſimi omnibus vſque adeò probris, ſi quis detrahat, ſi quis maledicat, ægrè feremus; vt ne ille malè dicat, malè agere ipſi incipiamus? Excipiamus hac potiùs alacres maledicta, & ſi non ea felicitas noſtra eſt, vt pro virtute, pro veritate, quemadmodum olim Heroës noſtri, verbera, vincula, carceres, gladios, ſuſtineamus; ſatis nobiſcum benè actum putemus, ſi vel conuicia hominum improborum, detractiones, odia patiamur, ne omni nobis merendi occaſione ſublatâ, præmij etiam ſpes reliqua nulla ſit. Felices contumeliæ, quæ tutos nos reddunt, ne aut iuſtitiæ flos peſtifero inanis gloriæ flatu marceſcat, aut popularis rumuſculi vano authoramento æternitatis ſtipendia nobis minuantur. Amplectamur fili, has contumelias, & de ſolâ ignominiâ crucis Domini fideles ſerui ſanctiſſimâ ambitione ſuperbiamus.* b Prædicamus, *inquit*, Chriſtum crucifixum, Hebræis quidem ſcandalum, gentibus ſtultitiam, nobis autem Dei virtutem & ſapientiam. *Sapientia iſta mundi, ſtultitia eſt apud Deum, & ſtultitia Chriſti illa eſt, quæ Sapientiam vincit mundi, per quam placuit Deo ſaluos facere credentes. Si inſanos eos eſſe non dubitas, qui virtuti detrahunt tuæ, & Chriſtianam vitam, hoc eſt, ſapientiam inſaniam vocant; cogita, quanta tua eſſet inſania, inſanorum iudicio à recta vita inſtituto dimoueri, quum error omnis emendatione tollendus, non imitatione augendus ſit. Hinniant illi, baubentur, allatrent; tu cœptum perge iter intrepidus, & de illorum nequitiâ, atque miſeriâ, quantum ipſe debeas Deo, perpende, qui ſedentem in vmbrâ mortis illuminauit, & de illorũ Cœtu tranſlatum, qui in denſiſſimis tenebris deuij, huc illuc ſine duce bacchantur, filijs lucis aſſociauit.*

Num.

a *Ioan.* 15. b 1. *Cor.* 2.

Num. 13. *His Pici verbis non auſcultare piaculum eſt.*

Hæc Ioannes ille Picus Mirandulanus, quanquam profanos inter principes ſuo in ſtatu cenſus, minimè tamen profanus, ſed diuinâ initiatus Sapientiâ, ad fratris filium, ex normâ prorſus Chriſtianæ Philoſophiæ rectè inſtituendum, memoriæ olim præclariſſimè mandauit. At cuncta hæc, nónne Religioſum quemque virum, niſi mentem erecto animo in Cælo figat, & conuiciorum, contumeliarum, inſectationum, ærumnarumque omnium turbines immoto pectore deſpiciat, ac rideat; in ſuperno illo Dei iudicio acriter accuſabunt, grauiter percellent, incredibili rubore ſuffundent? Felix qui tempeſtiuè ſapit, ne intempeſtiuè ac fruſtra reſipiat.

Cap. III.

Societas Iesu pertinaciſſima Gaſparis Scioppij erga ſe odia non modò ſorbet, ſed longâ etiam patientiâ concoquit.

Num. 1. *Scioppius præcipuus Ieſuitarum inſectator.*

VErùm inter omnes, quotquot Ordinem noſtrum ab initio acerbè vehementérque vexârunt, nemo, quod ſciam, meliùs, hoc quidem nomine de Societate noſtrâ, ac Ieſuitis meritus eſt, nemo vberiorem patientiæ ſegetem nobis ſuppeditat, adeoque opimiore dono nos impertit, quàm Gaſpar Scioppius, noſter Semei, noſtri maſtix egregius, noſtri obtrectator palmarius. Nam

quum

quum is ex Hæreticorum popinis, in quibus natus eſt, ſibi excedendum, atque in Romanæ portum Eccleſiæ traiectu fortunatiſſimo confugiendum exiſtimâſſet; capitale illud, & plus quàm Vatinianum odium, quo incorruptæ perduelles religionis, hoc eſt, Hæretici, noſtros in homines flagrant impotentiſſimè, nunquam à ſe vnà cum reliquis erroribus poſitum, nunquam cum eiuratâ hæreſi ſibi ex animo expectoratū, argumentis vllis ſatis perſuaſit. Quin imò ſubinde etiam præ ſe non obſcurè tulit eundem liuoris priſtini ac ſimultatis titionem ſemiuſtulatum adhuc fumantemque, medullitus ſibi inhærere. Quippe in ſuo illo, quod anno cIↃIↃCII. biennio videlicet poſt ſuam ad *Orthodoxos* migrationem conſcripſit, *Satyrico*, aures ſtatim Ieſuitis abs ſe de quibuſdam nugis vulſas, liberè teſtatus *a* eſt, ne dicam etiam gloriatus. At Ieſuitæ id ludibrij inſuper habuerunt, neque contra quicquam reponendum putârunt. Tum ille *Elementa Philoſophiæ Stoicæ* Moguntiæ poſt id temporis anno cIↃIↃCXII. in lucem edidit, in quibus non paucos de noſtrâ Societate perſpicuè ijs Sophiſtis comparat, quibus, *b* inquit, *Dij ne ſiuerint, vt quiſquam vel hoſpitum eò inſaniæ deueniat, vt adhæreſcens perdi ſe patiatur. Eorum quippe conſuetudinem certam illorum, qui eos ſectantur, peſtem eſſe. Inſanire iuuenes, qui argentum illis afferunt, atque his etiam deteriores eſſe, ſi qui illos, quorum cura ad ſe pertinet, ijſdem committant. Omnium poſtremò inſaniſſimas eſſe illas Ciuitates, quæ illos recipiunt, nec furcis expellunt.* Atque hic fuit, Chriſtiane Lector, Scioppij ab Hæreſi ad Chriſti Domini ſigna tranſeuntis fructus tum præcipuus, catum piumque valde de Ieſuitis è Chriſtianâ republicâ eijciendis conſilium, mortalium nullis, quàm ipſis Hæreticis gratius, aut fauorabilius. Quibus etſi tam magnis

laceſ-

a *In Scaligero pag. 92.* b *Pag. 22.*

laceſſita probris Societas, ea tamen ſtylo, vt conſultor adeò inconſultus probè commeruerat, vlta non eſt, ſed conſtanti ſilentio cuncta inuoluit.

Num. 2. *Oſtenditur hoc ex varijs eius libellis.*

At ille tanto hinc ad inſultandum promptior, non multo poſt anno ſcilicet proximo CIↃIↃCVII. Moguntiæ itidem *Scaligerum* ſuum *Hypobolimæum* publicat, in quo apertè *a* ſignificat, *à ſe neque conſilia, & mores multorum Ieſuitarum, nec Societatis in ſcholis docendi rationem probari.* Quemadmodum ipſemet de ſemetipſo in *Pædiâ* quoque *humanarum ac diuinarum litterarum* diſertè *b* commemorat. In eodem autem *Hypobolimæo* nonnullos inter familiæ noſtræ Patres indoctiores, ac proinde inſolentiores cenſeri non *c* inficiatur; Ieſuitas omnes ſibi Veneris inſtar vitandos denunciat; conuicia autem omnia in Ieſuitas ab eorum hoſtibus effuſa ita à mendacio non abhorrere non abnuit, vt annuenti propior *d* videatur; nihil penſi habens, tam flagitioſi venenum exempli, animi ſcilicet viris Deo ſacratis tam aduerſi vlcus, Hæretico homini Ioſepho Scaligero, in quem eo in opere ſcribebat, nectar omnino gratiſſimum, eiuſmodi ſermocinatione propinare. Quid verò Societas ad hæc inhoneſta dicteria impactaque ſibi dedecora? Quanto aurita magis, tanto taciturnior, ſeſe elinguem præbet. Ne hiſcit quidem. At ne hilum quidem etiam proficit. Nam hanc noſtram è ſtudio modeſtiæ imperatam taciturnitatem idem rabula in argumentum datæ ſibi ad calumniandum impunitatis ducens, *Amphotidas* deinde ſuas anno CIↃIↃCXI. Nanceij emittit, in quibus noſtris hominibus exprobrat, *quòd alicubi parùm ex formulâ*

a *Pag.* 145. b *Pag.* 31. c *Pag.* 145. d *Pag.* 147.

mulâ viuant, nec Regulam Conditoris ſui Ignatij ſatis obſeruent, & Principum negotijs plus, quàm par ſit, implicentur. Portentum ingens! En tertius de cœlo noſtrâ hâc tempeſtate cecîdit Cato, Ieſuitarum cenſurâ famoſus. Cæterùm neque ad hæc opprobramenta, nullo alioqui negotio difflanda, verbum vllum Societas facere, neque ſtylum, quo non carebat, acuere, ſed nihil prorſus mutire. At Scioppius noſtrâ tolerantiâ factus in dies audacior, poſt id locorum *Paradoxa Literaria* anno CIↃIↃCXXVIII. Mediolani foras dat, in *a* quibus *Ieſuitas inſignis ſtoliditatis arguit, partim quòd pueros Grammaticæ præcepta priùs diſcere poſtulent, quàm illi linguam Latinam intelligant, partim quòd eas Regulas pueris in Grammaticâ obtrudant, quas mendoſas & fallaces eſſe ipſi earum inuentores agnoſcunt.* Quia tamen Societas noſtra, quamuis tot proritata conuicijs, nihil contra mouit: ecce tibi ſub idem ferè tempus anno nempe CIↃIↃCXXVIII. & ſequenti, Eâdem in vrbe Mediolani complures alios libros, *Grammaticam Philoſophicam, Mercurium bilinguem, Rudimenta, & Auctarium Grammaticæ Philoſophicæ, Diſſertationemq́; de Rhetoricis Exercitationibus* peruulgat: in quibus *noſtros, qui pueris nondum Latina verba intelligentibus Latinam Grammaticam præcipiunt,* *b* ſcribit eſſe, vt clementiſſimè dicat, ridiculos ac perineptos: ac generatim *c* Gymnaſiorum noſtrorum Moderatores Magiſtroſque elephanti corio circumtectos docere; barbaros ab eis ſcriptores ſuis diſcipulis ad Linguam Latinam comparandam proponi, alia piacula vberis virgindemiæ minimè indigna ab iiſdem perpetrari; eoſdem etiam aliarum religioſarum ſodalitatum contemptores eſſe, illoto ore pronunciat: nominatim autem Petro Maffeio, Andreæ Schotto, Famiano

Stradæ,

a *Pag.* 80 *& in Pædia pag.* 32. b *In Rudiment. pag* 216. c *In Auctario Grammaticæ.*

Stradæ, alijſque è noſtrâ Societate viris, cultiſſimæ dictionis elegantiâ commendatis, ceu imperitis, Grammaticæque artis ignaris procaciter illudit.

Num. 3. *Laceſſita Societas obmuteſcit.*

Iam quid hîc aget Societas, quæ arma, quas vineas, quos clypeos ad tam feroces aſſultus reijciendos depromet? illa, quæ tam multas, neque inſtrenuas in ſui hoſtes nominis Apologias centuriauit; illa, quæ tot palmas, de ſuis Aduerſarijs veritatis luce perſtrictis & profligatis partas, circumfert; illa, quæ tot veteranos atque emeritos in ſole ac puluere, aduerſus ſuæ obtrectatores famæ, exercitatos numerat; nullúmne, qui effrænatæ iſti maledicendi ſcientiæ ſecurim inijciat, in aciem euocabit? nullum ne nutu quidem ſuo armabit, aut ſaltem animabit? Nullum, Lector, nullum prorſus; ſed tota ad religioſæ patientiæ exemplum (quo vno, homini olim Hæretico, ad Catholicæ poſteà Religionis vexillum traducto præluceendum cenſuit) tota ad eximiæ moderationis documentum, quo eundem frangeret, compoſita; nullam ſibi expoſtulationis vocem exprimi, vel acceptarum à ſe iniuriarum mentionem in literas ire permiſit, ſed perdiu impune oblatrantem bacchantemque pacatiſſimè tulit. Et tamen Scioppius in ſuis illis Grammaticorum tumultuum machinamentis id nouum maximè conatus eſt, vt Societatis noſtræ vniuerſa Gymnaſia funditus euerteret, atque vt huc quàm dexterè graſſaretur, ad aures menteſque hominum pellaci faſcino hebetandas, atque excantandas, compluribus locis confidentiſſimè exprobrare non dubitauit; Iuuentutem à nobis peruersè imbui; Grammaticam noſtris

ſtris in ſcholis mendacem, turpem, Reique publicæ pernicioſam explicari; pueros vix ſolido quinquennio noſtris à Præceptoribus, & quidem perperam diſcere, quæ intra vertentem ferè annum ex Scioppianis oraculis rectè, cumulateque vel ludibundi haurirent. Quid tum verò Societas? Vidit planè, vidit, quò iſtius Grammatici turbellæ collinearentur, quò pertinerent. Nihilominùs quanquam tot iſta contumelijs, ab indictâ ſibi ex amore crucis & pacis æquanimitate ac ſilentio ne tranſuerſum quidem vnguem diſcedit.

Num. 4. *Per Societatis patientiam, Scioppius tantò magis procax euadit.*

Intereà Scioppius noſtrâ indulgentiâ nihil omnino mitigatus, ſed tanto proteruiùs ad omnem procacitatem abuſus, non ſolùm in editis libris, verùm etiam in priuatis colloquutionibus noſtri exiſtimationem paſſim obterere; in domeſticis ædibus, in foro ac in plateis de Ieſuitarum noxijs ac maculis ſolemnes veluti ſcholas habere, circumfuſæque coronæ liberaliter venditare, ad librarias tabernas in virorum honeſtiſſimorum cœtibus circulatorem agere, temereque à propoſito digrediens in Societatis noſtræ intempeſtiuam vituperationem immani ſaltu repentè tranſilire; ſecundam noſtri Ordinis famam iniquis per totam vrbem, aut potiùs orbem rumoribus differre, de laudibus noſtrorum Auctorum cumulum deruere; ſi quid in nobis virtutis agnoſcant alij, inuidè detrectare; noſtrum inſtitutum, noſtras leges, noſtram docendi rationem, noſtra conſilia, noſtros labores inſolenter carpere, ſcurriliterque mordere. Quid plura? noſtri denique nominis, vbicunque demum terrarum ille diuerſatur, perpetuam

quan-

quandam carnificinam ore calamoque quàm duriſſimo exercere: atque hunc ludum, quem olim cœpit, ſiue in Italiâ, ſiue in Hiſpaniâ, ſiue in Germaniâ ſubſiſtat, perpetuò ludere. Atque hi potiſſimùm *ſermones illi de rebus diuinis extemporales ſunt* (quemadmodum ipſemet *a* gloriatur) *quos ex Scioppio audiunt, quibuſcunque cum eo cadere ſermones libet*: perennes nempe ac maleuolentiſſimæ obtrectationes in Religioſos è Societate IESV viros Diuino cultui deuotos ſubdolè conſutæ, ac petulanter intortæ. Et neque dum Societas expergiſceris? nondum tot dehoneſtamentorum plauſtris te oneratam, nondum te planè delaſſatam ingenuè fateris? Nondum arrepto ſtylo, obſtrepenti huic Cornici oculos configis? O ſingulare tuę erga tui hoſtes indefatigatę patientię monumentum! Ipſos ipſos, triginta, atque ampliùs, annos ab exordio probrorum in nos ingeſtorum, ab anno CIƆIƆCII. vſque ad annum CIƆIƆXXXIII. Scioppium quotidie magis magiſque inſanientem, omniaque ſimultatis exempla, quæcunque lingua aut ſcripto potuit, in nos edentem Societas ſemper tacita, nullaque tot opprobrijs redditâ vice, neque vllâ de tot ab eo litterarum æternitati mandatis iniurijs, perque hominum ora euntibus maledictis querelâ, in aliquo libro ab ſe editâ, humaniſſimè tolerauit.

a *In* Pædiâ *humanarum literarum pag.* 29.

Num. 5. *Societatis charitas in Scioppio beneficijs demerendo.*

Quid dico, tolerauit? imò verò ampliſſimis etiam laudibus, ac luculentis elogijs, quæ idemmet Scioppius *a* diligenter recitat, mirificè ornauit, prolixè commendauit, præclarè illuſtrauit;

a *In* Pædiâ *pag.* 33.

Quæ igitur erit fera tam effera, quàm humanitas tanta non cicuret? quod monſtrum adeò immite, quod lenitas tam æquabilis non molliat? At ô ſpes tuas omnes, Societas parens optima, inanes, atque irritas! ô vos omnes Socij, quotquot Scioppium veſtro teſtimonio decorâſtis, improbi ardelionis ſupercilio, fucoque inſigniter deceptos, & circumuentos! Æthiopi nigrorem, Crocodilo ſæuitiam, Tigridi inhumanitatem derrahi poſſe exiſtimâſtis. Scioppij cæcâ perturbatione æſtuantem animum Religiosâ veſtrâ manſuetudine ad modeſtiam, longâ tolerantiâ ad bonam frugem, candido obſequio ad ſanam mentem reuocatum iri ſperâſtis. Sed fruſtra. Maleficijs beneficia rependiſtis, calumnias præconijs compensâſtis, conuicijs officia charitatis remenſi eſtis: Quid lucrati? vt idem iſte Momus haud ita multo poſt, longè, quàm vnquam anteà, turbulentior, furibundæ inſtar Erynnis, ferale aduerſus vos claſſicum in Germaniâ caneret, Germaniæque Principes, quid Germaniæ? Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, Orbiſque Chriſtiani vniuerſi Reges omnes, ac Duces, in vos ſeditioſiſſimè concitaret. Nam quis tam multiplices, famoſos, infameſque libellos omni turpitudinum cœno, omnibus fabularum ſordibus, omni contumeliarum impudentiâ inquinatiſſimos in Ieſuitarum dedecus, niſi Scioppius, euomuit? Id antequam teſſeris omnino exploratis vinco, præſtat, eorum omnium ſyllabum, quomodo inſcripti, & quando, quibúſue interdum infucati nominibus, in lucem prodierint, deſcribere.

Num. 6. *Libelli famoſi à Scioppio in Ieſuitas editi.*

I. *Catechiſmus Patris Schereri*, manuſcriptus tantùm; anno CIↃIↃCXXXII.

II.

II. *Actio Perduellionis in Ieſuitas S. R. Imperij hoſtes, Auctore Philoxeno Melandro* an. CIↃIↃCXXXII.

III. *Flagellum Ieſuiticum.* eodem anno.

IV. *Colloquium inter Paulum V. Papam, Philippum Hiſpaniæ Regem, & Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, ex Ieſuitarum Monacenſium, & Ingolſtadienſium Secretis Conſilijs inſtitutum.* Quod etſi Scioppius iam anno CIↃIↃCVIII. conſcripſerat, tamen ante quàm Suecicum bellum laxaret fræna licentiæ, opportunam eulgandi occaſionem non habuit: ac propterea anno dumtaxat CIↃIↃCXXXII. publicatum eſt.

V. *Myſteria Patrum Societatis* IESV anno CIↃIↃC XXXIII.

VI. *Ieſuita exenteratus* ſecundùm annum CIↃIↃC XXXIII.

Circa hos autem Libros obſeruandum I. eſt, omnes eſſe Germanicâ linguâ ſcriptos. II. Nomen loci, vbi editi ſunt, in eis ſupprimi. III. In nonnullis pro genuino nomine Scioppij alia commentitia, vt Patris Schereri, & Philoxeni Melandri ſupponi. IV. In ijſdem Scioppium, vt notauit Forerus, vel palàm ſe Lutheri aſſeclam profiteri, vel reapſe oſtendere.

Latinè verò exarati alij Libelli, eâdem propè tempeſtate ab eodem Scioppio proſeminati ſunt.

VII. *Anatomia Societatis* IESV, anno CIↃIↃC XXXIII.

VIII. *Conſultatio Fr. Iuniperi de Anconâ Minoritæ,* anno CIↃIↃCXXXIV.

IX. *Fr. Ludouici Soteli Relatio de Eccleſiæ Iaponicæ ſtatu,* anno eodem.

X. *Alphonſi de Vargas Toletani Relatio,* anno CIↃIↃCXXXV.

XI. *Arcana Societatis, cum appendicibus vtiliſſimis.* eodem anno. In quibus Scioppius diuerſa ſibi nomina, Fortunij Galindi, Auguſtini

Ardhingelli, Bernardini Giraldi, Danielisque Hoſpitalij pro varijs, quæ fingit, quaſi diuerſorum eſſent, Opuſculis, quum tamen vnius ſint, per bellam ludificationem impoſuit.

Vbi locorum hi libri omnes excuſi ſint, Lector, ne quærito; Lucifugus enim Scioppius ac tenebrio indicari vetuit, qui & proprium nomen tot fictorum nominum laruis inuolutum voluit; paſſus tamen, vt in ſuo fine fraude appareret.

XII. *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, anno CIƆIƆCXXXIV;

Num. 4. *Illius in Ieſuitas odium ſe prodit ex ſcriptis.*

Hinc ſatis, opinor, dilucet, quod infra etiam *cap.* 14. §. 4. magis expendetur, quàm infenſus Societati noſtræ Scioppius ſit, quantoque noſtri odio exæſtuet: eo vel maximè, quòd, quis hoc tempore toto de grege Hæreticorum noſtros rabidè magis, quàm ipſe inſectatus ſit, porroque inſectetur, totamque Erebi & furiarum noctem in nos enixiùs euocet, effundatque, nemo facilè diuinauerit.

Num. 5. *Sed probra inde ingeſta cum plauſu excipiuntur.*

At ego inſolito tripudians gaudio, non me amplius teneo, quin ijſdem ferè vocibus lætitiæ plenis, quibus Andreas Apoſtolus crucem, probroſos iſtos Scioppij Libellos excipiam, gaudioque ouans exclamem: Saluete pretioſæ Redemptoris mei chlamydes. Saluete torques aurei, & propria Ieſu mei illuſi, exploſi, cæſi, & conſputati inſignia. Saluete cœli flores, operumque egregiorum ſtrenæ perennes; Saluete virtutum teſſeræ, æternæque

patriæ

patriæ certa, & rata pignora. Iam tibi, Societas Mater noſtra, ex animo gratulor, quòd te in præſens Chriſti Domini verè ſociam, quando digna habita iam es, quæ pro eo contumelias patiaris, probas maximè. O te fortunatam, quæ eandem prærogatiuam, quâ reliqui omnes Religioſi Ordines potiuntur, vt inſectatorum calumnijs pro Ieſu tuo traducaris, feliciter quoque es conſecuta! Núnc te Chriſto ſummopere cordi eſſe animaduerto, quum ille ærumnarum ſuarum calicem tecum liberaliter adeo participet. Vos porrò omnes, quibus hæc ſermocinandi ratio è Chriſti Domini arcanis petita, adhuc ignota eſt, à D. Auguſtino *a* eam diſcite, ſæpius apud vos reputantes, non *mirum eſſe, ſi homines ſerui Dei detrahunt, & qui eorum vitam peruertere non poſſunt, famam decolorare conantur, quum ipſum Deum, & Dominum eorum quotidie blaſphemare non ceſſent, quum eis diſplicet, quicquid contra eorum voluntatem iuſto, & occulto iudicio facit. Vnde exhortor prudentiam veſtram, Domini dilectiſsimi, meritoq́ honorandi Fratres, vt Scripturam Dei, qui hac omnia prænuntiauit, & aduersùs ea nos firmos eſſe debere præmonuit, contra hominum maledica vaniloquia, ſuſpicionesq́ temerarias, corde Chriſtianiſsime cogitetis.*

a *Epiſt.* 136.

CAP. IV.

Demonſtratur Gaſparem Scioppium famoſorum libellorum eſſe Auctorem.

Num. 1. *Fucus Scioppij auertendus.*

Verùm ne quis propudioſos codicillos, Chriſtiano indignos viro, paulò antè recitatos,

temerè Scioppio à me fuiſſe adſcriptos, iure ſuſpicetur; nunc valida argumenta in aciem mihi ſunt educenda, vt fucus omnis, quem ille in tot librorum nominibus comminiſcendis improbè fecit, depellatur, laruaque ſubdolo ludioni tandem aliquando detrahatur. Cæterùm quia duplicis generis machinæ, aliæ grauium coniecturarum, aliæ ſolidiorum rationum ac tabularum preſto ſunt; hic illas tantùm, mox iſtas quàm planiſſimè perſtringam.

Num. 2. *Cur Ieſuitarum euerſio propoſita.*

Inprimis verò ſedulò animaduertendum, arcteque tenendum moneo, in omnibus modò recenſitis libellis illud Auctori, quicunque is demum ſit, propoſitum eſſe præcipuè, fixúmque, vt Societatem Ieſu, & Ieſuitas ſugillet, carpat, infamet, atque etiam, ſi annuant Superi, homineſque, funditus euertat, quemadmodum ex eorum Lectione perſpicuum eſt, & Forerus pluribus in locis palàm oſtendit. a Quod ſanè propoſitum cum vetere illo, capitalique odio, quo Scioppius Ordinem noſtrum ſemper, vt proximè patefeci, proſecutus eſt, mirè concinit.

a *In Antimelandro, in Anatomiâ, in Mantiſſâ, in Proteo &c.*

Num. 3. *Librorum adulterina inſcriptio ſolemnis.*

Deinde ponendum eſt, Scioppio admodum eſſe familiare varios ſui ingenij, calamique fœtus ſuppoſititijs perſonatos nominibus, Theophili, puta, Sanctafidij, Paſcaſij Groſippi, Holofernii Krigſœderi, Oporini Grubinij, Chriſtiani Gottliebij,

liebij, Georgij Pomerij, Mariangeli à Fano, *a* alijſque ad genus luci committere, quod ne ipſe quidem diffitetur, & ſi fortè abnuat, nullo negotio reuinci poteſt. Specimen omnium ex vno, alteroùe, Lector, capito. In libello, qui huiuſmodi inſcriptionem præ ſe fert: *Gaſparis Scioppij Comitis à Clarâ Valle de Pædiâ humanarum ac diuinarum literarum*, Patauij typis Pauli Frambotri anno CIↃIↃCXXXVI. edito, in quo idem Scioppius complurium librorum, quos peruulgauit, Indicem conficit; inter cæteros, quos ceu à ſe lucubratos ſuamque prolem agnoſcit, *b* refert quoque *Mercurium bilinguem, Grammaticam Philoſophicam, Fragmentum de Exercitationibus Rhetoricis, Paradoxa Literaria*, omniaque hæc Opera Mediolani anno CIↃIↃCXXVIII. & CIↃIↃCXXIX. edita ait, quæ & ego perlegi, & vulgò proſtant. Sed nunquid Gaſparis Scioppij nomen præferunt? minimè, ſed Paſcaſij Groſippi. Rurſum eodem in libello *c de Pædiâ Auctarium Grammaticæ Philoſophicæ*, nec non *Rudimenta* eiuſdem Grammaticæ à ſe elaborata eâdemque in vrbe Mediolani anno CIↃIↃCXXIX. emiſſa tradit. Et tamen his non magis Scioppij nomen, quàm Plutonis aut Vulcani, ſed Mariani à Fano præſcriptum eſt. Denique in eodem libello *d Amphotidas*, anno CIↃIↃCXI. Nancei editas, velut ſuo de ſacco farinam, appellat Iam mentiar ego, ſi illæ *Amphotides* vnà cum *Mantiſſâ* Gaſpari Scioppio, ac non Oporino Grubinio in libri fronte aſſeruntur. Quo ficto nomine palliatus Scioppius, vt rectè Forerus, *e* Scioppio, hoc eſt, *ſibi ipſi epinicia gloriabundus compoſuit, laudesq́ immenſas cum incredibili aliorum contemptu affinxit.* Quid prætereà.

C 3 Num.

a *Forerus in Præf. Protei pag. 6. & in Append pag. 145.*
b *Pag* 13. 14. 15. c *Pag.* 14. d *Pag.* 31.
e *In Appendice Protei pag* 145.

Num. 4. *Scioppius Philippicas in Societatem meditatus.*

Viginti & ampliùs ſunt anni (inquit a idem Forerus) *quum non obſcurus rumor per Italiam atque Germaniam ijt, Grammaticum iſtum* (nempe Scioppium) *pluſquam Philippicas aut Verrinas in Societatem meditari, eumq; in finem vndique & vndique materiam corradere; quod vel ideò non abſimile videbatur vero, quia nemini latebat, quàm liberè & in familiaribus colloquijs ad amicos, & in euulgatis libris, atque ſcriptis epiſtolis, ad alios paſſim ille dicere ſoleret, ſibi in Societate quàm plurima diſplicere, ſeſe Ieſuitas nonniſi eminùs & de longinquo ſalutare.* Adde etiam, & vbique locorum, vt ſuperiore diſputatione docui, eum Societatis noſtræ hoſtem acerrimum, ore ac linguâ virulentiſſimâ ſe profitentem, nuſpiam non eſſe bene compertum.

a *In Præfat. Protei pag.*7.

Num. 5. *Confirmatur hoc ex Scioppij Epiſtolâ.*

Quid ſi iam ex Scioppianis verbis extorqueo, & domeſticum Scioppio eſſe *Typographum*, & fateri ipſum, à Se noſtrum Ordinem editis libellis oppugnatum? En tibi, Lector, eiuſdem Scioppij indubitatam Epiſtolam, quam anno cIↃIↃCXXXIII. Mediolani v. Iulij ad quendam Michaëlem Krafft Organicum, ſeu *Organœdum* & *Componiſtam*, vt vocant, VVeingartenſem hiſce verbis perſcripſit a

Cardinalis Infantis Præceptor, qui hîc eſt in Hiſpaniâ Ieſuitas ad Inquiſitionis tribunal multarum atrociſſimarum Hæreſeon reos egerat; tamquam Academiarum Salmanticenſis, Complutenſis & Vallis oleanum Procurator. Et nunc totus in eo eſt, vt eorum hæreſes,

a *Exſtat apud Forerum in Protei Appendice pag.*446.

hæreſes, fraudes, impoſturas & ſcelera Orbi vniuerſo patefaciat. Ieſuitæ extrema omnia fecerunt, vt eum ex Cardinalis familiâ expellerent, ſed irrito conatu. Imò quoties Ieſuitæ ad Cardinalem veniunt aliquid acturi, aduocatur Præceptor, vt eorum dicta examinet: Neſciunt itaque pauperes diaboli, quid debeant incipere. Wiſſen alſo die arme Teuffel nit/was ſie anfangen ſollen. Contra quos quidquid ego habueram, friuolum planè eſt, ſi cum ijs comparetur, quorum eos magiſter iſte Principis conuincit. Et cum octo primarijs Ieſuitarum publicè congreſſus, eos elingues & mutos reddidit.

Hic plurima mecum communicat, quæ mirificè erunt vſui, ac fortaſſis ipſe quoque ad me in Germaniam veniet, vt domi meæ libros ſuos edendos curet. Cupit ſibi conquiri, quidquid vndique in Ieſuitas exijt, quocunque idiomate, quam rem tibi curæ eſſe velim. Dn. N. Argentinâ afferendum curare poterit, quicquid ad rem pertinet, &c. Hactenus Scioppius.

Num. 4. *Euincitur, hanc Epiſtolam à Scioppio ſcriptam.*

Vnde verò conſtat, inquiet aliquis, hanc Epiſtolam eſſe verè Scioppij, & non ſuppoſititiam? ex eo nempe, quòd ipſius autographum Rauenſpurgi in dolio vnà cum trecentis *Anatomijs* Societatis, per vniuerſam Sueuiam diſſeminandis repertum fuit, vt teſtatur, [a] inquit Forerus, *Liber Conſiſtorij Stutgardiani, quem in manibus meis habeo, his verbis.* Epiſtola (*hæc Scioppij*) erat incluſa vaſi trecenta exemplaria Anatomiæ Soc. Ieſu continenti. Epiſtola in originali Biberaci in Bibliothecâ Dn. M. Melchioris Syluestri Eccardi, Miniſtri Eccleſiæ ibidem pri-

a *Ibid. pag.* 451.

maij, menſe Auguſto anno 1623 relicta eſt, *Epiſtola verò hæc præfixa ſequuntur ibidem.* Gaſpar Scioppius Comes à Claraualle, hæc ſubſequentia ad amicum quendam. In margine; Is eſt Michael Kraft Organœdus & Componiſta zu Weingarten. Iterum in margine: Ex autographo Gaſparis Scioppij Biberaci intercepto vom Herrn Obriſten Spercuter. *Ad illa vero verba:* Dn.N. Argentinâ afferendum curare poterit: *in margine quoque hac eſt gloſſa:* Mangoldus primarius ciuis Rauenſpurgenſis Euangelicus Vlmæ habitans. Hæc ex Forero, quæ ne cui obſcura ſint, notet Lector Biberacum, & Rauenſpurgum Sueuiæ, Stutgardum autem VVirtembergiæ eſſe vrbes.

Num. 7. *Expenditur hæc Epiſtola.*

In his porrò Scioppij litteris obſeruandum I. vt rectè monet idem Forerus, *a Eundem Scioppium Franciſco Roales Hiſpano* (quod eſt illius Præceptoris nomen) *Societatis ingrato hoſti valde familiarem fuiſſe, atque cum illo clandeſtinum fœdus & amicitiam ad mutua ferenda auxilia in oppugnatione Societatis iniſſe.* II. *Eundem Franciſcum Roales non de Rebus in Imperio Romano, ſed in Hiſpaniâ geſtis contra Ieſuitas* (quanquam infauſtis, vt mox narrabo, auibus) *dimicaſſe; ac proinde ei aſcribi non debere, ſed alij Auctori*, hoc eſt Scioppio, *quæ de rebus Germanicis Societati exprobrauit.* III. *Eundem Scioppium fateri ſe aliquid contra Ieſuitas habuiſſe, id eſt, typis euulgaſſe; videlicet in Actione perduellionis, Anatomiâ, & Myſterijs PP Societatis, quos libros iam tum in publicum emiſerat.* IV. *Ipſum confiteri quo-* que

a *Loc. cit. pag* 448.

que plurima, quæ à Franciſco Roales communicata ſunt, ſibi mirifrcè vſui; *id eſt, ſe illis vſurum in ijs libris, quos contra Ieſuitas typis adhuc cogitaret in publicum emittere.* Quod & præſtitit ſummâ fide, editis poſtmodum *Arcanis Societatis, conſultatione Fr. Iuniperi, Fr. Ludouici Soteli, & Alphonſi de Vargas Relationibus*; quæ omnia ſui in Ieſuitas ac veritatem odij mendaciſſima monumenta poſt annum CIƆIƆCXXXIII. quo eam Epiſtolam ad *Organicum* VVeingartenſem dederat, publicauit. V. *Eundem Scioppium eo tempore aut re ipsâ iam occultum, & Legibus vetitum Typographium in Germaniâ priuatim in ſuis adibus inſtituiſſe, aut de eodem inſtituendo iam fixum animo. & certum conſilium habuiſſe: quandoquidem Franciſco Roales ſuas ades in Germaniâ, ſuosq; furtiuos typos ad edendos libros tam beneuolè obtulit. Ex quo apparet vtrumque publicam cenſuram, quam Leges Ciuiles & Eccleſiaſticæ poſcunt, ſubterfugere, & deuitare voluiſſe.* VI. *Quum tanto ſtudio omnia, quæcunque aduersùs Societatem famoſa volumina produſſent, vterque ſibi conquiri & coëmi etiam per Hæreticos, & in locis Hæreticis voluerit, oſtendit quoque vterque, quas verſaret in pectore curas, quidúe in Societatem adhuc moliretur. Si ergo nunc veſpertilionum more circumuolitent eiuſmodi criminatrices chartæ, quis ambigere queat, quin ab iſtis auctoribus ſint profectæ?*

Num. 8 *Scioppij mendacium de Ieſuitis reuincitur.*

At extra omnem controuerſiam eſt, quod de Ieſuitis à Franciſco Roales publico in congreſſu victis, atque ad tribunal Inquiſitionis in Hiſpaniâ atrociſſimarum hæreſeon reis actis Scioppius ſuâ in Epiſtolâ memorat, meram ſycophantiam eſſe, merum mendacium. Cuius mendacij ac ne-

quiſitiæ teſtem, iudicem ac vindicem neminem alium, quàm ipſummet Generalem in omnibus Hiſpaniæ regnis Inquiſitorem, Illuſtriſſimum D. Antonium de Sotomaior ex inclyto Patrum Dominicanorum Ordine Archiepiſcopum Damaſcenorum appreſſo, à quo vnà cum toto Sanctæ Inquiſitionis Senatu, quum ei Franciſci Roales contra Societatem turbæ, famoſusque in illam editus libellus innotuiſſent, ad Societatis innocentiam tuendam idem libellus tanquam impius, calumnijs refertus, atque ab omni veritate alienus, anno cIɔIɔcxxxvi. Iulij xxx. Madriti publicâ auctoritate damnatus, intentatoque anathematis fulmine, ne quis eum ampliùs legere, aut retinere vel alium retinentem celare aut clam habere poſſit, ſeueriſſimè interdictus; nec non clitellario impoſitus iumento, perque vrbem à carnifice circumductus, atque eiuſdem carnificis manu in ignem publicè in plateâ coniectus, & combuſtus eſt. Quâ de re integram hiſtoriam ex Forero in fine *Mantiſſæ* infrà ad verbum à me recitatam inuenies. *a*

a *Cap* 15. §. 11.

Num. 9. *Alterum Scioppij mendacium de Franciſco Roales difflatum.*

Neque minùs falſum eſt, quòd Scioppius eâdem in Epiſtolâ de Franciſco Roales *Infantis Cardinalis* lateri ita hærente, vt nunquam ad hunc Ieſuitæ venire potuerint, quin ille, vt eorum dicta examinaret, aduocaretur, ridiculè comminiſcitur. Nam mendacij tam inconſulti teſtis omni exceptione maior foret ipſe, ſi viueret, Sereniſſimus *Infans*; ſunt verò adhuc præcipui illius Aulæ proceres etiamnum ſuperſtites: ad quem *Cardinalem* quum P. Fabritius Bamfus tum Prouincialis

noſtri

noſtri moderator, P. Ludouicus Porrus Prępoſitus, P. Otho Gorinus Rector, viri è Societate noſtrâ integerrimi, de atrocibus iniurijs ab eodem Roales Ordini noſtro factis expoſtulatū Mediolani abijſſent; & humaniſſimè auditi ſunt, & liberum ab impudentis calumniatoris pręſentiâ colloquiū nacti ſunt, & voti compotes regiâ benignitate dimiſſi ſunt: pauloque poſt Dux de Turſis *Infantis Cardinalis* nomine Patri Fabritio Bamfo, quem nominaui, tum Prouinciali renunciatum ad Domum profeſſam acceſſit, ſui iuſſu Principis Franciſcum Roales è ſuâ familiâ eſſe amandatum. Quin etiam quum eius facinora ad Philippum I V. Hiſpaniæ Regem poſtmodum fuiſſent delata, à legitimis Iudicibus Societatis noſtræ innocentiâ compertâ, idem Roales non ſolùm *Cardinalis* magiſterio abdicatus, atque ex aulâ expulſus, verùm etiam toto Hiſpaniæ ſolo proſcriptus, omni iure patriæ orbatus, cunctis exutus Sacerdotijs, atque ad alia deinceps adipiſcenda inhabilis denunciatus eſt. Diſcat igitur, velit, nolit, Scioppius, Ieſuitas, quid deberent incipere in tam ſpiſsâ calumniarum nube, minimè fuiſſe ignaros, ſed cœpta etiam contra calumniatorem feliciter perfeciſſe.

10. Num. *Teſtimonium Nuncij Apoſtolici*, *&* Cardinalis, *de Scioppij in Societatem libellis.*

At quod de famoſis libellis contra Societatem à Scioppio emiſſis, alijſque emittendis ex Scioppianæ Epiſtolæ verbis oſtendi, alio inſuper teſte, eoque locupletiſſimo, ac penitùs ineluctabili confirmo. Is eſt Eminentiſſimus *Cardinalis* Antonius Barberinus, qui vbi iniquas Scioppij in Ordinem noſtrum machinationes famâ ad Summi Pontificis, & Eminentiſſimorum Patrum aures perue-

niſſe intellexit, pro ſuo publici boni ſtudio has ad Illuſtriſſimum Nuntium Apoſtolicum apud Helvetios literas dedit. *a*

a *Extat apud Forerum in Protes Appendice pag.* 419.

Molto Illre e Revmo

Molto Illuſtre e Reverendiſſimo Signore, come fratello. Sono pur troppo inquieti gli ſpiriti di Gaſparo Scioppio, & ſi rende molto oſtinato nel volere con ſuoi ſcritti, che dà alle ſtampe ſotto finti nomi, lacerare la fama de Padri Gieſuiti. Hà pero N. Signore con ſenſo di diſpiacere veduto i titoli di quelli che pur hoggi cerca d' imprimere, che voſtra ſignoria hà inuiati quà, è col parere di queſtri miei Eminentiſſimi hà commandato, che vſcendo alla luce ſiano prohibiti dalla S. Congregatione dell' Indice, come opere di ſuppoſto Autore, Et il ſignore la proſperi ſempre, e conſervi. Di Roma li 8. *di Decembre* 1635.

Di V. S.

Come fratello affettionatiſſimo

A C. Barberino.

Latinè ad verbum redditæ apud Forerum ſic habent. *a*

Perilluſtris & Reverendiſſime Domine, tamquam frater! Gaſparis Scioppij ſpiritus nimis quàm inquieti ſunt; & videtur obſtinaſſe, ad lacerandam ſcriptis ſuis, quæ ſub fictis nominibus evulgat, Patrum Ieſuitarum famam. Eorum proinde, quæ in hodiernum diem ſtudet imprimere, titulos à Dominatione Veſtrâ huc tranſmiſſos, Sanctiſſimus D. N. cum ſenſu diſplicentiæ vidit; & ex meorum Eminentiſſimorum ſententiâ mandavit, vt in lucem edita, tamquam ſuppoſititij Auctoris opera, à S Congregatione Indicis prohiberen-

liberentur. Deus Dominationem Veſtram proſperet ſemper, & conſeruet. Romæ VIII. *Decembris,* CIↃIↃCXXXV.

Dominationi veſtræ

Tamquam frater addictiſſimus

A. C. Barberinus.

Ex quibus literis perſpicuum eſt, Scioppium editis iam libellis famam Ieſuitarum laceráſſe, atque in hodiernum diem alijs edendis in eorundem probrum operam dare. Cui accedit, *quod certo itidem conſtat* (inquit *a* Forerus) *ex literis* VIII. *Decembris anno* CIↃ IↃCXXXV. *Romá datis, atteſtante id etiam Eminentiſſimo quodam Cardinale, cuius nomen ſubticeo, eundem Grammaticum* (hoc eſt Scioppium) *circa idem tempus in quadam Ciuitate Italiæ non parùm laboráſſe, vt in infamiam Societatis liber ab ipſo conſcriptus, typis euulgaretur, ſed reiectum eſſe.* Addo præterea fide digniſſimis teſtibus, mihi, imò & vulgò compertiſſimum eſſe, Scioppium ſub idem prorſus tempus, Lugani in Heluetiorum Catholico oppido omnem lapidem moniſſe, vt infamem contra Societatem librum, cui erat titulus, *Infamia Societatis Ieſu,* in lucem daret. Verùm quum Catholicus Magiſtratus id ſe permiſſurum negâſſet, niſi librum priùs Epiſcopus Comenſis, in cuius Diœceſi Luganum eſt, cenſuiſſet, atque approbâſſet: Scioppius illico abſcedens Salodium, quod Venetæ ditionis oppidum prope Brixiam eſt, vt in eo eundem flagitioſum libellum, quem Lugani non poterat, typis publicaret, conceſſit. At hîc quoque aduerſam expertus remoram, ſcelus perficere vetitus eſt.

a Ibid. pag. 441.

Cap. V.

Quorum nominatim libellorum infamium Scioppius ſit Auctor, dilucidè oſtenditur.

Num. 1. *Propoſitio quæſtionis.*

REdegi hactenus, Lector, Scioppium eas ad anguſtias, vt aliquos à ſe libros contra Ordinem noſtrum ſcriptos vulgatoſque, ſaluo pudore, inficiari non poſſit. Nunc mihi firmis prætereà argumentis pugnandum eſt, eundem Scioppium illorum quoque vndecim mendaciſſimorum libellorum, quos anteà enumeraui, fabrum germaniſſimum eſſe atque Auctorem. Quod ego prælium nullo negotio ita conficio.

Num. 2. *Scioppius Auctor famoſorum libellorum in Ieſuitas proditur, ex teſtimonio ipſius, & aliorum.*

Inprimis ex Scioppij litteris Mediolani v. Iulij cIↃIↃcxxxiii. & Eminentiſſimi *Cardinalis* Antonij Barberini Romæ viii. Decembr. cIↃIↃcxxxv. datis, pauloque ante recitatis conſtat, ſub eandem tempeſtatem, ac ſuperiores proximè annos, puta ab anno cIↃIↃcxxxi. vſque ad cIↃIↃcxxxvi. aliquos famoſos libellos ab eodem Scioppio contra Ieſuitas fuiſſe editos, & quidem in Germaniâ, vt ex iiſdem Eminentiſſimi Barberini literis ad Nuncium apud Heluetios ſcriptis, & ex alijs, quæ ſubijciam, documentis non obſcurè elicitur. Atqui toto illo annorum decurſu ſpatioque nulli in Germaniâ contra Societatem famoſi libelli, commentitijs

mentitijs laruati nominibus, Ieſuitarumq; famam lacerantes, ſine loci, vbi excuſi ſunt, appoſitione, præter vndecim illos ſuprà recenſitos, in lucem ſub fucatis nominibus, vt vulgo notiſſimum eſt, exierunt. Quis igitur iure dubitare poſſit, eorundem Architectum eſſe Scioppium?

Num. 3. *Scioppius, Ieſuitæ exenterati, & flagelli Ieſuitici faber.*

Deinde ſi vndecim hoſce libros diligenter expendas, deprehendes non eſſe vndecim, niſi nomine tenus, reapſe verò vnum dumtaxat. Qui tandem? Quia in omnibus eadem prorſus materia, idem omnino argumentum, idem finis, nempe Societatis noſtræ perpetua vituperatio, aut euerſio, eædem loquendi & conuiciandi formulæ, idem in Ieſuitas ſtomachus; eadem crimina ijſdem ac totidem verbis vbique noſtris exprobrata, eadem ſacrarum literarum loca, eadem corruptela, vt præter alium titulum, aliudque calumniarum additamentum, vix vnus liber ab altero ſecernatur. niſi fortè quòd alter Latinè, alter Germanicè ſcriptus eſt. Ac proinde ſi vnum iſtorum Scioppio adſcribendum reuicero, eâdem quoque operâ eidem, & cæteros neceſſariò tribuendos extorſero. Hac de cauſsâ de *Flagello Ieſuitico* nullum faciam verbum, quia idem prorſus eſt libellus, atque *Actio Perduellionis*, ſolâ inſcriptione diſtinctus, *Quâ fraude non pauci* (inquit Forerus *a*) *decepti ſunt, vt bis eundem librum emerent, rati ob diuerſitatem inſcriptionis etiam libros eſſe diuerſos.* Hinc etiam alia Scioppij fraus obſeruanda eſt, qui, vt quàm plurimos falleret, *Anatomiam Societatis Ieſu*, quam priore editione ſine vllo nomine extruſerat, confeſtim alterâ editione, *neſcio quâ in vrbe*

a *In Præfat. Protei pag.* 16.

urbe Gallia (quam ille ad ludibrium aurium Lubonum *appellat, ſub falſo nomine* Sanctij Galindi è Societate IESV *excudi ſubdolè procurauit*, vt idem Forerus *a* ſcribit, & quam ipſe afflauit peſtem, ex aliquo Ieſuitæ inſano calamo manâſſe, remis velisque perſuadere conatus eſt. Demum *Ieſuita exenteratus* ex *Anatomiâ Societatis Ieſu b* planè extractus, & concinnatus eſt, atque in Germanicam Linguam, quò ad ærariam quoq; plebem veneni pars ac malitiæ perueniret, conuerſus.

a *Pag.* 18. *ibidem.* b *Ibid pag.* 10.

Num 4. *Scioppius in Aſtrologiâ Eccleſiaſticâ ſeipſum prodidit.*

Sed poſitâ tandem laruâ atque perſonâ, comparuit aliquando *ex officinâ Sangeorianâ anno* 1634. *Gaſparis Scioppij Cæſarij & Regij Conſiliarij Aſtrologia Eccleſiaſtica, ad Ferdinandum II. Cæſ. Auguſt. Romanorum Imperatorem.* Nunc res in portu, ac ſalua eſt. Scioppius ex latebris in theatrum erepſit. iam in proſcenio eſt; iam ſine fuco & fallaciâ ſimulati nominis ſcribit, ac loquitur. At ecce ad poſtremum inopinatò murem in muſcipulâ. Nam ex hoc vno Scioppij libro, quem ipſemet ſuum eſſe ingenuâ ſemel inſcriptione profitetur, & in ſuorum librorum Indice, quem in ſuâ *Pædiâ* deſcribit; pag 21. iterum vt ſuum agnoſcit, ratione prorſus ineluctabili conficitur, eundem Scioppium & reliquorum omnium infamium libellorum, quorum ſæpius iam memini, verum ſatorem eſſe ac parentem. Quâ de re Forerum noſtrum initio Animaduerſionum in eandem Aſtrologiam Eccleſiaſticam Scioppij præclarè ſic philoſophantem accipe. *a*

Num.

a *In Protropag.* 318.

Num 5. *Eadem Aſtrologia, Scioppium aliarum quoque chartarum prodit Auctorem.*

Magnâ profectò, inquit, *admiratione affectus fui, quando Gaſparis Scioppij Eccleſiaſticam Aſtrologiam peruolutaui. Quocunque enim in ea oculos animumq́ conuerti, illic reperi certiſsima, clariſsimaq́ argumenta, ex quibus Auctor priorum famoſorum in Ieſuitas librorum, velut ex lucidiſsimo ſpeculo, eluxit. Admirationis autem cauſſa non fuit, quod nouum mihi videretur à Scioppio contra Societatem arma ſuſcipi; hoc namq́ dudum ille ſe facturum ſolitus eſt palàm gloriari: ſed quòd non puduerit ipſum, illa eadem, quæ in* Actione perduellionis, Anatomiâ Societatis, Conſultatione Fr. Iuniperi, *aliiſq́ id genus criminatricibus chartis, per omnes Europæ prouincias diſſeminata fuerunt, etiam in* Aſtrologiâ *ſuâ* Eccleſiaſticâ *ita repetere, vt detractâ caſside, iam apertè oſtenderit, ſe eſſe illum virum, qui omnium Ieſuitarum capita vnico ictu, ſi poſſit, demetere cupiat & amputare. Ad quod facinus eum Superos habiturum propitios ac volentes, nequaquam puto. Societas enim Dei opus eſt quod vnius hominis operâ & machinatione non tam facilè diſſoluetur. Intereà non exiguum rationis defectum, & grande vulnus capitis ſui demonſtrauit Scioppius. Si enim abſtinuiſſet manum ab hac Aſtrologiâ, fortè laborandum fuiſſet, vt omnibus perſuaderetur, illum eſſe earum calumniarum fabrum, quæ in tot peſtilentibus libellis iam à quadriennio ſunt per typos euulgatæ* (præſertim quia quo tempore hæc ſcripſit Forerus, nondum duæ illæ Eminentiſſimi *Cardinalis* Barberini, & Scioppij ipſius literæ, eorundem infamium libellorum iſtum ipſum Grammaticum haud ex vano reum peragentes, de quibus ſupra abundè ſatis, in manus eius peruenerant)

nerant) *Nunc autem poſtquam nimis perſpicuè ſe ipſum, nudato vultu, conſpiciendum dedit, ferè omnia, quæ anteà aduersùs Societatem prodierunt, denuò iiſdemq; propè verbis atque ſententijs in medium produxit, idemq; muſtum, toties de cupâ in cupam, de libro in librum transfuſum, denique in hanc Aſtrologiam velut in vltimum doliûm ſummâ diligentiâ corriuauit, profectò vi quadam potentiſſimâ coëgit vniuerſos credere, Scioppium eſſe eum, qui optimo maximo iure dici poſſit omnium iſtorum contumelioſorum voluminum Scriptor & Author.* Hæc Forerus.

Num. 6. *Scioppius tacitè fatetur ſe Auctorem libellorum in Ieſuitas.*

Neque eò confugiet Scioppius, vt mentiatur, quæ ſuâ in Aſtrologiâ ſcripſit, non de ſuo, ſed de alienorum librorum ære, improbis dominis à ſe improbiore ſcilicet plagiario ſuppilata dumtaxat, atque deſcripta. Quum enim elati adeò ſit ſupercilij, & innumerabilium propè librorum conditor audire velit; nunquam ſe pro imperito ſolùm eorum ſutore haberi patietur: & ſi patiatur, reclamabit ſtylus & ſexcenta alia argumenta, quæ hîc congero. Accedit, quòd, quum idem Scioppius à P. Laurentio Forero noſtro in *Antimelandro*. in *Antanatomia*, in *Mantiſſa*, in *Proteo* ſe velut infamium illorum libellorum certiſſimum Auctorem perſpicuis expingi coloribus intellexerit, nouerit, legerit; nunquam tamen, ne verbo quidem refragatus eſt: ac licet alios ſubinde libros poſteà emiſerit, nunquam tamen in illis hanc ſibi inuſtam notam eluit, neque vllo vnquam nutu ſibi eam immeritò adſpergi ſignificauit: quin nouis ſemper nouiſque infandis Satyris priores locupletans calumnias, gloriæ ſibi duxit, earum omnium ſe fabrum atque Auctorem perhiberi.

Hinc

Hinc multam huiuſmodi librorum vim pluribus in locis, etiam poſtquam Apoſtolico decreto iugulati ſunt, ipſemet ſuis diſtribuit manibus, neminique amicorum aut ſociorum in familiaribus colloquijs, quis eorum verus eſſet architectus, ſeipſum propalàm indicans, latêre permiſit.

Num. 7. *Anatomia præſertim Auctorem ſe prodit.*

Quid quod in editis etiam libris ſe nonnullorum eorundem Auctorem liberè teſtatus eſt? In *Pædiâ* pag. 13. fatetur, librum à ſe compoſitum, cui titulus ſit: *Examen diſciplinæ ſcholaſticæ Societatis Ieſu tam Morum, quàm diuinarum, & humanarum literarum ratione.* Et in eàdem *Pædiâ* pag. 18. in ſuorum cenſum librorum eum etiam refert, quem ita inſcribit; *Statera Religioſa, ſiue Examen operæ pretij Monachorum, & Ieſuitarum in procurandâ proximorum ſalute, vti ſcilicet Eccleſiæ, ac Reipub. vtiliores, magisq; neceſſarij videri debeant.* At quid eſt, obſecro, Lector candide, *Examen diſciplinæ ſcholaſticæ, tam morum, quàm literarum*; quid *Statera, ſiue Examen operæ pretij Monachorum, & Ieſuitarum*, quos libellos pro ſuis agnoſcit Scioppius, quàm ipſiſſima illa *Anatomia Societatis Ieſu, ſiue probatio ſpiritus Ieſuitarum*, quam anno cIↃIↃC XXXIII. ſuppreſſo Auctoris & Loci nomine, publicauit? Quod eo præſertim magis dilucet, quo in eàdem *Anatomia* totum illud *Examen* tam *diſciplinæ Scholaſticæ*, quàm *operæ pretij Ieſuitarum & Monachorum* minutatim deſcriptum cernitur, vt ipſam *Anatomiam*, & Foreri *Antanatomiam* legenti perſpectum eſt; ac propterea ſtipes omnino ſit, neceſſe eſt, qui & eandem *Anatomiam* à Scioppio ſatam, & ſolâ nomenclatione ab illâ *Staterâ*, & *Examine* diſtinctam non animaduertit.

Num.

Num. 8. *Hoc idem confirmatur.*

Confirmatur prætereà, quia Catalogus, qui quotannis de libris tum editis, tum edendis Francofurti excudi ſolet, de anno cIↃ.IↃCXXXIII. conſcriptus, inibique impenſis & typis Sigiſmundi Latomi impreſſus, titulus *de libris futuris nundinis prodituris*, illud ipſum *operæpretij* Scioppianum *examen*, de quo paulò antè, his verbis pollicetur: *Gaſparis Scioppij Cæſarii & Regij Conſiliarij Statera Religioſa, hoc eſt, examen operæpretij Monachorum, & Ieſuitarum in procuranda proximorum ſalute.* Excute nunc, Lector prudens, omnes librarias tabernas non Francofurti tantummodò, ſed totius etiam Germaniæ, Italiæ, Galliæ, atque Hiſpaniæ, & mentior, ſi ea *Statera Religioſa*, illâ ratione inſcripta vſquam gentium ad hanc vſque diem aliquando typis vulgata eſt. Cur verò illam Scioppius non peruulgauit, datamque fidem, & publico Francofurtenſi catalogo conteſtatam Germanicâ integritate non perſoluit; Diuinatio in promptu eſt, & cauſſa liquet. Nempe *Stateræ* illius atque *examinis* titulum in *Anatomiam Societatis Ieſu*, ſiue in *probationem ſpiritus Ieſuitarum*, commutauit, & quicquid eo in opere commentus fuerat, in famoſum hunc libellum non operosè tranſtulit, ſi translatum opus, vbi ſola tituli mutatio operi extrinſecus accidit, dici iure poteſt, ac non potiùs idem ipſúmque opus, diuerſo tantùm nomine infucatum, meritò cenſendum. Quare quum Scioppius anno cIↃIↃCXXXIII. *Anatomiam* emiſerit, huiuſmodi editione pollicitationi illi Francofurtenſis catalogi de *Religioſa Staterâ* foras dandâ cumulatè à ſe factum ſatis haud temerè exiſtimauit, nihil diſcriminis, niſi penes vocem, vtrumque inter librum, *Anatomiam*, & *Stateram* eſſe, optimè gnarus.

Num.

Num. 9. *Effugium precluditur Scioppio.*

Neque eſt, cur in vocum quali quali diſcrepantiâ, laquei inexplicabilis quærat ſolutionem. Nam quum Scioppio perantiquum ſuetumque ſit, eiuſdem prorſus libri titulos pro lubentiâ fallendique ingenio variare (vt in *Actione Perduellionis*, & *Flagello Ieſuitico*, quæ etſi diuerſa volumina videantur, ſolâ tamen inſcriptione, quemadmodum indicaui, differunt, ſatis exploratum eſt) hic planè eandem quoque fraudem vir verſipellis, ac minimè religioſus frauſus eſt. Geminum huic fucum in Grammaticâ etiam Scioppianâ videre eſt, quam Mediolani hoc inſignitam titulo publicæ luci anno CIↃ ↃCXXVIII. commiſit: *Grammatica Philoſophica pro Lingua Latinæ Magiſtris, & Tironibus, vt ſcilicet Tirones Magiſtri, Magiſtri autem Tirones fiant*. Huic Grammaticæ præmiſit, coniunxitque alium librum, quem eâdem in vrbe, eodemque anno cum huiuſmodi titulo edidit. *Mercurius Bilinguis, hoc eſt, noua, faciliſq. ratio Latinæ, vel Italicæ Linguæ, intra vertentem annum addiſcendæ.* Hoſce titulos poſtmodum in perexigui libelli Syllabo, quem idem Scioppius coagmentauit, *Foliumque Sibyllæ* nuncupauit, atque in Comitijs Ratiſponenſibus anno CIↃ.ↃCXXX. compluribus proceribus obtulit (quorum vnus Illuſtriſſimus Bertoldus *Comes* à VVolchenſtein exemplar ipſum ſibi ab eodémmet Scioppio porrectum, mihi Oeniponti poſt dono dedit) in hanc formam transformauit: *Gaſparis Scioppij Myſtagogus Latinitatis, hoc eſt, noua & compendioſa ratio Latinæ Linguæ intra vertentem annum penitùs pernoſcendæ, vt quis ſcilicet non modo Latina ſcripta intelligere, ſed ipſe etiam arti Grammaticæ congruenter, maioriq. cum certitudine ac fiduciâ ſcribere queat, quàm quiuis alius vel triginta:*

ginta annis in eius Linguæ ſtudio verſatus. Atqui huiuſmodi *Myſtagogus* ſolo nomine à Grammaticâ, & Mercurio bilingui eiuſdem Scioppij diſtat, in quibus idem circulator eadem omnia, quæ illic, ſe præſtaturum prolixè ſpondet. Ergo *examen* illud *Diſciplinæ Scholaſticæ Societatis Ieſu tam morum, quàm diuinarum & humanarum literarum*, & ea *Statera Religioſa operæpretij Monachorum & Ieſuitarum in procuranda proximorum ſalute* nihil aliud ſunt, quàm *Anatomia Societatis Ieſu, ſeu probatio Spiritus Ieſuitarum.*

Num. 10. *Scioppius alijs quoque indicijs vincitur.*

Præterea, vt rectè arguis Forerus, a *Qui obiter huius Grammatici libros peruolutarunt, ij facilè commeminerunt, quàm ſolenne illi antehac fuerit compendia dictis facere, rerumq́; tractandarum ſummam atque capita in Tabulas ordine quodam redigere.* Quare quum ad eundem prorſus modum concinnatæ Tabulæ ternæ & denæ in *Anatomia* viſantur, cui hæc niſi Scioppio adſcribenda eſt? Omitto iam, quod ſuſpicionem non leuem importat, trecenta huius Anatomiæ exemplaria vnà cum Scioppianæ Epiſtolæ autographo Biberaci, vt ſuprà vidimus, inuenta, per totam diſpergenda Sueuiam, niſi fuiſſent intercepta. Taceo eandem *Anatomiam* cuidam honeſtiſſimo & doctiſſimo viro (quem, quoties opus erit, nominare paratus ſum) Lugani ab eodem Scioppio fuiſſe obtruſum, atque ab illo non ſine indignatione, quòd religione vetaretur proſcriptum ab Apoſtolico Patrum Eminentiſſimorum Senatu librum legere, reiectam, vt ipſemet tum alijs, tum mihi etiam non ſemel narrauit. Prætereo eandem corruptelam

a *In præf Protei pag. 19.*

lam loci illius Eccleſiaſtici: *Eſt vir aſtutus multorum eruditor* &c. tam in Anatomiâ *pag.* 74. quàm in *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, *cap.*4. *pag.*15. exſtare, vt optimè demonſtrat Forerus in *Anatomia, ſect.*1 *num.*5. & in *Proteo pag.*347.

Num. 11. *Scioppius Auctor Perduellionis: & Myſteriorum Patrum Societatis Ieſu: & Conſultationis Fr. Iuniperi.*

Denique qui plura hoc de argumento cupit, eundem Forerum *ſect* 1. *Anatomiæ* conſulat, vbi fusè probat ab vno eodemque parente tam *Actionem Perduellionis*, quàm *Anatomiam* fuiſſe fabricatam, in *Antimelandro* autem priùs docuerat eius Actionis Auctorem eſſe Scioppium.

Rurſum idem Forerus *ſect.* 1, 2. & 3. *Mantiſſa* oſtendit ab eodem Scioppio, & *Myſteria Patrum Societatis Ieſu*, & *Fratris Iuniperi Conſultationem*, & *Fratris Sotelli Relationem*, alrosque libellos contra Societatem fuiſſe proſeminatos.

Quæ manifeſta veritas, ne cui obſcura ancepsúe ſit, pauca quædam ex illâ Mantiſsâ Foreri huc aduocabo, in anteceſſum denuncians, vbi Forerus, ſuppreſſo Scioppij nomine, Grammaticum eum appellat, à me nomen proprium Scioppij, ne cui Lectori hiſce in libris minùs verſato aqua hæreat, aut dubitandi anſa præbeatur, expreſſum iri. Sic igitur Forerus *ſect.*2. *Mantiſſa, pag.*76.

Num. 12 *Oſtenditur idipſum.*

Sine ambagibus dico, ante biennium circiter, tum Veldkirchij, tum Raperſuilæ in Heluetia moratus eſt Scioppius, homo profanus, qui vt apertè confeſſus eſt, & non negauit *ſe libros contra Societatem lucubrare,*

cubrare, ita etiam in publicis priuatisq́ colloquijs maximâ lingua effrenatione atque intemperantia (ante & poſtquam ipſi libri famoſi, editi ſunt) ea dicere tum in Ieſuitas, tum in alios, frequenter ſolitus eſt: quæ in Actione Perduellionis, *quaq́ in* Academiâ, *ac* Conſultatione Fr. Iuniperi *modò clariſſimè expreſſa leguntur; vt plurimi teſtantur, & mihi nuperrimè quum per aliquot dies Veldkyrchij hoſpitatus fuiſſem, homines fide digniſſimi retulerunt: à quibus teſtimonium publica authoritate firmatum, me impetrare poſſe nihil ambigo. Inter alia autem ibidem valde ſæpe, verboſa ſermonis affluentia, in Epiſcopos acerbè inuehi, eosq́ turpiter neglecti ſui officij incuſare atque traducere ſolitabat, quod plures* Epiſcopatus *retinerent, nec tamen Sacerdotio initiarentur. Hoc ipſiſſimum ſanè ita vehementer Lectorum auribus inculcat Conſultationis Auctor pag. 54. & 62 vt quin ex illo eodem marſupio depromptum id fuerit, dubitare me nulla ratio ſinat; præſertim ſi replicem memoriam eorum, quæ ego ipſe ex ore eiuſdem Scioppij quum alibi, tum maximè in Comitijs Ratiſponenſibus anno* CIↃ ІↃCXXX. *quo tempore ei eram familiarior, audiui; vbi non ſolum mihi partem ſuarum lucubrationum oſtendit: ſed etiam ex ijs quædam de Epiſcopis, de Principibus, & Confeſſariis Principum legit, quæ nunc ad verbum hinc inde* Conſultationi Fratris Iuniperi *inſerta, maximo argumento ſunt, iſtam* Conſultationem *à nullo Franciſcano, ſed ab eodem illo Auctore fictam, pictam, ſcriptam, & in publicum diſperſam eſſe, non ſine prægrandi iniuria Sanctiſſimo Franciſcanorum Ordini illata.*

Num. 13. *Argumenta Scioppiani in Ieſuitas odij.*

Palàm quoque & indubiè conſtat multis, qui Scioppij notitiam habent, eum à longo tempore Societati Ieſu etiam atque etiam infenſum fuiſſe; complura in Societatis inſtituto, præſertim modum gubernandi Patris Generalis, mordaciter carpſiſſe; Rationem & viam, quam Ieſuitæ in erudienda iuuentute ſequuntur, vehementer improbaſſe, & ea de cauſſa nouam Grammaticam, quæ typis deſcripta prodijt, fabricaſſe; erga Patrem Bernardinum Caſtorium Collegij Germanici Romæ Rectorem, apertum & inexpiabile odium geſſiſſe. In Confeſſarios Principum, ſæpe atrociter debacchatum eſſe; Societatem Reformatione valde indigere dictitaſſe; librum Commentitium Marianæ per Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, ſicum circumtuliſſe, & alijs legendum exhibuiſſe; de Societatis laboribus in India ſiniſtrè locutum eſſe. Quanta verò verborum vehementia tractantur & agitantur in Actione Perduellionis, *in* Anatomiâ Societatis, *in* Conſultatione Fratris Iuniperi, *hæc ipſa argumenta?*

Honoratiſſimus vir, qui, quum opus fuerit, nominabitur, teſtatus eſt, ſe vidiſſe literas ab eodem Scioppio ante biennium circiter ad amicum Veldkirchium exaratas, quibus ſignificauerit, ſe quietem nullam capturum, donec videat Ieſuitas exulatum e toto Imperio abijſſe. An non hic eſt ſcopus præcipuus omnium iſtorum libellorum?

Num. 14. *Apologia Nicolai Carmelitæ à Scioppio edita.*

Teſtes locupletiſſimi ſunt, qui dicunt, librum illum Carmelitæ Nicolai à Ieſu Maria, cuius titulus eſt,

Apologia perfectionis &c. *exaſperandos aliorum Ordinum animos aduersùs Societatem, opera eiuſdem Scioppij, Rauenſpurgi, prælo Typographico anno* CIↃIↃCXXXI. *ſubiectum, & ſingulari admonitione ad Lectorem auctum. Hunc verò ipſum librum quantis laudibus efferunt* Actio Perduellionis, Anatomia, *&* Fratris Iuniperi Conſultatio?

Si ſtylus tam Latinus in Anatomiâ, *&* Conſultatione, *quàm Germanicus in* Actione Perduellionis, *&* Myſterijs Societatis Ieſu, *attentiùs conſideretur, atque cum alijs libris Scioppij (qui ſunt plerìſque noti) conferatur, clamabunt omnes apices, eodem parente ſe non minùs gaudere, quàm Verrinas & Philippicas, Lalium & Catonem. Siue enim ipſam dictionem ſpectes, inuenies vbique eaſdem omnino, & quidem huic Auctori proprias, atque inuſitatè peregrinas phraſes; ſiue modum tractandi materias ad trutinam penſes, iurabis omnia eodem ſanguine calere, eadem anima viuere, eundem genium ſpectare, cuius rei adſtipulatores me habiturum confido omnes doctos.*

Num. 15. *Catechiſmus Scherero affictus à Scioppio.*

Dynaſtes quidam in Sueuia, magnæ & perilluſtris familiæ, ante tres annos ſanctè affirmauit, idoneos teſtes produci poſſe, qui teſtentur, prope Rauenſpurgum, ab eodem Scioppio (qui tunc in illis partibus moratus eſt) libellum quendam infamem, & in S. Cæſaream Maieſtatem, Electores Catholicos, eorumq; Confeſſarios ſummè contumelioſum, Germanicéque ſcriptum, ſub titulo Catechiſmi Schereri, diſſeminatum fuiſſe: quē etiam addidit, ſi à S. Cæſarea Maieſtate in Auctorem hunc inquirere iuſſus eſſet, quemadmodum ſe promptum paratúmque obtulit, ſe nihil dubitare, quin coluptum in latebris ſuis deprehenſurus fuiſſet. Addit alibi

hac de re idem Forerus: a *Quod haud dubiè factum fuiſſet ſi Suecicus turbo non interueniſſet.* Pergit verò in Mantiſſâ Forerus: *Continebat autem* Catechiſmus *ille magnam partem eorum, quæ poſteà in* Actione Perduellionis, *in* Anatomiâ, *& denique in iſta* Conſultatione Fratris Iuniperi *prodierunt. Ergóne adhuc dubitare quis poteſt de Auctore?*

a *In Præf. Protei pag.* 14.

Num 16. *Actio Perduellionis à Scioppio conflata.*

Non multò poſt antequàm per typos in vulgus exiret Actio Perduellionis, *quum quodam Iuriſconſulto diſputationem ingreſſus eſt Veldkirchij Scioppius, fuerintne tempore Caroli M. Religioſi S. Benedicti ſoliti carnibus veſci, an non? quum abnueret Iureconſultus, ei magnis cum clamoribus obluctatus eſt Scioppius, hoc telo vſus* Ex Metropoli Saliburgenſi H. ndij liquere eâ tempeſtate, quo Carolus M. vixit, Monachos Benedictinos iure venandi in multis locis præditos fuiſſe: Igitur illos etiam tunc carnes comedi:ſſe. *Paulò poſt alibi me conuênit iſte Iureconſultus, & diſputationis huius ſeriem narrauit: ignarus quo tenderet argumentum. Tandem quum produſſet* Act.o Perduellionis, *vidimus ambo pag.* 20. *eiuſdem, quorſum ſpectarit illa diſceptatio; quum eo loco* in terminis, *vt loquuntur, id vnum agatur, vt Lectori ex Hundij Metropoli perſuadeatur, quod Scioppius conatus eſt huic Iuriſconſulto perſuadere: vnde vtrique noſtrum de Auctore infamis libri coniecturam facere, haudquaquam difficile fuit.*

Quum admodum Reuerendo & Ampliſſimo Domino

no Zacharia Furtenbach, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtæ Decano, B M ſummi iudicij viro, & à plurimis annis Scioppio familiaritate coniuncto, diceret amicorum aliquis, rumorem ſpargi, Actione n Perduellionis *in Ieſuitas eſſe à Scioppio conſcriptam, & in publicum emiſſam, conatus eſt ab illo, quantum potuit, hanc ſuſpicionem amoliri, dixitq; , ſe credere omnino, innocentem eſſe: quamuis nondum legiſſet librum: ubi verò nactus eſt exemplar, illúdque lectitando peruolutauit, liberè faſſus eſt, ſe quidem prius Scioppium excuſaſſe; nunc poſtquam legerit ſcriptum, & ſimul meminerit eorum, quæ antehac ex ipſo dicta audiiſſet, nolle ſe iurare, manus illius eſſe ab hac noxia liberas. Id teſtantur comperttſſimæ fidei homines.*

Num. 17. *Actio Perduellionis Scioppiana Tiguri edita.*

Grauis præterea Religioſus Ordinis S. Benedicti, è monaſterio valde celebri, retulit die 4. *Auguſti anno* CIϽIϽCXXXII. *Halæ coram Reuerendiſſimo, & Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Domino Henrico, Epiſcopo Auguſtano, certiſſimis teſtimonijs planum fieri poſſe, Scioppium Raperſuuilæ in Heluetia ſtatim atque à Tigurino prælo anno* CIϽIϽCXXXII. *liberata fuit* Actio Perduellionis. *complura illius exemplaria hinc inde diſtribuiſſe, palámque & in plateis contentiſſima voce laudaſſe, ac contra Ieſuitas horrendum in modum declamitaſſe, adeò vt eos Turcis, & Tartaris dixerit eſſe deteriores, & funditus extirpandos. Atque hæc, quæ voce teſtificatus eſt iſte Religioſus, poſteà per literas V. Septemb. eiuſdē anni Halam ad me datas, repetita confeſſione ſtabiliuit, in quibus addit ſe certum habere, ab eodem Scioppio* Actionem Perduellionis *eo tempore diuerſis Abbatibus oblatam, & magnopere commendatam fuiſſe, è quorum numero vnus diſertè affirmauerit,*

manserit, Scioppium eſſe huius Actionis Perduellioni *Auctorem, & Scriptorem.*

Num, 18 *Anatomia Societatis, fœtus Scioppij.*

Teſtatur etiam quidam S. R. I. Eccleſiaſticus Princeps, ſibi ab Abbate quodam dictum eſſe Anatomiam Societatis *citra omnem dubitationem, eſſe einſdemmet Scioppij Opus: quemadmodum ad me datis literis 24. Ian. anno* CIↃIↃCXXXIV. *ſignificauit quoque Religioſus quidam Ordinis S. Benedicti his verbis:* Anatomia, quam certò compoſuit Melander (*Scioppius*) nuper in manus noſtras venit. Iudico peſtilentiſſimum & inter famoſos libellos iure optimo damnandum. Faſſus eſt nuper Abbas (N. N.) Profeſſus Monaſterij (N.) à Scioppio compoſitam, & vt audio, plura meditatur.

Alius etiam optimæ notæ Religioſus in Tiroli faſſus eſt, ſibi duos viros Equeſtris Ordinis in Aula Sereniſſima Archiduciſſæ *Oeniponte, notos eſſe, quipro certiſſimo affirment Scioppium eſſe* Anatomiæ Societatis *Auctorem; quamuis ipſe nihil dubitet, quin etiam idem ſcripſerit* Actionem Perduellionis.

Doctor quidam Iuris ſic ſcripſit in literis 10. *Ianuar.* CIↃIↃCXXXIV. *Oeniponte ad me datis:* Libellorum illorum Famoſorum Famoſum Scioppium Auctorem eſſe, meo iudicio tam manifeſtum eſt, vt neſciam, quibus alijs argumentis ad eam rem demonſtrandam opus ſit. Sed & illis, qui de eo antehac dubitarunt, ſcrupulus iam exemptus videtur.

Num. 19. *Actio Perduellionis à Scioppio.*

Alius quidam Magnificus & Honoratiſſimus Dominus teſtatur, ſe cum viro nobili in Decembri, anno CIↃIↃCXXXIII. *apud quendam Miniſtrum Sereniſſimæ Archiduciſſæ Claudiæ Halæ ad Oenum, cœnaſſe: inter alia autem mentionem de* Actione Perduellionis *factam, atque motam quæſtionem eſſe, quis ſit illius Auctor? Tum illum miniſtrum vltro faſſum eſſe, ante non multum temporis ſibi adfuiſſe quendam Religioſum Ordinis Sancti Benedicti (Confeſſarium alicuius* Generalis militiæ*) qui intrepidè diſertéq; affirmauerit, ſe Auctorem* Actionis Perduellionis *optimè nouiſſe: eum virum eſſe (vt ille loquebatur)* horrendè & ſupra modum doctum, *atque Catholicum: quum autem peteretur nomen illius Auctoris, dixit, ſibi illud è memoria excidiſſe, quod ſit à Germanica lingua alienum. Interrogante autem nonnemine, ánne ita vocaretur, ſicuti vocatur Grammaticus noſter? (*nempe Scioppius*) Confeſtim prona capitis inclinatione annuit, & dixit, hoc eſſe ipſiſſimum nomen illius, ita fuiſſe ab illo Religioſo Confeſſario appellatum.* Hactenus Forerus.

Num. 20. *Scioppius Auctor Conſultationis Fratris Iuniperi.*

Adde etiam, quæ Commentitius Iuniperus, hoc eſt, verus Scioppius pag. 75. de Theologia *Eriſtica* & *Didactica*, ſeu *Didaſcalica* recoquit, eſſe prorſus illa eadem, quæ idemmet Scioppius in ſuo *Eccleſiaſtico* pag. 120. pag. 437. priùs coxerat, & quidem tam claris verbis, vt nemo, cui librum vtrumque conferre inter ſe libitum fuerit, poſſit de Auctore dubitare.

Demum

Demum quid de eodem argumento egregius ex Ordine S. Benedicti Monachus in Epiſtolâ ad P. VVilibaldum Panger Collegij noſtri Lucernenſis tunc Rectorem exaratâ, quam recitat Forerus, *a* ſcribat, audiamus. Narrat primò longam diſputationem, quæ ſibi cum Scioppio, ſuo coram *Abbate*, alijsque viris interceſſit; deinde ſubdit; *Denique quum palàm conuictus abs me fuiſſet (* ſcilicet Scioppius*) nomen Fratris Iuniperi de Ancona fictitium, at verò Scioppium calumnioſæ illius farraginis Auctorem eſſe; & multa ille tum in meam inſcitiam, tum in Capuccinorum ſimplicitatem garriuiſſet, in hæc verba mentem reſolui Vtinam per ſanctam obedientiam confutatio libellorum Scioppianorum mihi incumberet? publicis illum typis aggrederer. Abſoluto dein conuiuio, in quo Dominus Abbas, optimus ſenex, vel ideò maximè oppoſitiones meas probauit, ne cum Reuerendis Patribus ſuis, qui omnes aderant, adeò famoſis criminationibus applauſiſſe, aut tacendo conſenſiſſe videretur: Idem Scioppius contra me abſentem grauiter conqueſtus eſt, quod ei tot nominibus de Ordine noſtro præclarè, vt putat, merito tam audacter in faciem ſim oblocutus.* Cuius ſcilicet Ordinis gratiâ multa idem ipſe Momus contra Societatem noſtram ſcripſerat. Quaſi verò ſplendidiſſimus ille Ordo tot mendacijs, dolis, calumnijs, ſacrarumque literarum adulterijs, quæ Scioppianus calamus portentoſè enixus eſt, ad ſuum illuſtrandum nomen, quod ſuâmet luce iam clariſſimum eſt, indigeret.

a *In Appendice Protei pag.* 438.

Num. 21. *Arcana Societatis* IESV *à Scioppio fabricata.*

Venio ad *Arcana Societatis Ieſu*, quæ etſi ex allatis quum rationibus, tum teſtimonijs, Scioppij

opus eſſe, minimè arcanum, ſed vulgatum iam, planeque perfectum eſt; nihilominùs ſi quis adhuc ambigit, ſcrupulum ei omnem euellet Foreri noſtri Grammaticus Proteus, quem vir ille doctiſſimus ad eorum *Arcanorum* detegenda propudia elaborauit; in eoque latebram omnem doloſo præſtigiatori penitùs intercluſit. Specimen ego dumtaxat vnum alterúmue ex illo in præſens excerpo. In *Aſtrologia Eccleſiaſtica* pag 84. Scioppius *intrepidè fatetur*, inquit idem Forerus, *a ſe non ita pridem Ezechiæ Regis, & Caroli Craſſi exemplo Cæſari per literas demonſtraſſe, rem omnibus Regnis atque Imperijs noxioſiſſimam, ac planè fatalem eſſe, ſi vlli alteri Ordini, quàm cui dicatum eſt, ſub prætextu maioris boni monaſterium concedatur, &c.* Quæ gemina Ezechiæ & Craſſi exempla inculcat pariter ad eandem rem perſuadendam, in *Arcanis*, pag. 79. & 85. notiſſimumque eſt, idem *argumentum ab eodem Scioppio in omnibus quoque compitis, triuijs & conuiuijs, vt teſtes fide digni aſſeuerant, ad raucitatem vſque aduersùs Imperatorem, & Ieſuitas creberrimè declamitari.* Rurſum in iiſdem *Arcanis pag* 143. eoſdem ſolœciſmos ac barbariſmos Petro Maffeio, & Famiano Stradæ noſtris (quamquam iniuriâ) impingit, quos tum in ſuâ Grammaticâ Philoſophicâ, tum in Diſſertatione de Rhetoricis Exercitationibus iiſdem viris antea ingeſſerat; de quibus copioſè ego in meâ *Nouacula*. Denique adiungo aliud magni momenti documentum, de quo ita Forerus: b *Habetur quoque indubitatum Reſidentis cuiuſdam Veneti ad quendam Reuerendiſſimum & Illuſtriſſimum Legatum teſtimonium, quo ſignificat, Scioppium edere Geneuæ librum contra Societatem, in eoq; iuſtitiam decreti, quo Senatus Venetus Societatem è ſuis terris exire iuſſit, defendere. Verba illius Reſidentis hæc ſunt:* Certus fio opus Sciop-

pij

a *In Proteo pag.* 161. b *In Appendice Protei pag* 461.

pij Geneuæ contra Ieſuitas typis mandari: necdum tamen cognitus habetur titulus: interim mihi videtur, quod ſuſceperit defendendas Actiones Reipub. Venetæ in expellendis iiſdem de ſuo ſtatu, in eumque finem producat rationes, publicando intima ſecreta eius Religionis. *Huic autem aſſenſationi reſpondit poſteà euentus, vt videre eſt in Arcanis Societatis*: in quem librum Scioppius coniecit opuſculum cum huiuſmodi inſcriptione: Bernardini Giraldi Patauini pro Senatu Veneto Apologia, ſiue de Iuſtitiâ decreti, quo Senatus Venetus Adoleſcentes ditioni ſuæ ſubiectos, ad Ieſuitarum ſcholas accedere interdixit.

Num. 22. *Relatio Alphonſi de Vargas à Scioppio compoſita.*

Poſtremo quod ad *Relationem Alphonſi de Vargas* attinet, quæ eſt vltima, quantum ſcio, vipera, à Scioppij ſinu atque odio in Ieſuitas intorta: compluribus argumentis vincit Forerus in Protei Appendice, a quam aduersùs eam *Relationem* attexuit, hanc tam eſſe eiuſdem Scioppij prolem indubitatam quàm omnes reliquos peſtilentes libros anteà falſis adulteratos nominibus, luce donatos. E quo illa libâſſe ſufficiat. *Teſtes*, inquit, b *fide digniſſimos habeo, eundem Scioppium, cùm anno proxime ſuperiore* CIↃIↃCXXXV. *pridie Aſſumptæ in cælum Virginis, Italiam petiturus, Lucernam in Heluetia veniſſet, poſteriorem huius ipſius famoſi libri* (nempe Relationis Vargianæ) *partem cuidam Domino*

D 5

a *Pag.* 431. b *Pag.* 432.

mino legendam dediſſe, atque vt eam mitteret Baſileam ad Typos, quo iam partem priorem miſerat, vel ipſemet (vti ſpargebatur) cuidam Apoſtatæ Mediolanenſi ibi tradiderat, commendaſſe Cui etiam accedit, *Sciopium* tum temporis *Baſileæ fuiſſe, & cum primario quodam rabulâ, Lucio nomine (qui antehac etiam Germanico libro valde peſtilente Societatem impugnauit) non tantùm familiariter egiſſe, ſed in eius domo etiam hoſpitio exceptum, atque per complures dies commoratum eſſe,* quemadmodum idem Pater Forerus in literis ad me Landſpergæ 21. Iulij, anno ↀ.ↄↄcxxxix. perſcriptis teſtatur, idque & teſtatiſſimum, & certiſſimum eſſe affirmat.

Num. 21. *Relationum Vargianarum exemplaria à Bibliopolâ Hæretico ad Scioppium miſſa.*

Id ipſum luculenter eo quoque documento confirmatur, quòd duæ ciſtæ libris refertæ, & Baſileâ Lucernam, vt in Italiam deportarentur, miſſæ, eodem menſe Iulio, atque anno ↀ.ↄↄcxxxix. in eâdem Lucernæ vrbe cum huiuſmodi inſcriptione extrinſecùs, ſeu ſigno G. † S. hoc eſt, Gaſpari Scioppio, repertæ ſunt. Quum autem aperirentur, multa in illis exemplaria etiam Alphonſi de Vargas, vnà cum literis à Bibliopolâ ſcriptis deprehenſa ſunt. Quâ de re Illuſtriſſimus Farneſius, Archiepiſcopus Patrianus, atque apud Heluetios Apoſtolicus Nuntius certior factus, quum iam illos libros fuiſſe aſportatos intellexiſſet, literas illico ad D. Aloyſium Moroſinum Lugani Vicarium, vt appellant, *Foraneum,* vt eos illac tranſituros interciperet, dedit, quarum literarum exemplum ipſum Italicum hîc ſyllabatim deſcriptum exhibeo.

Illuſtre

*Illuſtre e molto R^do^ Sig^re^*

Già con altra mia accennai à V. S. che doueuano capitar coſtì in Caſa del Pocobello due balle de' libri che da Baſilea ſi mandano à Milano, e che tra' eſſi ritrouandoſene alcuni contra i PP Gieſuiti, intitolati, Alphonſi de Vargas Toletani Relatio ad Reges, & Principes Chriſtianos &c. *doueſſe V. S. come trattanti di materie prohibite, inuigilarue con la ſua diligenza, per farli ſequeſtrare ſubito che fuſſero arriuati. Le replico l' iſteſſo con la preſente ancora, già che mi vien detto, che non poſſono tardare à comparire coſtà. Et à V. S. per fine mi raccomando con tutto l' animo. Di Lucerna li 20. di Luglio 1639.*

*Di V. S. Ill^re^*

Al ſeruitio

Farneſi Areiueſcouo di Patraſſo.

Externa autem inſcriptio hæc erat

All' Ill^re^ e molto Reuerendo Sig^r^. il Sig^r^.
Luigi Moroſini Vicario Foraneo.

Lugano.

Quam Epiſtolam illorum gratiâ, qui Italicam Linguam non callent, Latinè, non quidem verbis annumeratis, ſed ſenſis expenſis, ita fideliter reddo.

Illuſtri, atque admodum Reuerendo Domino.

Iam alterâ meâ Epiſtolâ Veſtræ Dominatio- " ni indicaui, iſtuc in ædes Pocobelli duas libro- " rum arcas, quæ Baſileâ Mediolanum mittuntur, " peruenturas, quumque inter eos nonnulli etiam, "

„ quibus titulus eſt, Alphonſi de Vargas Tole-
„ tani Relatio ad Reges & Principes Chri-
„ ſtianos &c. in PP. Ieſuitas ſcripti reperiantur;
„ par eſſe Dominationem Veſtrã animo excubare,
„ vt eos ceu de rebus vetitis agentes, ſimul ac eſ-
„ ſent appulſi, ſequeſtro poni curaret. Idem hiſce
„ literis replico, quandoquidem intelligo iſtuc
„ haud ita multò poſt peruehendos. Ac demum
„ multa Veſtræ Dominationi à me ſalus ex animo.
„ Lucernæ 20. Iulij, CIↃIↃCXXXIX.

„ V. D. Ill^is.

„ Ad fauorem

„ Farneſius Archiepiſcopus Patrarum.

Extrrinſecus autem.

„ Illuſtri atque admodum Reuerendo Do-
„ mino, D. Aloyſio Moreſino Vicario Foraneo,

Luganum.

Num. 24. *Sciopij cum Hæreticis commercia.*

Ex quibus ſat ſuperque compertum eſt, quam artem factitet Scioppius, quas merces ex locis Hæreticis in Italiam inferri curet, quàm impunè per varias fraudes libros famoſos ac vetitos in Chriſtianam Rempub. ſpargat, quanta item cum Hæreticis habeat commercia. Porrò illa exemplaria *Vargianæ Relationis* per diuerticula in Italiam, vt certis ex teſtibus certum habeo, penetrârunt, neque dubium, quin Patauium vſque in manus ipſius Scioppij peruenerint.

Num.

Num. 25. *Scioppius Faber cæterorum in Ieſuitas libellorum, vt patet ex Relatione Vargianâ.*

Sed aliud præ manibus eſt argumentum planè ineluctabile, quo docetur, eundem Scioppium non ſolùm *Vargianæ Relationis*, ſed reliquorum etiam famoſorum librorum in Ieſuitas editorum eſſe Auctorem, quod ſine piaculo prætteriri nequit. Vulgo quippe manifeſtum eſt, magnam olim Scioppio, antequam noſtrum in Ordinem tam furioſè dementerque debacharetur, cum P. Laurentio Forero noſtro amicitiam interceſſiſſe, Vt patet, tum ex eiuſdem Foreri ad Scioppium, quas hic ſuâ in *Pædia a* recitat, literis; tum ex Grammatici *Protei Auctario, b* in quo Forerus veteri eiuſmodi amicitiæ, in teterrimum, & apertiſſimum Societatis noſtræ hoſtem ſcripturus, nuntium meritiſſimò remiſit; tum ex ipſamet Scioppij, quam ſubijciam confeſſione. Porrò in commemoratâ eâ *Relatione cap.* 10. *pag* 30. Commentitius Alphonſus de Vargas, & verus germanuſque Scioppius conqueritur, quendam Foreri amicum, quem paulo poſt candidè nominat, Scioppium, hoc eſt, ſeipſum ab eodem Forero ante hac laudatum, nunc libris editis, *ſemidoctum, futilem, & nullius pretij deſcribi.* Bene eſt, Scioppi. Sentis, iam te ſtricto intentatoque calamo à Forero in *Antimelandro*, in *Antanatomia*, in *Mantiſſa* ac *Proteo Grammatico* peti, totque libellorum infamium in Ieſuitas emiſſorum, & nominatim quidem *Actionis Perduellionis, Flagelli Ieſuitici, Myſteriorum Patrum Societatis, Anatomiæ Ieſuitæ exenterati, Conſultationis Fratris Iuniperi, Arcanorum Societatis, Colloquij Pauli V.* fabrum deſignari ac reuinci, quos omnes libros te parente ſatos, editoſque idem Forerus

D 7 Animad-

a *Pag.* 36. b *Pag.* 320.

Animaduerſione *a* in tuam *Aſtrologiam Eccleſiaſticam*, diſertè pronuntiat. Quid tu contra reſponſi das? Quid reponis? num inficiaris? minimè. an argumenta diſſuis, vel retexis? multo minùs. Ab anno CIↃIↃCXXXVI. quo tibi Forerus dicam eorundem librorum in eâ *Animaduerſione* modò laudatâ impegit, hactenus ſemper tacuiſti, nunquam reclamâſti, nunquam repugnâſti. Quid mirum? ſcilicet non potuiſti. At fallor. neſcio quid hac de re garris. Inſignem nota, Lector, hominis ſycophantiam, & ride. Sic enim de ſeipſo mox Scioppius. *Vir tantus* (inquit *b*) *Cimicis tam fœdi, hoc eſt, Foreri contactu digitos inquinare merito aſpernatur. In tauros enim Lybicos ruere leones, non eſſe papilionibus moleſtos & multum rationem fugere carduū Libani, ſi cedro Libani perſuaſurū ſe putet, vt filio ſuo filia eius vxor detur, ipſe mox à beſtijs tranſeuntibus conculcandus.* Ac ne quis hæc immeritò temereq́ue Scioppio affingi ſuſpicetur, en quid ipſemet Scioppius in *Padiâ humanarum ac diuinarum literarum*, cui proprium ſine fraude præfixit nomen, eodem ſcomma virulentum collineans, candidè ſcribat. *c*

a *Pag.* 320. & 321. b *Ibid. in Relat. pag* 30.
c *Pag* 57.

De Foreri (inquit) *eiuſq; ſimilium Confeſſione Scioppij iudicium.*
2. Paral. 25.

Carduus, qui eſt in Libano, miſit ad cedrum Libani dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Et ecce beſtiæ, quæ erant in ſylua Libani, tranſierunt & conculcauerunt Carduum.

Vbi cernis, Lector, eandem Cardui Cedriq́ue fabellam à Scioppio in *Padia*, & ab Alphonſo in *Relatione* Forero accommodari, tam aptè, vt nemo adeò fungus ſit, vt iſtum Alphonſum eundem eſſe

ac

ac Scioppium animaduertat. Quomodo enim ex te, Scioppi, quæ tecum antehac aut præſente verbis, aut abſente litteris egit Forerus, ſuppoſititius ille Alphonſus reſciuit, dum ſcribit, Forero animam tuam à te traditam, ſiquidem Forerus ipſe nullum vnquam Hiſpanum, cui Alphonſo & Vargas nomen ſit, de ijs, quæ tecum communicauit, certiorem fecit? Quando, quâ in vrbe, huiuſmodi Alphonſum reperiſti? quo loco ſermonem tuis de rebus cum eo habuiſti? Hiſpanum hominem comminiſceris. Vbi tu eum nouiſti? in Hiſpaniâ commorantem, an per Germaniam temerè peregrinantem? Quo pacto ille tuum hoc de Cedro Libani Scomma in Forerum iactari ſolitum didicit? ſed quid ago: at ſolem in meridie lucere operâ ſuperuacuâ conor oſtendere.

Num. 26. *Idem patet ex fide Monachi Benedictini.*

Sed omittenda non ſunt alia *Benedictini Monachi* iam laudati in allatâ Epiſtolâ verba, quibus Scioppium non tantùm Conſultationis Fratris Iuniperi, ſed cæterorum quoque libellorum famoſorum contra Societatem, de quibus ſuprà, Auctorem eſſe ſignificat. *Aggreſſus eſt demum* (inquit a) *Societatem Ieſu* (nempe Scioppius) *Patres palàm dixit eſſe hypocritas, atheos, peſtem, & more Templariorum exterminandos. Vno verbo quæ ſparſim famoſis chartis ſuis illeuerat, hic affatim, & vno cumulo effutiuit.*

a *Loc. Laud. pag* 434.

Num. 27. *Etiam patet ex alijs documentis.*

Denique Scioppius, qui in cæteris famoſis ſuis libellis pleroſque Ieſuitarum nominatim infamârat,

rat. Forero tamen, quòd eius eſſet amicus, quoad ab ipſo Societatem noſtram defendi, calamumque in ſe ſtringi non vidit, ſemper pepercit: vbi in *Antimelandro*, in *Antanatomia*, in *Mantiſſa*, ab eodem ſe probè contuſum, & iugulatum animaduertit, tum enimuerò *Relationem* illam *Vargianam* omni contumeliarum & mendaciorum in P. Forerum compoſitorum genere refertam in lucem extruſit. *Ex quo planiſſimum eſt* (ait Forerus in Appendice Protei pag. 477. *eum nonniſi ex priuato & hoſtili odio, per iſtam meam defenſionem Societatis concitatò, de me iam talia confingere, poſtquam meis libris ipſius improbitatem Orbi demonſtrare incœpi.* Verùm etſi Forerum impuratiſſimis planè conuicijs Scioppius in eâ *Relatione* onerat, nuſpiam tamen audet negare, ſe eorum libellorum Auctorem, quorum illum Architectum idem Forerus oſtenderat, totâque Europâ vulgauerat. Et quomodo tandem negare ille poteſt, vtcunque etiam auderet? Quandoquidem *in omni colloquio* (vt idem Forerus loc. cit. pag. 443. ſcribit) *quod cum alijs ſerere ſolet Scioppius, vix aliud ex ore illius audias quàm ea ipſa quæ in hac Relatione Alphonſi de Vargas, alijsq́ prioribus libellis contra Ieſuitas, contra Epiſcopos, contra Cæſarem leguntur, quæ tanto animi ardore, atque contentione vocis, tamq́ promptâ memoriâ, & linguâ propugnat, vt ne minima quidem cuiquam ſuboriri poſſit dubitatio, quin ipſe per multam meditationem ſit artifex atque faber omnium iſtarum tam infamium chartarum. Ita omnes teſtantur, ad quos hoſpitij cauſâ ille diuertit, cuius rei pulcherrimum ſuprà audiuimus exemplum ex literis illius Patris Benedictini.*

CAP.

Cap. VI.

Renatus Verdęus ineptiſſimus Scioppij Patronus.

Num. I. *Renati Verdæi Statera.*

VErùm quum hiſce *Vindicijs*, ac *Lydio* meo *Lapidi* extremam manum haud ita pridem iam impoſuiſſem, ac noſtris cenſoribus priùs, quàm externis, vtramque lucubrationem examinandam, probandamque de more tradidiſſem; nouum ecce hydræ caput pullulâſſe intelligo, impiumque libellum ab amico ad me miſſum præter expectationem meam inopinatò cum huiuſmodi inſcriptione accipio.

Renati Verdæi Statera, quâ ponderatur MANTISSÆ *Laurentij Forerij Ieſuitæ Oenipontani Sectio prima, quam emiſit aduerſus libellum, cui titulus eſt,* Myſteria Patrum Ieſuitarum.

Paullus Feſti Epitomator

MANTISSA, additamentum dicitur Linguâ Tuſcâ, quod ponderi adijcitur, ſed deteriùs, & quod ſine vllo vſu eſt.

LVGDVNI *apud Gelaſium Nomimelcum,*

CIↃ IↃ CXXXVII.

Nec mora. Libellum totum diligenter perlego, atque expendo, dignumque ſuo parente fœtum fœtidum reperio. Opus totum contextum ex fraudibus atque mendacijs, vt concinnè in illud, eiuſque Auctorem hoc Regij Vatis conueniat,

Mendacij

Mendaces filij hominum in Stateris, vt decipiant ipſi de vanitate in id ipſum. a Verè enim Verdæus mendax, & Renatus nunquam natus. Vel quâ tandem in vrbe aut pago, vel vbi vbi gentium in lucem primùm editus? Quod tuo parenti aut matri nomen? cuiatis bone vir? Catholicúſne, & Romanæ filius Eccleſiæ, an Caluini Lntheríue aſſecla? Hæreticum ſpiritum animamque, vt in *Lydio Lapide* pleriſque locis oſtendi, veterator inſignis prodit quidem; at cætera adiuncta omnia, ne ad fraudis cubile perueniri poſſit, non de nihilo diſſimulat. Sed fruſtra. Nam *Renatus Verdæus* nomen tantùm adumbratum, & pictum eſt, è quo *Andreas Riuetus*, per anagrammatis leges, vnicâ literâ I. in V. conuerſâ, exit; is ſcilicet, qui in Batauiâ ſeu Hollandia Minoris Principis Auriaci Præceptor eſt, hæreticâ correptus lue, vulgatiſque contra Catholica dogmata in *Cardinalem* Bellarminum, & P. Syluestrum PetramSanctam è noſtrâ Societate peſtiferis libris, Orbi non minùs noxius, quàm notus. Atque hunc Riuetum Stateræ iſtius fabrum atque Auctorem ferri, pronuper ex Belgio intellexi.

a *Pſalm. 61.*

Num. 2. *Andreæ Riueti charta, non ſine Scioppij ſymbolâ fabricata*

Verùm laruato illo Renati Verdæi nomine atque inuolucro, non tam Andream Riuetum, quàm inſignem gemini præſtigiatoris fraudem latitare, ac reapſe hanc quoque Stateram à Scioppio fuiſſe planè conflatam, vel ſaltem multa & copioſa in eandem ſymbola eſſe collata, plures certè coniecturæ, eæque graues prudentem rerum æſtimatorem ſuſpicari cogunt. Solemne quippe Scioppio, vt oſtendi, eſt, multiplicia ad fallendum men-

tiri

tiri nomina, ſuisque libris præfigere: Adeoque ſicut *Anatomiam Societatis*, *Actionem Perduellionis*, ac reliquos ſupra enumeratos libellos, etſi pleroſque alienis perſonatos nominibus, à ſe parente ſatos inficiari nequit; ita & eiuſmodi *Stateram* a condere, & ab Andreâ Riueto minimè inuito commentitium Renati Verdæi nomen mutuari, illique indere ſcilicet pronum fuit. Neque enim nouum eſt, Scioppium Hæreticorum operâ ad Ieſuitas infamandos vti, neque ipſe tantum facinus religioni habet, quemadmodum ante cap. 4. & 5. tum ex Scioppianæ Epiſtolæ autographo, tum ex alijs argumentis planum feci. Ac proinde nec Andreæ Riueti ingenium, dolos opemque tam in cudendâ, quàm in excudendâ *Staterâ* vtique recuſauerit. Quò ſanè pertinent ingentes literarum Scioppiani faſciculi, qui ex Italiâ in Germaniam, & vltra Alpes huc atque illuc volitant, quales ante non plures annos Imbstij in Tiroli apud Curſorem Præfectum à pleriſque viſi. Quid enim iſti, niſi de Scioppij virulentâ maledicentiâ picem & ſulfur emiſſarijs eius, aut congerronibus ſuppeditent?

a *Vt colligitur ex more illius.*

Num. 3. *Ex additâ ſententiâ cognoſcuntur chartæ.*

Solet præterea Scioppius ſuorum librorum permultis ſententiam aliquam in ipsâ fronte ad maledicendi libidinem maturè ſcalpendam exercendamque præmittere, qualem huic etiam *Stateræ* deeſſe noluit. Foreri *Mantiſſam* ex Paullo Feſti Epitomatore, additamentum eſſe ponderi adiectum, ſed deterius, & ſine vſu, ineptè, vt mox videbimus, cauillans. Habet inſuper hæc *Stateræ* certas Scioppij phraſes atque aculeos tam proprios, quàm maledicendi & calumniandi cacoëthes

ches ipſiſſimum. Neque aliud profectò ſcurriles illæ obſcœnæque ſordes: *a Iudicet Lector, an quæ à Forerio* (qui tamen ſe Foretum, non Forerium vbique nominat) *eijciuntur, atque egeruntur foria, maculas illas eluant, quibus eius ſecta aſperſa eſt:* niſi purum putum Scioppij os inſitumque conuiciandi morem redolent. Materia quoque, & modus ſcribendi in hoc libello idem, qui in cæteris Scioppianis aduersùs Societatem. Odio item Ieſuitarum inſaturabili perenniq́ue inſectatione Scioppius, vt Orbi ſat compertum, & infames illius Satyræ prolixè teſtificantur, vulgo gloriatur. Hanc eandem gloriationem vnà cum Myſteriographo aucupatur Verdæus. Scioppius Sanctis Ignatio & Xauerio infenſus; in eoſdem pariter Verdæus procax, & planè impius. Pontificis Maximi in viris Sanctis publico honore Eccleſiæ donandis auctoritatem, ceu inanem ac nutantem irridet, vt docui in *Lydio Lapide Part.* 2. *cap.* 6. Scioppius: eandem quoque Verdæus *b* petulantiſſimè calumniatur. Immunitatem Eccleſiaſticam frequenter ſubruit, & iugulat, vt ex eodem *Lydio part.* 2. *cap.* 3. pateſcit, Scioppius; in eandem etiam ſtomachum acidum, & fellis plenum erumpit Verdæus. *c* Apoſtolicam Sedem Romanam haud rarò dentibus & cornibus impetit Scioppius, in eandem quoque truculentus & atrox inibi Verdæus.

a In Præfat. pag. 7. b *Cap.* 9. *c Cap.* 8. 13. & 17.

Num. 4. *Scioppius Stateræ faber ex alijs quoque indicijs.*

Accedit, quòd alios ſuos libellos contra Ieſuitas ſub fictis nominibus Auctorum, Typographorum, & Locorum editos honorificè in hac *Staterâ* citat, commendat, & legendos propinat, præſertim *cap.* 10. *pag.* 117. vbi ex Apologiâ pro Senatu

Veneto,

Veneto, quam ſub falſo Bernardini Giraldi nomine publicauit, & *Arcanis Societatis* incluſit, ſyllabatim nonnulla recitat. Imò pleraſque calumnias, quas Societati noſtræ hoc in libello ſtruit, vt & craſſos contra Fidem Catholicam errores, quos alijs in Opuſculis, maximè in *Aſtrologiâ Eccleſiaſticâ* Francofurti primò editâ, cui ſuum nomen expreſsè ac ſine laruâ appoſuit, alijs atque alijs verbis & argumentis reperit, regerit, recoquit, vt ſtipes ferè ſit, qui dolum non odoretur, & ex eâdem officinâ prodijſſe non cernat. Quid quod Scioppio *Statera* nomen non ignotum, ſed familiare, vt ex Catalogo Francofurtenſi de anno CIↃIↃCXXXV. patet, in quo titulo *de libris futuris nundinis prodituris*, vt antea iam retuli, legitur quoque *Gaſparis Scioppij Cæſarei & Regij Conſiliarij* STATERA *Religioſa?* Denique non vacat myſterio, quòd Verdæus *cap. 5 pag. 30.* Gaſparum Scioppium Nobilem *Veſpilonidem* nuncupat, à parente ſcilicet, qui veſpilonem atque æditiuum in Superiore Palatinatu egiſſe dicitur. Quis autem Myſtagogus, niſi Scioppius, in huius tituli arcanum ſe penetrâſſet?

Num. 5. *Fucus Verdæi excutitur.*

Poſtremò eſt, quod paucis te alloquar, Verdæe. Quæſo te, mentum tuum mihi, ac ſupercilia, ſi non indignaris, oſtende. Si non Scioppius, neque Myſteriographus es, ſicuti facto fuco in *Staterâ*, maximè *cap. 1. pag 10* & *cap. 8. pag. 100.* videri cupis, quomodo nôſti Auctorem Myſteriorum Germanici imperitum eſſe ſermonis, vt inibi affirmas? quod ei nomen eſt? enuncia ſine mendacio, & viciſti. Quid eſt cauſſæ, cur Foreri, qui te nihil penitùs tetigit, *Mantiſſam* exagites? quid tibi rei cum illo, & iſtâ eſt? Quid tua intereſt, *Myſteriorum* refutatio? An vtrumque cogitatione attingis?

gis? an vtrique varijs authoratus nominibus? an ab alterutro, ſtipendio conductus? Sed quæ talis cognationis ratio? quæ nomina? quæ numerata pecunia? vbi? quando? quomodo? explica particulatim. Quid obmuteſcis? iam te intelligo. Pone laruam, Renate, noui te. Aut Riuetus *Scioppizat*, aut Scioppius *Riuetizat*, & nota parœmia: *Mutuò muli ſcabunt*. Præſertim quum Scioppium Patauij annos complures degentem plerisque Hollandis Hæreticis illic ſtudiorum gratiâ, commorantibus eſſe perfamiliarem, nec non ab aliquo eorum, vt Amſtelodamum ſe conferret, ibiq; ſuos libros liberè ederet, fuiſſe inuitatum, vir incorruptæ fidei, ac diſertiſſimus ſeriò mihi teſtatus ſit: ac proinde & negotium eidem Scioppio cum Riueto in Hollandiâ agenti intercedere minimè ſit incredibile.

Num. 6. *Verdæi doli.*

Sed ecce tibi alias Verdæi technas. Præfationem Stateræ ad Lectorem ita auſpicatur. *Duodecimus agitur annus, humaniſſime Lector, ex quo libellus editus eſt, Gallicâ Linguâ in quo per Dialogiſmum introducebantur* Pater Profeſſus *cum* Nouitio *ſuo, qui de* Myſterijs Patrum Ieſuitarum *inter ſe ſermones conferebant. Placuit hic libellus non paucis, & poſt verſionem Anglicanam, ipſe Collector eundem Latinè typis euulgauit: primum quidem an.* 1631. *deinde cum auctario, & appendicibus, anno* 1633. Negat autem idem Verdæus eiuſmodi libelli Myſteriorum Scioppium eſſe Auctorem, quemadmodum Forerus *ſect.* 1. *Mantiſſæ probabiliſſimâ, & planè certâ coniecturâ induci ſe, vt credat*, denuntiauit. At *in vtroque fallitur*, ait Verdæus a, *libellus ille Gallicè primùm conſcriptus eſt, & poſteà Latinè; ab eo Authore,*

a *Cap.* 1. *Statera, pag.* 10.

thore, qui Linguam Germanicam penitùs ignorat. Oportet ergo editionem Germanicam eſſe verſionem, *quam Author nunquam vidit nedum, vt ei vitio verti poſſit, ſi alicubi Latina Ieſuitarum verba non ſatis commodè verſa fuerint: cuius rei indicium ſit penes eos, qui vtriuſque Linguæ periti ſunt. Id Author præſtare non debet.* Melandrum *autem, aut* Scioppium *Authorem eſſe, non minùs falſum eſt, &* planè certa *Ieſuitæ* coniectura *peſſimum coniectorem indicat.* Leucander *potiùs Auctor eſt, quàm* Melander. Hæc verſipellis ac lubricus anguis, tortu vario ac ſpiris Lectoris manum oculoſque fallens.

Num. 7. *Myſteria Ieſuitarum Germanicè edita à Scioppio.*

Sed mihi abunde præſidij ac munimenti eſt, quòd *Myſteriorum* Germanicam editionem ac *verſionem*, vt ait, negare non audet. Atqui Forerus quum *Myſteria* à Scioppio coagmentata pronuntiauit, non ea ſanè, quæ Gallicè, aut Anglicè conſcripta (ſi qua hiſce linguis explicata ante annum c.c.ɔcxxxiii. in lucem exierunt) intellexit, quum neque vllum eiuſmodi exemplar in hanc vſque diem viderit, neque Linguam Gallicam, aut Anglicam vnquam calluerit: ſed illa dumtaxat, quæ Germanicè exarata in Germaniâ eodem anno cıɔıɔcxxxiii. in vulgus emanârunt, palàm deſignauit. *Prodit*, inquit, *a alius infamis liber, Germanica lingua conſcriptus æquè peſtilens, æquè ex improbiſſimis & flagitioſiſſimis fraudibus, & calumnijs conſutus, ac duo priores: Titulus illius eſt*, Myſteria Patrum Societatis Ieſu. *Nôſſe cupis Auctorem? Neque Auctoris nomen, neque Typographi, neque Locum vbi*

a *Sect. 1. Mantiſſæ, num. 2.*

ubi typis deſcriptus eſt, exprimitur; probabiliſſima tamen, & plane certa coniectura inducor, vt credam eundem ipſiſſimum Anatomicum Melandrum eſſe (hoc eſt Scioppium *) qui Actionem Perduellionis, & Anatomiam Societatis euulgauit, tanta eſt omnium lineamentorum etiam in hiſce Myſterijs ſimilitudo. Nimirum nihil intentatum relinquit tortuoſus hic hoſtis, ſed in omnem faciem ſe vertit, vt Societatem euertat.*

Num. 8. *Scioppius* Myſteriorum *Germanicè editorum Auctor.*

Porrò quum idem Forerus hæc Germanica *Myſteria* Scioppio adſcripſit, ſiue is princeps compoſuerit, ſiue alius cum aliâ linguâ præuerit, iuſque deque omnino habuit; de quo etiam nihil ſuſpicari potuit, tum quia nihil de eiuſmodi extranei ſermonis *Myſterijs* inaudijt, ne dum vidit, vt dixi; tum quia in Germanicis *Myſterijs* nulla aliorum, vnde ipſa cõuerſa ſint, mentio fit, neque vllum intercedit veſtigium, quo minùs eadem primùm omnium elucubrata, atque emiſſa iure exiſtimentur.

Num. 9 *Vel primus Interpres.*

Quod ſi qua talia *Myſteria* ſeu Gallicè, ſeu Anglicè, ſeu Latinè ante annum cIↄ Iↄcxxxiii. fabricata & publicata ſunt, quæ tamen Ieſuitarum nemo in Germaniâ hactenus aſpexit: nihilominùs, quin Scioppius primus Germanicè ſit interpretatus, nec leue fortè de ſuo auctarium addiderit, aut ſaltem pleraque loca nequiùs doloſiuſque reddiderit, alia corruperit, nonnulla adiecerit, vel detraxerit; ne ipſe quidem inficiabitur; aut certè inficiationem mendacem cæteris mendacijs ſuis lubens annumerabit. Non eſt ergo

quæſtio

quæſtio in præſens, Verdæ, an Scioppius Gallici, vel Latini libelli, ſi quis vnquam præceſſit; ſed an Germanici, cum fraudium & mendaciorum, ſi ille præiuit, acceſſione, Auctor ſit; quod neque tu, neque Scioppius negare auſi eſtis, & vtcunque auderetis, operam omnem ridiculè luderetis. Ipſe titulus, qui in Germanico codice ſic habet *Myſteria Patrum Societatis Ieſu*, aliquam ſtatim primo aſpectu diuerſitatem à Gallico, vel Latino, à quo *Myſteria Patrum Ieſuitarum* præferri ais, oculis ingerit, quam vnà cum multis alijs idem Scioppius adiunxit. Stylus Germanicus prorſus ſingularis (vt Forerus in Epiſtolâ IV. Maij an. CIↃIↃCXXXIX. Dilingæ ad me datâ, in quâ eum ſibi tam bene compertum, ac ſuum, perſanctè affirmat, fidem locupletem facit) Scioppium redolet: Ieſuitarum inſectatio illis implicata *Myſterÿs*, Scioppium ingeminat; doli dolis, fraudesque conſertæ fraudibus, Scioppium produnt; Doctorum, Conciliorum Sacrarumque Literarum deprauatio Scioppium delineat, complura alia documenta, de quibus anteà, Scioppium vociferantur.

Num 10. *Iure Myſteriorum Auctor appellatus Scioppius.*

Neque, opinor, eſt, cur ægrè feras Verdæ, eundem Scioppium eorundem *Myſteriorum* Germanicorum, quanquam fortè interpretem dumtaxat, ſed liberalem. & pro libidine multa variantem vitiantemque egiſſet, Auctorem nihilominùs à Forero dici, qui litem hac de *Auctoris* voce conteſtatam neutiquam volet, eâque id tantummodò à ſe indicatum candidè teſtabitur, Germanica illa *Myſteriorum* interpretamenta vnà cum ſuo auctario è Scioppiano ſtomacho fuiſſe eructata · quemadmodum etiam idem faber *Anatomiam Societatis*

Ieſu ex *Inſtructione Secretâ* & PſeudoMarianæ damnato libro (quæ ſunt quoque alienæ inſaniæ alia monſtra longè ante typis edita) potiſſimam partem conflauit; nec propterea eiuſdem *Anatomiæ* ſtructurâ aut geniturâ orbari ſe ille, vel abdicari patietur.

Num. 11. *Verdæus Foreri fidem in citandis Myſteriographi verbis ridiculè carpit.*

Hinc lepidâ omnino, & inimica Verdæi ſycophantia, Lector, vt perſpecta, ita ſcuticâ prorſus digna eſt. Nam paſſim ille de Forero conqueritur, quod Myſteriographi verba perperam atque infideliter recitet; vtque huiuſmodi dolos ab eo dolatos ſolidè vincat, ad editiones Gallicas, Anglicas, & Latinas, quæ necdum fortè ſunt inchoatæ petulanter admodum prouocat, paginasque, quas fortè hominum nemo oculis potuit vſurpare, non minùs fraudulenter, quàm religiosè numerat, vt planum eſt *cap.* 11. *pag.* 133. *cap.* 12. *pag.* 146. 148. 158. 165. & alibi ſæpe. O bellum caput. ſed cerebrum non habet. Riſum quis non rideat? *Myſteria* Germanicè ſcripta exploſit Forerus, atque ex fide cuncta recenſuit. Editiones extraneas, ſeu *Myſteria* Gallicè, Anglicè, vel Latinè enucleata nunquam vidit. Et quia Verdæus fallacias & monſtra à Forero de Germanico prompta exemplari penitusque mactata, ne omnibus quidem mentiendi artibus vindicare potuit à crimine, quid molitur? Falſarij nomen ac notam Forero imponit, quòd editiones Linguæ Gallicæ, Anglicæ, & Latinæ Germanicis *Myſterijs*, quæ tamen cudit Scioppius, non conſentiant. Præpoſterè ac dementer. Latinam quippe interpretationem, quam concinnauit Forerus, non Latinis, Gallicis,

Gallicis, aut Anglicanis Myſterijs, quæ nunquam oculis ſubiecit, ſed Germanicis tantùm aptauit: ac proinde de prioribus illis exemplaribus dica nonniſi perfidiosè ac ſtolidè ei impingi poteſt.

Num. 12. *Verdæus fruſtra negat Scioppium* Myſteriorum *Germanicorum Auctorem.*

Nihilo ſaniùs in eo quoque inſanit Verdæus, quòd Foreri coniecturæ, quâ ille ductus, *Myſteriorum* Germanicorum Auctorem Scioppium credit, procaciter illudens, *peſſimum* eum *coniectorem* indicari ſcribit. Sed quibus argumentis? Aures Lector, arrigito. Melandrum *autem*, inquit, *a Anthorem eſſe non minùs falſum eſt.* Quid vis ampliùs? ecce tibi Renati Verdæi oraculum muſtulentum, planeque ebrium. Pythagoræ catulus illud expuit. tu digitum ori appone, & ſeriphiâ taciturnior ranâ, ne mutias. Sed nugarum ſatis. Atqui ego quum peſſimi labem coniectoris Forero à te Verdęe, adſperſam accepi, putabam Topicorum omnes arculas ad innumeras rationes cogendas, abs te exinanitum iri; omnia Dialectices machinamenta ſine dubio admouenda, omnes ingenij atque eloquentiæ vires ad tuam roborandam oppugnationem periclitandas atque exerendas. Sed falſus animi ſum. Muſcarium dumtaxat delirantis delirij tui in medium protuliſti, ne verbo quidem argumenta ſuprà ex Forero congeſta diſſoluens, ſed cuncta bellè diſſimulans. *Falſum eſt*, inquis, *Scioppium eſſe Anthorem*, falſus ipſe meris falſimonijs. De eo inſuper ridicule mentitus, Myſteriographū germanicè neſcire. Nempe Scioppius lethæo amne perfuſus, Germanicā Linguam, quam maternis ab vberibus ſuxit, Verdęi gratiâ dedidicit. At mendaciū nimis impudens, minùs, Renate, vendibile eſt.

a *Cap.1 pag.11.*

Num. 13. *Verdæus Scioppium cæterorum in Ieſuitas librorum fabrum tacitè fatetur.*

Eſt tamen aliquid, Lector, de quo Verdæo gratias agere neceſſe habeo, & quidem ex animo, nec proletarias. Nam quum Foreri *Mantiſſam* haud oſcitanter legerit, atque in eâ Scioppium non *Myſteriorum* tantùm, ſed *Actionis* etiam *Perduellionis*, *Anatomiæ Societatis Ieſu*, *Conſultationis Fr. Iuniperi*, *& Relationis Fr. Ludouici Soteli* Auctorem ab eodem Forero perhiberi, & probari animaduerterit; tametſi *Myſteria* ab illo compoſita negauit (quamuis fruſtra, vt vidimus) non vſque adeò tamen hominem pudibundum depuduit, vt cæteros quoque infames libellos ab eodem fatos inficiaretur. haud obſcurè ſignificans, vel tacitè concedens, dum ſola excipit *Myſteria*, reliquas in Societatem Ieſu Satyras ab iſto Momo fuiſſe conformatas. Rurſum dum Melandrum eundem, ac Scioppium cenſet Verdæus, hoc ipſo Scioppium inſignem nebulonem, qui omnia illa ſcelera, quorum eum Forerus in Antimelandro conuicit, perpetrârit, ingenuè fatetur.

Num. 14. *Cauillus in* Mantiſſam *Foreri iactus, in* Mantiſſam *Scioppij quadrat.*

Neque illud de *Mantiſſâ* acroama, quam ex Pauſlo Feſti *Epitomatore* additamentum eſſe ponderi adiectum, ſed deterius, & ſine vſu obſeruat, omittendum, quadrare id prorſus ad amuſſim in Scioppianam *Amphotidum Mantiſſam*, quam, vt immenſas ſui laudes ambitioſus Grammaticus decantaret, quemadmodum ex Forero notaui, arrogantiſſimè

ſimè conſuit, additamentum vtique, vt nouit, qui eam legit, inutile, & deterrimum, niſi quòd ad ſua mendacia atque calumnias reuincendas ingenioſè eruditus, præclarum in eâdem *Mantiſſâ* Societati Ieſu elogium, veritatis conſcientiâ id illi vel inuito exprimente, impartitus eſt, quod infra ſuo loco integrum dabo. Cæterùm *Mantiſſa* Foreri ad impij, & nefarij Calumniatoris impudentiam retundendam, comprimendamque & conducibilis valde, & maximi optimique ponderis ab omnibus, qui vnà cum Hæreticis viros cœlo ſolemni ritu adſcriptos deſpicatui non habent, reperitur.

Num. 15. Myſteria *Ieſuitarum Gallicè & Latinè exarata Verdæus comminiſcitur.*

Reliquum eſt, vt miſſis iam Germanicis Myſterijs, Gallica, & Latina paululùm excutiamus. Gallica ſub annum CIↃIↃCXXV. hoc eſt, annis duodecim, antequam ſuam illam *Stateram* Verdæus anno CIↃIↃCXXXVII. emitteret, edita; Latina autem primùm anno CIↃIↃCXXXI. deinde cum Auctario & Appendicibus anno CIↃIↃCXXXIII. aſſeuerat. Nec ignoro in Catalogo Francofurtenſi de anno CIↃIↃCXXXIII. impenſis ac typis hæredum Sigiſmundi Latomi Francofurti impreſſo, inter libros Politicos & Hiſtoricos, & hunc titulum legi: *Myſteria PP. Ieſuitarum ex eorum ſcriptis cum fide eruta: cum duobus Appendicibus* (ita eleganter, pro duabus exaratum eſt) *Lugduni Batauorum, apud Iſaacum Comelinum in* 12.

Num. 16. *Ruinoſum Verdæi mendacium.*

Verùm ego vnà cum omnibus Ieſuitis, qui ea Myſteria nonniſi Germanicè ſcripta viderunt,

tum demum Verdæo, priores editiones Gallicam, Anglicanam, & Latinam appellanti, fidem habebo, quum aliquod eorum exemplar inſpiciendum exhibebit, ſimulque teſtibus omni exceptione maioribus docebit, illud ante annũ cIↃIↃCXXXIII. fuiſſe typis vulgatum, vbi & à quo (quæ omnia à Verdæo doloſè ſupprimuntur) appoſitamque anni cIↃIↃCXXV. vel cIↃIↃCXXXI. notam minimè eſſe falſam. Quod non fruſtra addo. Nam ſi Myſteriorum tot exemplaria, multiplici editione Gallicâ, Anglicanâ, & geminâ Latinâ multiplicata ſunt; an affine vero eſt, nullum eorum in manum alicuius Ieſuitę, ne quidem in Galliâ (vbi quæ Gallicè primùm ab Auctore fuerant elucubrata, luce etiã fuiſſe donata, prope fidem planè eſt) vnquam incidiſſe? Niſi fortè illa non in Galliâ, ſed in Æthiopiâ, aut in Scythiâ foras data, homo veritatis religioſè tenax, euulſo ſcrupulo, egregiè comminiſcitur, vt mirum non ſit, ſi tot annorum interuallo, nullum inde eorum has in regiones adhuc penetrare ſe potuit. Vtut tamen eſt, Ieſuitæ Galliæ recèns ſuis à Moderatoribus hac de cauſsâ rogati, candidè ſanctèque teſtantur, nihil iſtorum *Myſteriorum* Gallicè ſcriptum ante annũ cIↃIↃCXXXIII. quo Germanica exierunt, à ſe lectum conſpectumue, aut ſibi quoquo modo innotuiſſe. Certè quidem Pariſijs, Galliæ totius principe vrbe, & librorum emporio nobiliſſimo, in eiuſmodi *Myſteria* Gallico idiomate ante annum cIↃIↃCXXXIII. edita, vt fabulatur Verdæus, ſummâ ope, ac diligentiâ tum apud noſtros, tum apud externos, quà celebriores illius ciuitatis bibliopolas, quà alios talium librorum curioſiores, quà infenſiſſimos quoque noſtro Ordini (qui ſimiles libellos famoſos vndique corradunt, vbique locorum anxiè rimantur, repertoſque extemplo vulgare, voluptati habent) inquiſitum, an aliquando aliquod illorum veſti-

veſtigium vſpiam apparuerit; tamen nemo vnus, qui id meminerit, oculis vſurpârit, exceperit auribus, quanquam ſtrenuiſſimam operam Gaſpare Seguiraner Domus noſtræ profeſſæ Pariſienſis *Præpoſito*, anno cIↄIↄcxxxIx. nauante; inueniri potuit, vt idem met Seguiraner in Epiſtolâ ad Gualterum Mundbrot Germaniæ Aſſeſſorem Societatis noſtræ, Romæ agentem ab hoc eâ de re enixè interpellatus, fidem eodem anno, xII. kal. Octob. luculentam fecit, cuius Epiſtolæ Autographũ ipſum ad manum mihi præſto eſt. Quibus autem potiore iure credendũ ſit, Ieſuitis negantibus, an Verdæo inteſtabili exaduerſum meras nugas garrienti, aut palmaria mendacia nundinanti; quicunque Romanæ hoſtis Eccleſiæ non eſt, vt idem Verdæus, vel liuoris veneno infectus, vt Scioppius, nullo negotio rectè iudicabit. Deinde ad alia *Myſteria* Latinè reddita, quod attinet, an non inſolentiſſimi prodigij inſtar eſt, nullum penitùs eorum exemplar hactenus in manus Ieſuitarum neque in Galliâ, neque in Italiâ, neque in Germaniâ perueniſſe?

Num. 17. *Scioppius cum dolo alteram libri editionem mentiri cupit.*

Audio equidem Andream Riuetum, cuius doloſa illa *Statera* eſſe fertur, vt dixi; & *Myſteriorum* Latinorum Auctorem, ſiquidem Germanicè ſe neſcire profitetur, perhiberi. Sed quantum fidei hic rumor mereatur, ex hiſtoriâ, quam ad me Pater Laurentius Forerus *v.* Maij, an. cIↄIↄcxxxIx. Dilingâ perſcripſit, facilè licebit odorari. Scioppius vetus & probè exercitatus fallendi artifex, quum annis ſuperioribus quendam librum, quem adulterino *Chriſtiani Gottlieb* nomine infucauerat, primùm edere vellet, adit Dilingæ ad eundem P. Forerum, quo cum amicitiâ & familiaritate tum erat coniunctiſſimus, eique confutis dolis

perſuadere conatur, fuiſſe eum librum alibi ante annos viginti typis excuſum; ſed quum nulla ampliùs illius extarent exemplaria (quorum tamen nullum oſtendebat, ſed ipſummet autographum præbere cogebatur) cupere ſe eum denuo ſubijci prelo, atque huius rei, prioris ſcilicet editionis, quæ nulla fuit, mentionem ipsâ in præfatione omninò eſſe faciendam. Forerus initio fraudis ignarus, officioſè pollicetur operam. At vbi manifeſtò deprehendit mendacium, commentitiâ illâ mentione (quam Scioppius ſuggeſſit, & vehementer petijt) non ſine eiuſdem offenſa abſtinuit, librumque ſine malo dolo vulgauit.

Num. 18. *Scioppij & Verdæi fraudes.*

Hinc dilucet perſpicuè, an Scioppius, quem non puduit, illum *Chriſtiani Gottlieb* librum ante annos viginti editũ impudenter mentiri, religione impeditus fuerit, quo minus *Myſteria*, quæ primùm Germanicè anno cIↄIↄcxxxiii. emiſit, multis anteà annis, nempe anno cIↄIↄcxxv. Gallicè, & anno cIↄIↄcxxxi. Latinè emiſſa à Verdæo fingi curauerit. Hinc etiam catus Lector diſcet, an Catalogo illi Francofurtenſi Latina *Myſteria* cum duabus Appendicibus proſcribenti, quorum nullum, vt dixi, exemplar Ieſuitæ in Germaniâ, vel in Italiâ hactenus aſpexerunt, prudenter credi poſſit. Nam reuerà ſunt omnes iſti meri Scioppiani fuci. Vel enim Lugduni Batauorum nulla vnquam *Myſteria* edita ſunt, vel ſi an. cIↄIↄcxxxiii. ea inibi edita ſunt, cur Catalogus Francofurtenſis de editione Gallicâ anni cIↄIↄcxxv. Latinâ cIↄIↄcxxxi. eorundem annorum libros recenſens, nihil penitùs memorat? Quod ſi an cIↄIↄcxxxiii. Lugduni Batauorum impreſſa ſunt, ea ex Germanicis Scioppij *Myſterÿs* Latinè verſa tum primùm

exierunt, menciturque Verdæus, qui iam pridem publicata fuiſſe ait. Scilicet arduum Scioppio fuit, eo anno in Germaniâ degenti, & Hæreticorum commercium, opemque minimè negligenti, per excurſores ſuos Francofurti agere, vt in Catalogo ea *Myſteria* ceu Lugduni Batauorum edita, etiamſi forſan neque eo tempore, neque anteà edita fuerint, ſcriberentur; vel ſi edita fuerunt, falsò *duabus Appendicibus* aucta, quum tum primùm prodierint, ſi tamen tum prodierunt, adijceretur. Niſi tamen Scioppius fallaciarum omnium pronus, vbi *Myſteria* Germanicè coagmentauit, Latinè etiam reddi ab aliquo congerrone ſuo, additâ nouâ acceſſione, atque vtraque Latina & Germanica, ad fraudis ſuſpicionem auertendam, eodem anno ↀↀCXXXIII. ſimul typis imprimi curauit. Quod eiuſdem Scioppij ingenio fraudulentiſſimo valde conſentaneum eſſe minimè negârim.

Num. 19 *Aliud Verdæi mendacium retectum.*

Vnde alius quoque Verdæi cauillus non operosè retunditur. a *Pupugiſſe Ieſuitas hunc libellum facilè conijci poterat. Sed quum ita concinnatus eſſet, vt vix aliquid haberent. quod reponerent, quin ſeipſos magis intricarent; ſiluerunt aliquot annis, donec libellus ille in Linguam Germanicam ex prima editione Latina conuerſus, in Ieſuitæ Oenipontani* Laurentij Foreri *manus incidiſſet, qui in eo eſſet, vt aduersùs Auctorem* Anatomiæ Societatis *ſtylum ſtringeret, occaſione vſus, ex* Mantiſſæ *ſuæ ſectionibus tribus, primam impendere voluit exagitando libello* Myſteriorum Patrum Ieſuitarum. Quomodo enim libellus hic

a *In Præfat pag.4.*

ante Germanicam editionem an. cIↃIↃCXXXIII. Ieſuitas pupugiſſe potuit, ſi nullus vnquam in eorum oculos ante eam tempeſtatem incurrit? ſi nullus fortè ſeu Gallicâ, ſeu Latinâ Linguâ tum memoriæ proditus eſt? Quî vix habuerunt, quod reponerent, Ieſuitæ, ſi nihil ſibi oppoſitum inaudierunt? Quod ſi aliquot annis ſiluerunt, ne ſe ipſos magis, refellendo intricarent: cur eiuſdem ſilentij patientiâ Forerus quoque, ne alioqui in eoſdem ſe laqueos indueret, vſus non eſt? aut quos Macedonicos Alexandri gladios ad nodos iſtos Gordianos diſcindendos, vel Societatem noſtram ex eis extricandam, vnus ſolusque reperit, quos alij Ieſuitæ complures cum in Galliâ, tum alibi multò antea præſto non habuerint? viden' Verdæe, viden' Scioppi, quàm ineptè, quàm inſincerè, quàm abſonè tua mendacia ac doli ſibi conſentiant!

Cap. VII.

Auctarium probationum ſuperiore gemino capite explicatarum.

Num. I. *Expoſita argumenta eleuantur ab aliquibus.*

Sed audio ex forenſibus locutuleijs, Scioppij patronis nonneminem, qui nodum in ſcirpo quærens, allata in medium argumenta ad eum famoſorum illorum codicum, qui eiuſdem nomen in fronte gerunt, Auctorem reuincendum inualida, fluxa & lapſabunda, multis egere tibicinibus, ne penitùs ruant, cauſſatur.

Num.

Num. 2. *Veritas, vt candido Lectori, ſic inuito Scioppio, vim ſuam prodit.*

At malè ego metuo, ne huiuſmodi aduocationis officium Scioppio, qui illorum librorum fabrum ſe eſſe atque architectum palàm gloriatur, tantum abeſt, vt quenquam id clam eſſe velit, impenſum, inofficioſum prorſus, intempeſtiuum, atque ingratum accidat. Cum ipſo enim, quem ſententiæ meæ ſubſcriptorem, atque obſignatorem vltro adſtipulantem habeo, nulla mihi hac de re lis aut contentio. Cæteri tantùm huius adſtipulationis ignari, docendi ſuperabant, quibus ego vt illam patefacerem, & perſuaderem, rationes & firmamenta complura in aciem eduxi, adeò robuſta, & grauia, vt aſſenſum à quouis probo minimeque fucato viro facilè auferant, ne dum eblandiantur. Forenſes verò tricas, captionumque pedicas, ac iurgia nil in præſentiâ moror, qui non cum tortuoſo fallacique vitilitigatore, ſed cum ingenuo candidoque Lectore diſputo. At quicunque fucos & fallacias procul habent, & veritatem vnde vnde emicantem, aut pellucentem, amant, lubentesque arripiunt, ij continuò Scioppianas technas, & molitiones recenſitis antea argumentis, rationeque legitimè concluſis tam arctas in compedes compulſas diſpiciunt, vt nullus tergiuerſandi dolus, nullum cauillandi ingenium illas inde eximat. Nam quid, rogo, exploratum magis, quàm à Scioppio eos libros, quos ipſe ſuomet conſignauit nomine, vt *Aſtrologiam Eccleſiaſticam*; & quos pro genuinâ ſuâ prole in ſuorum operum Catalogo, vt *Anatomiam Societatis Ieſu*, reapſe agnoſcit, eſſe elucubratos? Quorſum hic integram hac ſuper re diſceptationem *cap.* 4. & 5. abſolutàm otiosè repetamus?

Num. 3. *Etiam coniecturis res confici poteſt.*

Verùm ex argumentis paulò ante enumeratis multa nonniſi coniecturis, & *præſumptionibus*, vt Iuriſconſulti loquuntur, quas Cicero exiſtimationis nomine comprehendit, ſubnixa ſunt. Quippini? ſed tamen coniecturæ & *præſumptiones* tantarum nihilominùs virium ſunt, vt rem planè conficiant. Quis hîc obgannit? quis obſtrepit? an non viris prudentibus fas integrumque de pluribus ſignis, quorum ſingula nutant, bene fundadatam adopinari exprimereque notitiam? Monſtrum hoc, inquis, nimis inſolens, atque exoticum. Imò verò nullum domeſticum magis, aut familiarius. Quod vt ſtatim diluceat, age, ipſóſmet iuris arbitros, quò tota quæſtio clariùs expoſita, nulli exceptioni, ne tam litigioſorum quidem virorum ſit opportuna, adeamus, & quid de eâ hi quoque decernant, diligenter conſulamus; cum eo tamen, vt verbis eorundem recèns fabricatis vti, ſolutum nobis liberumque ſit.

Num. 4. *Coniecturis crimina inuoluta probantur.*

Principio igitur ſcitor, quum alia crimina aperta, & facile adſpectabilia; alia occulta & difficilis probationis apud Cauſſidicos perhibeantur; qui tandem hæc ex eorum ſcitis formulisque probentur? Coniecturis ſine dubio, & *præſumptionibus*, vt cum Baldo & alijs Romana Rota *Deciſ.* 29. pronuntiauit.a Quas ſanè pro verâ & concludenti probatione haberi, cum Boerio, Menochio, pluri misque alijs tradit Farinacius *Conſilio* 30. *num* 79. & *quæſt.* 89. *num.* 16. Quos ſequitur cum alijs Famianus

a *Apud Farinacium in Appendice Conſiliorum.*

miaaus Centolinus in *Additionibus* ad illud *Conſ.* 30. *Lit.*S. vbi etiam oſtendit ad doli probationem tum iuris, tum hominis *præſumptiones* admitti, quod etiam ante illum idem Farinacius *quæſt.* 86. *num.*87. & *quæſt* 89. *num.* 10 docuerat, ſicut quoque fraudem coniecturis & *præſumptionibus* probari. *ibidem num.*17.18.19.

Num. 5. *Quid ſit coniectura: quid præſumptio?*

Deinde quæro, quid ſit coniectura? *Veri opinio ex ſigno probabili deducta*, vt rectè Baldus in l. *ea quidem num* 10, C. *de accuſat.* ſeu *rei latentis indicium per rationes, ſigna & tempora ſumptum*, vt deſcribit Maſcardus *lib.* 1 *de Probat. q.*14. *num.* 3. vel *rationabile veſtigium latentis Veritatis, vnde naſcitur opinio Sapientis*; vt placet Manticæ *Tract. de Coniectur. lib.* 1. *tit* 1. *rub. Coniectura vnde dicatur* &c. *num* 9. à quibus reliqui DD. reapſe non diſcrepant, vt videre eſt apud Farinacium *quæſt.* 36. *num.* 152. vſque ad 157. Quid verò *præſumptio? Cognitio veritatis ex circumſtantijs reſultans*, vt cenſet Alexander *Conſ.* 89. *num.* 11. *volum.* 3. vel *animi motus, per quem cogimur apparentiam ſequi, donec contrarium probetur*, vt exiſtimat Baldus in l. pen. C. *Si ſeru. exportan. ven.* vel *veritas veriſimilis & non certa*, vt autumat Corn *Conſ.* 197. *num.* 7. *volum.* 3. à quibus definitionibus non abeunt reliquę aliorum, quum omnes, teſte Farinacio *quæſt.* 36. iam laudatâ, *num.* 82. eodem, licet per diuerſa verba, tendant.

Num. 6. *Ex coniecturis naſcitur præſumptio*

Nec me fugit, tantam eſſe inter coniecturam, & *præſumptionem* affinitatem & coniunctionem, vt

altera eadem alteri à DD. plerumque habeatur, atque vna pro aliâ quandoque ſumatur, vt patet ex L. *vtrum*, *de donat. inter vir. & vxor.* & ex L. *vnicâ. ff. ſi tab. teſtam. extab* & vtrobique ex gloſsâ, tum ex Socino in L. *cùm auus*, *num.* 7. ff. *de condit. & demonſtr.* Manticâ *loco relato num.* 3. & Maſcardo *quæſt.* 14. iam recitatâ, *num.* 2. & 8. Nihilominùs ſi penſiculatè loqui velimus, aliam ab alterâ ſecerni argumento eſt, quòd ex coniecturis naſcitur *præſumptio*, vt expendunt Gram. *Dec.* 28. *num.* 21. Petra *tract. de fideic. quæſt.* 9. *num* 98. & Mantica *loco relato num.* 5. Baldi veſtigia in L. *ea quidem* iam citatam ſecnti. & probat Farinac. *quæſt.* 36. relatâ, *num.* 258. 159. eo præſertim quod hominis præſumptio ſit *conceptus mentis ab aliquâ probabili coniecturâ deductus*, vt idem Baldus loco iam appellato, definit: atque adeò *præſumptio* à coniecturâ, tanquam effectus à cauſsâ gignitur, ac procreatur.

Num. 7. *Præſumptio probabilis quæ? Quæ violenta? coniectura quoque alia probabilis, alia violenta.*

Porrò *præſumptionum* hominis alia probabilis dicitur, alia violenta: illa eſt, *quæ à grauibus perſonis, vel non à leui cauſsâ & coniecturâ*, ſeu ratione temporis, ſeu loci, ſeu alterius circumſtantiæ, colligitur, vt ex Gandino in *tit. de præſumpt. & indic. dubitatis, num.* 10. & 11. docet Farinacius *loco relato num.* 120 & 121. hæc verò, *quando omnis coniectura apparet mali, nulla autem boni, & ſic omnia ſigna ſunt mali, & nulla boni*; vt tradit Alexander de Ales in *Summ par* 3 *quæſt.* 45. *memb.* 7. Menochius *lib.* 1. *de Præſumpt. quæſt.* 1. *num.* 7. & Farinacius *l.* 1. *num.* 116. ſeu, vt ex Marſilio, Baldo, Monticello

notat

notat ibidem Farinacius, *præſumptio* violenta eadem eſt, ac *indicium indubitatum, vbi animus iudicantis in contrarium perſuaderi non poteſt.* Aut certè ea, *quæ ex veriſimili probatione ſurgit*, vt idem Farinacius *quæſt.* 177. *num* 45. communi ſubſcribens placito, animaduertit. Ruiſum coniectura alia item probabilis vocatur, alia violenta. Ea eſt, *quæ à veriſimili deducitur*, & *quæ in ratione fundatur*, vt ex Baldo, Manticâ, & Maſcardo Farinacius inibi *num.* 170 obſeruat; hæc autem, *quæ ita adhæret animo indicantis, vt contrarium ei perſuaderi non poſſit*, ſeu *quæ habet perſuadendi neceſſitatem*, vt ex Baldo, Aym. & Manticâ Forinacius eodem loco, *num.* 166. & 167. deſcribit.

Num. 8. *Probatio ex proximis coniecturis euidentiſſima: Præſumptiones violentæ validiſſimæ.*

Præterea obſeruandum, probationem ex pluribus, bonis & proximis coniecturis ortam à DD. euidentiſſimam, vt à Caſtro, Iaſone, Petrâ, & alijs appellari, vt apud eundem Farinacium *quæſt. cit. num.* 156. cernere licet. tum etiam violentas *præſumptiones* tanti ponderis & roboris exiſtimari, vt in delictis probationis arduæ ad reum condemnandum ſatis ſint, vt idem *quæſt.* 50. *num.* 37. 58. 59. & *quæſt.* 86. *num.* 29. vſque ad 33. demonſtrat, & plectendo quoque Hæretico ſufficiant, vt *quæſt.* 157. *num.* 46, & 47. oſtendit.

Num. 9. *Delicta difficilia probatu quæ? quæ excepta? quæ atrocia?*

Denique ponendum, occulta delicta, & difficilis probationis illa à DD. nuncupari, *quorum probatio à communiter accidentibus non facile haberi poteſt*; qualia ſunt *furtum, dolus, fraus, ſimulatio, falſitas, adulterium, proditio, falſa moneta, venenum, partus ſuppoſititius*, & alia his ſimilia, vt diſertè idem Farinacius ex communi DD. ſententia *quaſt.* 86. *num.* 35. notat. Alia item crimina dici excepta, alia non excepta; atque hæc illa eſſe, quæ generali legis ſanctione comprehenduntur, illa verò, quæ minimè eâdem comprehenduntur, vt ſunt *hæreſis, læſa maieſtas, falſa moneta, ſacrilegium, ſimonia*, & his paria, quemadmodum ex Hoſtienſi Speculatore, Angelo, Conrado, Gomezio, & cæteris DD. Farinacius pariter *quaſt.* 18. *num.* 60. explanat. Quæ excepta crimina eo à cæteris quoque diſtant, quòd ad hæc probanda teſtes non integri, qui alioqui ad reliqua minimè forent idonei, admittuntur, vt ex Geminiano, Claro, Ancharano, Bartolo, Baldo, Decio, Pariſio, & alijs communiter ſancit idem Farinacius *quaſt.* 38. *num.* 30. 31. 33. Alia poſtremò inter crimina habentur atrociſſima, aut ſaltem grauia, & atrocia, qualia *hæreſis, homicidium, duellum*, & reliqua huius generis, vt ex vtroque iure profano, & ſacro, & communi DD. ſcito probat Farinacius *quaſt.* 18 *num.* 88. vſque ad 92 & *c.* 1. In atrociſſimis autem *licitum eſt Iudici iura tranſgredi, requiſitas ſolemnitates non adhibere, & ordo eſt ordinem non ſeruare*, vt cum Innocentio *Cap. de Conſtit* Doctores communiter, teſte eodem Farinacio *quaſt* 37. *num* 86. decernunt. Quod ſi delicta impeditioris probationis ſint, & clancularia, teſtes alioquin inteſtabiles, ad reum leui quæſtioni ſubijciendum valere, imò & dictum

vnius tantum iſtorum ad id ſatis eſſe tradunt paſſim Doctores, ibidem à Farinacio *num. 62. 63. & 64.* relati.

Num 10. *Crimen Scioppianum famoſorum libellorum, difficilis & arduæ probationis eſt.*

Quibus in anteceſſum libatis, fixiſque, crimen famoſorum libellorum in probrum Societatis Ieſu editorum, quorum infamiâ, vt certò, & ſine controuerſiâ oſtenſum, & compertum eſt, Scioppius laborat, eiuſmodi profectò eſt, vt quanto id faciliùs celari, tanto difficiliùs ſuâpte naturâ probari queat. Quid enim, obſecro, pronius, quàm domeſticos inter parietes procul ab arbitris nomen proprium ſcriptis Satyris ſubducere, atque alienum affingere? quid expeditius, quàm illas in regiones Hæreticorum, quibuſcum Scioppio commercij non parum intercedere, ex ipſomet eiuſdem chirographo, alijsque teſſeris iam ſuprà docui, *a* typis imprimendas tranſmittere? quid promptius, quàm cætera delicti huius veſtigia corrumpere, atque abolere? Quàm operosè igitur reuincetur, ad lucem extrahetur, manifeſtò tenebitur? quàm ægrè *probatio à communiter accidentibus* exprimetur? quàm irrito conatu ab adiunctis informabitur? Furtum in ijs delictis, quæ laboriosè probentur, numerari, paulò ante indicatum eſt. Nihilominùs quàm multa in eo ſuppetunt, quæ in illius cubile quæſitorem nullo negotio perducant, ſcalæ ad ædes supernè inuadendas admotæ, forcipes, terebræ, mallei, verucula, ad pſeudothyri repagula effringenda adhibiti, claues adulterinæ ad arcæ ſerram reſerandam concinnatæ, res ipſæ clanculum ſublatæ, væno expoſitæ, diſtractæ, alijs creditæ, pecuniæ vis ex his coacta,

a Cap. 4. 5. & 6.

aliaque

aliaque id genus complura, quibus ſimilia in paribus delictis præſto quoque ſunt multa? At in libellis mentito infucandis nomine, nihil iſtorum. Fraudis denſa vndique caligo; facinoris anſa nulla cernitur, fibra vix vlla eminet. Quanto igitur magis huiuſmodi libellorum fabricatio in criminum difficilis probationis numero, quàm furtum aut reliqua eiuſdem conditionis, habenda eſt? Si fraus & dolus ex Iuriſconſultorum decretis inter illa ſunt referenda, hæc propudioſa volumina è dolis fraudibusque tota coagmentata, inde expungentur? ſi iiſdem ſimulatio & falſitas adſcribuntur; hæc è ſimulatione, & falſitate tota conſuta, indidem excludentur? Si partus ſuppoſititius in illis reponitur: quàm meliore iure hæc, quæ nihil aliud ſunt, quàm ingenij & calami fœtus ac partus, ſuppoſititio adliti nomine, alterique falsò tributus; & latebræ quidem multo, quàm ille, opportunior.

Num. II. *Scioppij crimen coniecturis & præſumptionibus probandum: Quales iam allatæ planè ſolidæ.*

Quum igitur huiuſmodi piaculum perdifficilis, vt liquet, probationis ſit, adeoque occultum atque inuolutum, vt argumentis, niſi lentè admodū & faſtidioſè, planū fieri non poſſit; certum omnino eſt, coniecturis, & *præſumptionibus*, vt ſuprà notaui, neceſſariò eſſe firmandum, atq; has coniecturas, & *præſumptiones* verarū & concludentiū probationū inſtar futuras. At enim coniecturas & *præſumptiones* à me *cap.* 4 5. & 6. conglobatæ ad vincendū, famoſos illos libellos à Scioppio fuiſſe compoſitos, atq; in aſpectū relatos, omnes ex ſtyli eodē genere ac tenore, ex iiſdem dicendi formulis, ex eàdem calumniarum materiâ, ex eodem obtrectandi fine & ſcopo, ex priuatis ſimultatibus, ex diuerſis teſtimonijs, ex varijs actionum, dictorum, ſcriptorumque

rumque circumſtantijs, tum ex plerisque alijs perſonæ eiuſdem Scioppij attributionibus validiſſimè erutæ ſunt. Et quiſquam, cui ſanum ſinciput, animi pendeat, num graues, num probæ, & num ſolidæ ſint? quis in his *veſtigium latentis veritatis, opinionemq́ ex ſigno probabili deductam* non intuetur? quis *cognitionem veritatis ex circumſtantijs, & veritatem veriſimilem* non haurit? quis probabiles coniecturas & *præſumptiones* multiplices non animaduertit? quis *indicia indubitata, veriſimiles probationes, omnia ſigna mali, & nulla boni,* moralem *perſuadendi neceßitatem*; ac proinde & proximas coniecturas, violentas *præſumptiones*, & probationes euidentiſſimas non videt? Quis tandem hæc tam explorata in dubium reuocet, niſi qui Doctorum omnium, quos anteà recitaui, auctoritatem deſpicatui habet? Ergo in tam difficilis probationis crimine allatæ coniecturæ, & *præſumptiones* ad demonſtrandum, famoſorum illorum libellorum in dedecus Societatis Ieſu emiſſorum Auctorem eſſe Scioppium, ſatis munitæ, ac validæ ſunt. Vel certè ſi neque dum ſat virium habent, animosè, explicateque pronuncio, omnes etiam probationes, quibus permulti libri ſuis Auctoribus iure vindicati atque aſſerti ſunt (qui tamen diu ignorati, alijs fortuitò, aut temerè inſcripti erant) conuelli, infirmari, labare, vacillare, ac ruere. Vnde enim iſtæ ad opuſculum *de fide ad Petrum*, V. G. quod inter libros Diui Auguſtini legitur, & vulgo eidem vt parenti tributum iam pridem eſt, S. Fulgentio ſuo procreatori, cuius legitimum eſſe fœtum nunc palàm eſt, redhibendum, niſi ex nonnullis coniecturis, & *præſumptionibus* fabricatæ ſunt? Quibuſnam è fontibus, niſi ex his ipſis, ratiocinationes ad ſexcenta alia ingenij dubia monumenta veris ſuis conditoribus reſtituenda deriuantur? quibus ex locis, niſi ex iſtis, argumenta ad famoſorum omnium libello-

rum ſuppreſſis, vel ſuppoſititijs nominibus euulgatorum Auctores deprehendendos, atque è latebris educendos, arceſſuntur? Quàm longè paucioribus ac leuioribus indicijs plerique alij ſuffulti, ſeptique; complurium virorum nomina tanquam artificum, à quibus architectati ſint, iure nihilominùs optimo circumferunt? Quis verò vnquam codex tot coniecturis, & *præſumptionibus* tam grauibus, tam propinquis, tam vehementibus obſeſſus, alicui Scriptori aliquando adſcitus eſt, quàm infames illæ lœdoriæ tam multis, tam validis, tam ponderoſis, tam perſpicuis documentis vallatæ à me anteà, addictæque Scioppio? In quem mortalium omnia, quæ protuli, teſtimonia, tabulæ, notæ, veſtigia, ſigna, ac cætera dicta, factaque, niſi in vnum ſolumq; eundem Scioppium cadunt? Edatur alterius nomen, cui quadrent, non dico hæc ſingula omni ex parte, ſed quadantenus ſaltem; & haſtam ego ſcutumque vltro abiecero.

Num 12. *Vis coniecturarum eſt magna.*

An verò coniecturas ipſas, & *præſumptiones* velut debiliores culpare vel perſtringere quis audet? At ſi hæ, tametſi & numero adeo multiplices, & robore tam vigentes, adhuc tamen ceu imbecilles, oneríque ferundo impares ſugillantur; quænam, rogo, validæ, quænam probæ notæ, quænam legitimæ, & iuſti ponderis cenſebuntur? Intra coniecturarum, & *præſumptionum* fines, age, conſiſtamus. Si hactenus explanatæ minus adhuc firmitudinis præ ſe ferunt, atque enerues etiamdum fortaſſe videntur; ad reliquarum omnium, quotquot in hac librorum excernendorum cenſurâ afferuntur, contentionem prouocare minimè dubitem; & ſi quidem hæ meæ ceu imbecilles repu-

diantur,

diantur, vllas alias vndique aptas, aut abſolutio-res melioriſque notæ, donec eas aliquis reipsâ præſtet, exſtare, ego ſanè meritiſſimò pernego. Ex quibus enim Sedibus indicia, coniecturę, & *præſumptiones* ad quemcunque librum ancipitis nominis alicui Auctori ad iudicandum, niſi ex eodem charactere dicendi, ex eodem materiæ ductu, ex eodem Scriptoris fine, ex varijs actionum, dictorum, teſtium, perſonarum, aliarumque rerum circumſtantijs petuntur? At quàm copiosè hæc omnia, quàm abunde, quam cumulatè à me expleta, congeſta, enucleata, & perfecta ſunt.

Num. 13. *Coniectura hîc valida in crimine occulto, excepto & teterrimo.*

Quid quod libellorum famoſorum ſine Authoris nomine per manus volitantium crimen difficilioris, vt oſtendi, probationis eſt, ac proinde & teſtes ſubleſtæ alioqui, aut nullius fidei, fidem illius nihilominùs faciunt? Quid quod Scioppiani libelli fecundam hæreſeon hydram, multiplicemque teſſeram, vt *Lydio* in *Lapide*, patefeci exhibent, hæreſiſque ſcelus exceptum eſt, in quo teſtes pariter non integri, rite tamen, vt ſupra animaduerti, teſtificantur? Quid quod hæreſis crimen non modò exceptioni obnoxium, ſed etiam, vt inibi obſeruaui, longè teterrimum eſt; ac proptereà in eo perſequendo & iura tranſilire, & ſolemnes formulas negligere, & ordinem minimè ſeruare, Iudici, vt illic quoque ſignaui, fas integrumque eſt? Quâ igitur in luce & Sole ludificatio, & ſycophantia Lucifugi Grammatici in libellis commentitiorum appoſitione nominum adulterandis, collocata non eſt; quum in huiuſmodi flagitio, quanquam excepto, quanquam abdito, quanquam enormi, quanquam probatu ſalebroſo

broſo effodiendo exenterandoque, in quo cæteros qui & leuioris armaturæ *præſumptiones*, coniecturæque, & numero etiam multò pauciores ſufficiſſent; tam multa tamen & varia documenta, indicia tam clara, veſtigia tam expreſſa, colores tam viuidi, monumenta tam certa à me coacernata ſint? Mitto reliqua omnia, vnumque ex his dumtaxat in ſpecimen delibo, peruicacem videlicet Scioppij in iſtâ libellorum, aliorumque criminum ſibi exprobratorum nundinatione taciturnitatem, ſilentemque calamum. Nam quum illi & Laurentius Forerus in compluribus Apologeticis, & Paulus Layman in *Cenſurâ Aſtrologiæ Eccleſiaſticæ, proœmio* 1. dicam tum famoſarum huiuſmodi Satyrarum, tum cæterorum quoque piaculorum, luci creditam iam dudum impegerint; nunquam ille, etſi probè gnarus, inficias ire, nunquam verbo repugnare, non diſſentire nutu, non vocem vllam contra edere ad hanc vſque diem, vt vt infrà cap. 14. §. 2. in loco docebo, auſus eſt. At *qui tacet, conſentire videtur*, vt famigerata Regula XLIII. *de regulis iuris, in Sexto* definit, & profana quoque ſcita pronuntiant; quà *l.* 4. §. *vlt.* ff. *de fideiuſſorib. tutor.* quà *l.* 2. *voluntatem*, ff. *ſoluto matri m.* vbi apertè decernitur, *niſi euidenter contradicat, videri conſentire.* Quare ſi quis rei alicuius, aut actionis conſcius, ſiue hæc fauorabilis, ſiue noxia ei accidat; ſilentio defixus, planeque elinguis, quum poſſit verbis refragari, hæreat, conſentire, niſi qua aduerſa coniectura obnuntiet, exiſtimatur, vt recentiores iuris vtriuſque Interpretes, recitatas Regulam, & Leges commentantes, diſertè tradunt, & Auguſtinus Barboſa in eandem Regulam longâ acutaque diſputatione eruditè oſtendit.

Num.

Num. 14. *Qui tacet, conſentire videtur: vnde liquet, Scioppium Auctorem eſſe facinoris.*

Hinc creditor, qui præſens tacensque vendi pignus à debitore patitur, remiſiſſe illud putatur, etſi hoc ei damnoſum ſit, vt liquet L. 2. C. *de remiſſ. pign.* & ex L. *Si debitor,* §. 1. ff. *Quibus modis pignus.* Quam doctrinam optimè explicat Bartolus in L. *qui Romæ*, §. *duo fratres*, *num.* 5. *ad fin.* ff. *de verborum obligat.* Probat etiam D. Barboſa in L. *qua dotis,* ff. *ſoluto matrim. num.* 151. amplectiturque alter Barboſa Auguſtinus, *loc. cit. num.* 8. Hinc ſerui ex parte dominus, ſi illum præſens, tacensque alienari ſinit, illâ mancipij parte ſe abdicare, eamque donare, quantumuis id illi diſconducat, iudicatur, vt L. *ſi ſeruus communis*, 39. *in fine de donat. inter virum.* ſtatuitur, & notat in laudatam Regulam 43 *num.* 5. idem Barboſa. Hinc dominus ſerui mancipio, dum tacens, conſentire creditur, excidit, tametſi ille hinc detrimentum faciat, vt ex *Cap. ſi ſeruus ſciente, diſt* 54. vbi de dominio ſerui inter extraneos amittendo agitur, tum ex gloſsâ 1. & ex noſtri æui Doctoribus ibidem perſpicuum eſt. Plura alia id genus Gloſſa itidem in L. 8. §. *inuitum*, ff. *de procurator. verbo, non probatur,* congerit, quæ hîc exſcribere ſuperuacaneum eſt. Atqui Scioppius, qui tantam chartæ vim in tot ſcribendis libellis malè feriatus peiùs perdidit, quum famoſos eos Codices tum à Forero, tū à Laymanno, tum à cæteris Ieſuitis ſibi adſcriptos nullo negotio negare, à ſe proſeminatos, vulgatoque ſcripto obiectum crimen, ſiquidem innoxius foret, diluere facilè poſſet; id ſemper prætermiſit, nunquam verbum vllum fecit, non tergiuerſatus eſt, non reclamauit, non reſtitit; perpetuò diſſimulauit,

uit, ſiluit, obmutuit. Imò verò contra, nouos inſuper alios libellos ſemper famoſiores in Ieſuitas emittere perrexit. Neque ei certè vlla coniectura, quominùs in facinoris ſententiam ipſe cenſendus ſit, opitulatur; quin potiùs complures & coniecturæ, & *præſumptiones* illum, vt expendimus, & voluiſſe, & conſenſiſſe, & opus patrâſſe, & videri Auctorem expetijſſe perſuadent. Et quiſquam adhuc bipedum ita bardus, & ſtipes; adeò fungus, & truncus ſit, vt Scioppiũm tam nocentium voluminum fabrum non agnoſcat? non deprehendat? non teneat?

Num. 15. *Scioppius contumax, ſe Auctorem libellorum famoſorum probat.*

Porrò hâc tam diuturnâ taciturnitatis & diſſimulationis obſtinatione (ſi tacuiſſe & diſſimulaſſe, qui tot ſuæ inſaniæ argumenta prodidit, claſſicumque obtrectationum toties cecinit, dicendus eſt) hanc demum laudis ſtrenam idem Scioppius lucratus eſt, vt planè contumax etiam audiat. Quis verò in Iuriſprudentiæ athenæo tam hoſpes eſt, vt contumaciam veræ, voluntariæ, & iuridicialis confeſſionis inſtar obtinere neſciat? id affirmatè profitentur Foller in *pract crimin par.* 4 *partis* 2. *verbo & ſi confitebuntur num* 9 & 10. Marſil. in *pract* § *poſtquam, num* 35. Guilelm. de Benedict. in *repet ca.* Nell *de bannit.* 1 *par. primi temp. quæſt.* 8. *verſ. cùm ficta confeſſio* Quæ autem cunctas inter probationes validior, aut maior, quàm Rei ipſius proprio ore ſcelus detegentis confeſſio? Ita diſtinctè L *Cùm te*, C *de tranſaction* decernitur, ſubſcribitque ita Iaſon, & Roland *Conſ.* 75 *num* 23 *volum* 11 Sed cui incompertum, à fictâ quoque confeſſione & contumaciâ ſe erumpente delicti probationem legitimam, concludentem, & liquidiſſimam

diſſimam effici? teſtor Iuriſconſultorum peritiſſimos Bartolum, Angelum, Aretinum, Raynutium, Bertazolum, Boſſium, aliosque complures à Farinacio *quaſt.* 11. *num.* 97. recitatos, huiuſmodi pſephiſmati remis velisque adſtipulantes. Quid ergo vltra quærimus? habemus Scioppium, etiamſi eum nulla alia famoſorum libellorum à ſe ſatorum indicia feciſſe, ſed elinguem prorſus cuncta preſſiſſe ſilentio fingamus; nihilominùs vel propriâ taciturnitate illaqueatum ac circumretitum, crimen ipſum, cuius inſimulatur, ex contumaciâ quoque perinde ac ſi ore proprio id detegeret, manifeſtò confitentem.

Num. 16. *Si ad contumaciam coniecturæ accedant, tantò eſt probatio violentior.*

Quid ſi iam huiuſmodi contumaciæ & confeſſioni omnes illas coniecturas, & *præſumptiones* tam multas ſupra libratas, graues, proximas, ratas, ſolidas, vehementes ac violentas adijciamus, quanto adhuc magis laruatus is Momus nequitiæ conuictus parebit? Nolo ſanè ea, quæ antea iam probè digeſta ſunt, hîc fruſtra repetere: ſed Vrbani VIII. Pont. Max. dumtaxat Suprema auctoritas commodùm mihi in præſens reguſtanda eſt, cui quum tituli libellorum, quos Scioppius in Societatis Ieſu contumeliam typis vulgare moliebatur, ab Apoſtolico Nuncio Lucernâ tranſmiſſi, oblatique anno CIƆIƆCXXXV. fuiſſent, indignè id tulit, eosque ſi porrò ederentur, in damnatorum librorum indicem referri iuſſit: cuius oraculi teſtem omni exceptione maiorem Eminentiſſimum *Cardinalem* Antonium Barberinum, fratris eiuſdem Pontificis filium *cap* 4. laudaui, qui prætereà in eâdem Epiſtolâ, quod ad Scioppianas Satyras noſtrum in nomen iam anteà adornatas, foraſque

F datas

datas attinet, palàm conqueritur, *Scioppij Spiritus nimis quàm inquietos eſſe, eumq́ue videri obſtinaſſe ad lacerandum ſcriptis ſuis, quæ ſub ficto nominibus euulgat, Patrum Ieſuitarum famam.* Vulgatos igitur à Scioppio ſub fictis nominibus libellos ad lacerandam Ieſuitarum famam, *Cardinalis* ampliſſimi teſtimonio compertum eſt. Quoſnam autem, niſi *Actionem Perduellionis*, *Ieſuitam exenteratum*, *Anatomiam Societatis*, & reliquos catulos, qui Scioppij lineamenta omnia, mores, affectus, ſtylum, cæteroſque ductus ad vnguem expictos gerunt, & cuiuis rerum non penitùs inſcio imprudentique palpandos exhibent? Præſertim quod ſub illud tempus nulli alij libelli famoſi ſuppoſititij aduersùs Ieſuitas in lucem emerſerunt. Atqui cuicunque *Cardinali* (ne dum filio fratris ipſius Pontificis) eo in loco, vbi idem Pontifex degit, verſanti, ac pro teſtimonio aliquid dicenti, vt hîc contingit, etiam in damnum tertij credendum planè, locupletemque fidem habendam eſſe, ſaltem ex conſuetudine Romanæ Curiæ, docet Farinacius cum plurimis alijs Iureconſultis *quæſt. 63 num. 67. 68. 69.* quibus & Diana *part. 5. Tract. 1. Reſol.* 31. ſe adiungit. Vt nimirum nullus iam tam perfrictæ frontis reperiatur, qui ſtropham adeò manifeſtam, & conteſtatam in dubium reuocare non erubeſcat.

Num. 17. *Confeſſio manifeſta Scioppij.*

Sed operæ pretium eſt, coronidis loco, ipſum quoque Scioppium ad teſtimonium citare, qui ab anno cIↄIↄcxxxv, multo poſt, hoc eſt anno cIↄIↄcxxxix. Decembri exeunte VI. kal. Ianuarij teſtamentum veluti nuncupans Patauij, famoſos ſuos libellos in Ieſuitas publicatos nemini latere

voluit,

voluit, adeoque illud hiſce verbis ipſiſſimis præſcripſit.

Gaſparis Scioppij Comitis à Claraualle Cygnea cantio, ſeu Prologus galeatus omnibus eius in Ieſuitas opuſculis conueniens.

Mox verò Thraſonum more, hoc eſt, ſuo, ſibique maximè ſollemni ita orditur.

Satis nota eſt vita mea, tot Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Cardinalium, Epiſcoporum, Antiſtitum, Virorum literis & virtute clariſſimorum priuatis, publicisq; tabulis conteſtata

Tum malè placatum ſtomachum in Ieſuitas caninâ, vt ſolet, rabie affatim erumpit. Vt hinc quoque minimè obſcurum ſit, quonam à calamo, vel ore tam dulcis de Ieſuitis cantilena emodulata ſit: vt omittam huiuſmodi Prologum iiſdem omnino documentis, ac reliquas famoſas chartas, eiuſdem Scioppij germaniſſimum eſſe partum, apertiſſimè vinci. præterquàm quod ne iſte quidem diffitebitur, ſed potiùs ad rauim vſque vociferabitur. Salue coruorum omnium, non cygnorum, dux maxime, non ſuaui cantione blandiens, ſed ferali crocatione, ſanorum omnium Catholicorum aures, grauiter, acerbeque mactans, tum obtrectationum, calumniarumque nimbum ſpiſſiſſimum cunctis dirè portendens. Hoc tamen nomine, nec pœnitendo de me, fateor, bene meritus, quòd etſi mihi cætera, quæ agminatim coëgi, argumenta ad te tot famoſorum libellorum tuo ſine nomine in nos emiſſorum Auctorem coarguendum minimè ſuppeditâſſent, tu ipſe vel

ſolo iſto tuo Prologo illorum te architectum ingenuè, laruâ tandem poſitâ, profeſſus ſis. Cæterùm quod galeatum eum appellas, næ ego paulò poſt faxo, vt quilibet Lector neùtri parti, & ſoli æquitati obæratus, pro galeâ cucurbitam, pro ferro vitrum, pro chalybe fucum à te illi inductum facilè agnoſcat.

Num. 18. *Confeſſioni huic Scioppianæ conſentiunt facta.*

Poſtremò Legiſperiti præter *notorium*, vt vocant, *iuris*, & *facti*, aliud *notorium facti notorietate ex præſumptione iuris* ſecernunt, quod quamuis in ſe euidens non ſit, tale tamen *præſumitur*, vt obſeruat Ludouicus Molina *Tract. 4. de Iuſtit. Diſput.*31. Idcircò qui alicuius viri, puta Titij filius vulgo habitus eſt, tanquam explorata illius proles exiſtimatur, diciturque *notorium* eſſe hunc eius eſſe filium, vt pateſcit ex *cap. quoniam, de filijs presb.* & *cap. per tuas, de probat.* At famoſi illi codices *cap.* 3. & 5. enumerati ſemper publicè habiti ſunt, habenturque etiamnum pro genuinâ Scioppij prole, quod is nunquam, vt vidimus, inficiatus eſt. Igitur *facti notorietate ex iuris præſumptione*, vt loquuntur, *notorium eſt*, eoſdem libros ab eodem Scioppio fuiſſe progenitos. Quod ſi fama *rumor eſt ex ſufficientibus indicijs ortus, atque ad multos propagatus*, vnde famoſum crimen ex communi Doctorum placito apud Molfeſium in *Summâ, Tract* 11. *cap.* 12. *num.* 91 appellatur; duoque famæ huiuſmodi teſtes ad *notorium* etiam Hæreticum probandum, vt Farinacius cum multis *quæſt.* 185. *num.*84. tradit, ſatis eſt: quanto magis non duo tantùm, ſed decem & viginti, ſed triginta, & ampliùs teſtes, omni exceptione maiores, qui præſto ſunt, hanc ipſam Scioppij infamiam reuincent, ac perſua-

perſuadebunt? ſed pręter famam, atque infamiam, reliquæ *præſumptiones* quoque, tanti apud ipſos etiam capitalium cauſſarum conſultiſſimos fiunt, vt quum eæ violentæ ſunt, damnando reo, vt iam notaui, quanquam pœnâ dumtaxat extraordinariâ, vt cum pleriſque cenſet Farinacius *quaſt. 86. num.* 34. tum etiam quæſtione, fidiculiſque eidem torquendo, vt cum pluribus alijs ſentit idem Farinacius *quaſt.* 36. *num.* 233. vſque ad 236. ſufficere arbitrentur. Quanto ergo validius atque robuſtius glomeratæ antea coniecturæ & *præſumptiones* tam multæ, tam graues, tam ſolidæ, & vehementes; in hac controuerſiâ extra ſeueros forenſis iudicij cancellos vagante, in quâ non de pœnâ irrogandâ, ſed de repellendâ iniuriâ; non de plectendis ſontibus, ſed de plurimorum innocentiâ tuendâ; non de noxâ iudicandâ, ſed de Catholicâ Religione propugnandâ; non de ipſo Scioppio perdendo, ſed bonam ad frugem, ſi fieri poſſit, reducendo agitur; æquos rerum æſtimatores in eandem ſententiam de famoſis Satyris noſtrum in Ordinem noſtroſque homines ab eo editis perducent?

Num. 18. *Remora iniecta repellitur.*

At eidem Scioppio velificans neſcio quis intercedet, negabitque veriſimile eſſe tam infames libellos in Ieſuitas ab illo ſcriptos, quos ipſemet tam luculentis elogijs infra cap. 14. §. 7. recitandis ornârit. Verùm hic clypeus ad eum culpâ liberandum tantum habet virium, quantum ad Iudam ex Perduellium Chriſti grege, quòd huius Apoſtolus ille aliquando fuerit, quod certũ eſt, & miracula etiam patrârit, quod Patres memorant, expungendum; quod nemo, niſi inſanus, dixerit. Sed nimirum vt ille poſteà Chriſtum prodidit;

ita Scioppius deinde Ieſuitarum hoſtis immaniſſimus factus, omnia, quæ in eorum laudem ſcripſerat, cerbereâ maledicentiâ corrupit. Compertiſſimum autem apud Iuriſconſultos eſt, *præſumptionem* vnam ab alterâ elidi, vt pronuntiant L. *Diuus*, & ibi Gloſſa V. *æſtimatur*, ff. *de integ. reſtit.* L. *non ſolùm in prin.* ff. *de ritu nupt.* C. *accedens, de crim. falſi*, C. *tuum*, & ibi Gloſſa, *de ſponſ.* Alciatus, Cephalus, Maſcardus, & Blancus cum alijs à Farinacio *quæſt.86.num.*101. laudati. Atqui *præſumptio* illa prior Scioppij Ieſuitas laudantis, *præſumptione* poſteriore eoſdem deteſtantis, odio atque hoſtilitate publicâ proſequentis, nec non alijs perſpicuis veritatis chirographis iam recenſitis funditus euerſa eſt. Accedit etiam, quod eundem Scioppium mendaciorum, calumniarum, & contradictionum promum condum feraciſſimum ex ipſiuſmet verbis meo in Lydio *par.3.cap 6.* & 8. demonſtraui: vt noui nihil ſit, neque mirum, ſi contraria in caſtra, tam ſæpe ille tranſit, & Ieſuitas, quos antè in cœlum extulerat, modò ad Inferos vſque deturbat.

CAP. VIII.

Tam immanis odij Scioppiani in Ieſuitas cauſſæ enumerantur.

Num. I. *Scioppius eundem libellum famoſum in Ieſuitas variè transformat ex magno odio.*

EX tot ac tam multiplicibus Scioppij famoſis & peſtiferis contra Societatem noſtam editis

tis libris, quàm ingens atroxque illius erga nos odium ſit, ſatis,opinor,plannm eſt: ex eo verò vel maximè, quod vnum eundemque libellum tam multos alios in habitus, tot alios in colores ac formas, iiſdem rerum ac ſententiarum neruis, oſſibus ac membris retentis, ſed membratim diſcerptis, aliterque diſpoſitis Grammaticus Proteus, vt ſcitè à Forero appellatur, prodigialiter non tam transformauit, quàm deformauit. Præclarè hac in fraude furum morem ac vaframentum imitatus, qui vbi pallium cuipiam ſublegerunt, illico fulloni, alio interpolandum colore ad oculos fallendos, tradunt, interpolatumque mox alteri vendunt; venditum iterum ſurripiunt; ſurreptum alio rurſus colore adulterandum curant; adulteratum iteratò diſtrahunt, vel oppignerant: diſtractum oppigneratumue denuò ſubducunt, vænumque dant; atque ad hunc modum idem ac ſolum vnicumque pallium, per varias ludificationes centies habent venditarium, centies auertunt, centies commutant, centies haſtæ præconique ſubijciunt. Haud ſecus Scioppius, quum neſcio quæ fruſta ex ſacroſancto Dei diplomate malè deartuaſſet, atque ad Societatis noſtræ contumeliam in monſtroſiſſimum quendam centonem peruersè coëgiſſet; hunc ipſum centonem poſteà in diuerſas alias laruas atque portenta, in *Ieſuitam* nempe *exenteratum*, in *Myſteria*, in *Arcana*, in *Aſtrologiam*, in *Anatomiam*, atque in reliqua id genus ſpectra ac lemures, ſolâ ferè nomenclaturâ primo à fœtu diuerſos fraudulenter diduxit, atque tranſcripſit. Quorſum verò huiuſmodi Scioppianæ technæ ac fuci? Nempe vt tanto maiora atque grauiora Ordini noſtro detrimenta, improbus famæ noſtræ lanius, inferret. Quum enim ſcurrilis ea libellorum ſatio & fabricatio nullam ingenij vel induſtriæ commendationem vel admirabilitatem habere

poſſit; eò nimirum ab illo dumtaxat relata eſt, vt, quia vno tantùm libelli genere, Lectorem in faſtidium facilè erat adducturus, variatis libri nominibus ac titulis, quaſi diuerſis diuerſorum in ſpeciem librorum, atque Auctorum concinnatis embammatis irritamentisque nauſeabundum illius ſtomachum ad legendum, emendumque laceſſeret, ſimulque quàm belliſſimè luderet: ſicque innumeris boletorum iſtorum venenatis dapibus totum orbem propediem impleret, ſuamque infinitam Societati noſtræ nocendi cupiditatem atque inſatietatem eâdem operâ expleret, & quaſi anulo obſignatam cuique mortalium oſtenderet.

Num. 2. *Scioppiani in Ieſuitas odij cauſſa.*

Quibus autem ex cauſſis huiuſmodi Scioppij in nos odium tam immite ortum ſit, ſic ediſſerit appoſitè Forerus. a *Putant nonnulli, inſito quodam, vel potiùs innato illum odio erga Societatem flagrare, quod eâ ſtirpe ſit oriundus, ex qua prope ab ipſo Lutheraniſmi exordio, non pauci* Prædicantium, *vt vocant, ſeu* Miniſtrorum verbi, *officio per Palatinatum, diuerſis in pagis ſunt functi, vti ex ipſis tabulis* Regiminis Ambergenſis *magnæ auctoritatis vir monſtrauit: vbi eius nominis plures reperi* Prædicantes: *Hinc fieri poſſe, vt licet verbis Catholicam nunc profiteatur fidem, habeat tamen cognatarum venatum fibras nonnullas, in quibus tetrum adhuc corruptumque ſanguinem foueat, Ieſuitis infenſum: præſertim quum & ſcripta illius non ex omni parte ſpirent ſanum ac optimum odorem.*

Alij verò exiſtimant affectatum ab eo iam dudum in literas regnum, inuidentiæ erga Societatem fomitem miniſtraſſe.

a *In Præf. Protei pag. 3.*

miniſtraſſe. Notum enim omnibus eſſe, quàm immodicè ille ſe ſuaq; aſtimet, quantoq; opere vniuerſis perſuaſum velit, Ieſuitis Muſas omnes iratas eſſe; ſibi ſoli à Superis eas contraditas ad cuſtodiendum; quare cùm videat, honeſtis diſciplinis etiamnum in Ieſuitarum ſcholis honorificam ſedem, non ſine parte laudis, eſſe conſtructam, eum de literarijs faſcibus deſperare; ideoq; iniquis, atque retortis oculis Societatem intueri.

Fuerunt inſuper ex amicis illius, qui dicerent, ab aliquibus è Societate Patribus, ſeu dicto, ſeu facto (neſcio quâ in re) fuiſſe hunc hominem offenſum, præſertim Græcij & in Italiâ; idq; fatentur expreſsè Amphotides Scioppianæ pag. 129. Hinc illa lacrymæ.

Ac I. *aiunt, Romæ ante complures annos ipſum voluiſſe intra Collegij Germanici parietes velut in ſtabili domicilio nidulari; cuius conatui quum ſe P. Bernardinus Caſtorius illius Collegij Rector oppoſuiſſet; quòd illius conuictum atque conſuetudinem Germanicæ iuuentuti putaret minùs commodam, iacta eſſe irarum ac vindictæ ſemina, etiam multis poſt annis pullulatura.*

II. *Aiunt quoque, Ieſuitarum quorundam editis libris bilem ei fuiſſe commotam, quòd vel ea defenderent, quæ ipſe improbabat, vel ea improbarent, quæ ipſe defendebat. Exempli cauſſa, Petrum Ribadeneiram in* Principe Chriſtiano, *Adamum Contzen in libris* de Republicâ, *acriùs in Machiauellum inuehi, eiuſq; Pſeudo-Politicen peſtilentiſſimis libris adnumerare: id ægerrimè ferre Scioppium; qui deleturus hanc Macchiauelli maculam,* Pædiam Politices, *conſcripſerit, typiſq; Romanis in Orbem emiſerit.*

Peſcettius à propugnatore Aluari mirè vapulauit.

III. *Hiſce aiunt accedere eam docendi rationem à Societate obſeruari ſolitam, quàm ipſe ſexcentis obelis confodiendam cenſeat. Neque enim Grammaticam*

Emmanuelis Aluari, neque libros aliorum Ieſuitarum, qui politiores literas attigerunt, ipſo iudice, ſolœciſmis & erroribus carere. Quum ergo idem ſummus Latinitatis vindex ab omnibus audire velit, mirum videri nemini debere, ſi ſua Reiq; publica intereſſe putet, Societatem ab hoc publico docendi munere remoueri, & qua in Latium Barbaries inuehatur, vniuerſos commoneſieri. In quem finem & nouam Grammaticam, præfixo Paſcaſij Groſippi nomine, euulgandam curauerit, & per Orlandum Peſcettium Veronenſem pro meritis Emmanuelem Aluarum caſtigârit.

Summa Scioppij importunitas in annuo à Cæſare ſtipendio flagitando.

IV. *Aiunt in proximis Comitijs Electoralibus, Ratisbonæ anno* CIƆIƆCXXX. *Scioppium à S Cæſ. Maieſtate, & Electoribus illic congregatis per chartam memoriæ cauſſâ oblatam ſuppliciter poſtulaſſe, vt ſibi, ob eximia in S. Rom. Imperium merita, ſeu honorarij, ſeu ſtipendij loco deinceps aliqua non leuis pecuniæ ſumma annuatim pendenda decerneretur, ex qua dum viueret, liberaliùs haberet alendi ſui ſubſidium & adiumentum: atque vt concepto deſiderio ſperatus reſponderet euentus, hoc negotium Confeſſarijs Imperatoris, & Electorum calidiſſimè commendâſſe. Quum autem ad finem procurrerent Comitia, nec tamen ipſe ſua vota videret; ſed ab hac ſpe repulſum ſe intelligeret, tum denique ſtomachum illius iam pridem in Ieſuitas acida ructantem, euerſione maximâ tentatum fuiſſe, quòd crederet, fruſtrationem illam tam ingentis boli, & velut Theſſalicæ buccea, à nemine alio, niſi à Ieſuitis* Confeſſarijs *eſſe iniectam.*

Atque hoc aſtu dum agitaretur, ſuperueniſſe alios, qui hominem commotiſſimum magis concitârint, caminoq; ardenti oleum offuderint. Nam eodem Comitiarum

rum tempore Ratisbonæ famoſa contra Societatem volumina ab ijs, à quibus minimè debuerat, fuiſſe magno numero diſſeminata: quorum partibus tanto facilius acceſſerit Scioppius, quanto minùs dubitauerit, quin, ſi eorum cauſſam defendendam ſuſciperet, promptiſſimè poſthac eſſet ab eis in menſæ aſſeclam admittendus, quorum ſalinum ſæpe anteà deguſtâſſet. Hactenus vir diſertiſſimus, nariſque ſagaciſſimæ, prorſus ex tripode, vt nihil addere neceſſe ſit.

Cap. IX.

Probroſos libellos, quibus Religioſæ familiæ, viriq́ue dedecorantur, Scripto refellere, ipſis quoque Religioſis fas iuſq́ue, imò & operæ pretium eſſe.

Num. 1. *Aliqui, reſpondendi Scioppij opprobramentis facultatem Ieſuitis negant.*

SEd quo effrænatiùs Scioppij os, calamuſq́ue noſtrum in Ordinem debacchatur, neſcio, quo noſtro infortunio, vel fortunante potiùs Numine, eo minùs nobis væſaniam hominis vulgatis Apologeticis compeſcere, per miram quorundam ſeu hariolorum, ſeu putidiorum Sophiſtarum, ſeu moroſioris ſupercilij Cenſorum, qui nefas id ducunt, philoſophandi rationem, conceſſum eſt.

§. I.

Famoſorum libellorum diſſimulatio, & patientia ſpecioſis fulta præſidijs.

Num. 2. *Opprobria, vt Dona Dei agnoſcimus.*

In quam iſti ſententiam ne de nihilo ingreſſi, aut fruſtra nobis negotium faceſſere videantur, rem totam altiùs repetentes, negant præcisè, Religioſi eſſe officij, ſcriptis exaduerſum libellis vel Satyris reponere, aut paria cum illis facere, neque hoc ab vllo in dubium, à me præſertim, quin meo ipſius pugione iuguler, reuocari poſſe. Quid enim? ærumnas omnes, & calumnias Chriſti gratiâ, exantlatas Chriſtiani viri teſſeram prædicauimus. Cur ergo emiſſis voluminibus abijciantur? virtutis inſigne documentum oſtendimus. Quid igitur calamo peruersè repugnando aboleantur? Dei donum ingens docuimus. quorſum ergo reclamitando ſtultè repudientur? egregium facinorum ſtipendium, atque inuitamentum demonſtrauimus. & per intempeſtiuam contentionem abijcientur? flores æternæ vitæ vernantes exhibuimus. & inconditis iurgijs obterentur? clauem cœleſtis patriæ, gloriæ perennis arrham, felicitatis humanæ apicem, & coronidem repræſentauimus. Et temerè obſtrigillando corrumpentur?

Num. 3. *Chriſtus ad accuſationes ſilentium tenuit.*

Certè Aſſertor ipſe Orbis, Chriſtianæ norma diſciplinæ, quæ via ſuis aſſeclis, Religioſis familijs prcęipuè in calamitatum turbinibus inſiſtenda ſit, ſuo præluxit exemplo, quum vndique calumnijs obrutus, quamuis etiam rogatus à Prætore, ad ſui tamen patrocinium, nonniſi conſtans intra ſilentium

tium

tium ſe tenuit, *Et non reſpondit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur Præſes vehementer.* a Vnde, quemcunque per Chriſti veſtigia ire non pudet, aut piget, intelligit ſcilicet, vbi laceſſitur iniurijs, in ipsâ dumtaxat taciturnitate tutũ ſibi, glorioſumque perfugium eſſe quærendum. *Diſcimus* quippe *ex hoc loco,* vt præclarè notat Origenes, *b contemnere calumniantium, & falſorum teſtium voces, vt nec reſponſione noſtrâ dignos eos habeamus, nec defendere noſmetipſos.* Quâ doctrinâ imbutus admirandæ ſapientiæ Auguſtinus, *c* quid mirum, ſi contra Secundinum ſcripſit: *Senti de Auguſtino quod libet, ſola coram Deo conſcientia me non accuſet?* Si eâdem inſtitutus Magnus Baſilius Gregorium Theologum monuit in Epiſtolâ, *d Quæ calumniatores effingunt, pro nugis habenda eſſe?* Si indidem eruditus eloquentiæ Chryſoſtomus cunctos mortales anteſtatus eſt, omnia contumeliarum genera, ſi riſu excipiantur, illico euaneſcere, atque in cuiuſuis manu ſitum, vt vitam illarum, ſi velit, immunem viuat? *Si contumeliam deriſeris*, inquit, *e ſi verba non ſuſceperis, & vulnere ſuperior ſis, contumeliam non es paſſus.*

a *Matth.* 27. b *Tract.*35 *in Matth.*
c *Lib contra Secundinum cap.*1. d *Epiſt.*33.
e *Hom.*2. *ad populum.*

Num. 4. *Contempta probra non obſunt: & irritata magis ſæuiunt.*

Et ſanè quum is, qui alterum infamiâ adſpergit, infamiâ ſimul flagret non leui; *Quanta dementia eſt*, vt bellè Seneca, *a vereri, ne infameris ab infamibus?* Maledicæ linguæ humilia mapalia, improbeque conſuti doli magnorum virorum luminibus minimè obſtruunt; rabioſulos imbelleſque ringentium catellorum aſſultus leones ſecuri &

a *Epiſt.*91.

ludibundi tranſeunt; nec Olympi verticem, hoc eſt, Sapientum mentes ſemper pacatas conuiciatorum fulmina è liuoris vitro eiaculata feriunt. Quid ergo attinet ſuperuacaneis Apologeticorum clypeis onerare ſeculum? At contra ſi conuiciantem reprimere coneris, mox alia inſuper conuicia & probra longè inhoneſtiora in te actutum ſolicitaueris. Quam ob rem Cyprianus, quum Demetrianum calumniandi licentiæ fræna laxâſſe cerneret, ne acriùs illam ſcribendo proritaret, tacitus ferre maluit, ipſamque ſolo neglectu & deſpicatu frangere, ſatius putauit. Sic enim ad eum *a* diſertiſſimè. *Oblatrantem te, & aduersùs Deum, qui vnus ac verus eſt, ore ſacrilego, & verbis impijs obſtrepentem frequenter, Demetriane, contempſeram, meliùs exiſtimans errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quàm loquendo dementis inſaniam prouocare.* Ipſe quoque Hieronymus, tametſi ingeſta ab æmulis maledicta, amicorum precibus fatigatus, ſtylo multauit, nihilominus ingenuè fatetur, *b Rectiùs fuiſſe, modum furori eorum ſilentio ſuo ponere, quàm quotidie aliquid ſcriptitantem inuidorum inſaniam prouocare.*

a *Ad Demetrianum.* b *Præf. in Ierem.*

Num. 5. *Calumniarum contemptum, & Ethnici docent.*

Verùm quid Diuorum ſcita, vel Chriſti crucem profitentium exempla commemoramus; quum vel Ethnici ipſi homines ſolo naturæ ductu, quicquid dedecorum eſt, inſuper habentes, magno nos rubore, niſi planè pudorem attriuimus, ſuffundant? Alexander ille Macedo quàm erecto animo *a famam infirmiſſimum aduersùs fortes viros telum contemnendam* pronuntiauit? Quàm cor-

datè,

a *Curt. lib. 4.*

datè, conſtanterque Annæus Seneca *a* quibuſcunque dictorum acerbitatibus *non aliter,* vt ipſemet teſtatur, ſe præbuit, *quàm rupes aliqua in vadoſo mari deſtituta, quam fluctus non deſinunt vndecunque moti ſunt verberare: nec ideò aut loco eam mouent, aut per tot ætates crebro ſuo incurſu conſumunt? Aſſilite,* inquit, *facite impetum. Ferendo vos vincam. In ea, quæ firma & inſuperabilia ſunt, quicquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet. Proinde quærite aliquam mollem cedentemq; materiam, in quam tela veſtra figantur.* Quàm altè demum Antiſthenes Philoſophorum prudentiſſimus *b* ſupra Reges omnes ſeſe extulit, quum *malè audire, etiam cùm benè feceris, regium eſſe,* ſollertiſſimè aſſeuerauit?

a *De vita beata, cap.*27. b *Dio Pruſæus Orat.* 47.

Num.6. *Turpe ſtatim vlciſci ſe ſcripto.*

Hæc igitur quum ſint omnia; an non pudor eſt, ad quemlibet probri crepitum confeſtim arripere calamum, ſubitoque repungere? hiccíne in patientiæ gymnaſio virtutis profectus, Religioſis hominibus dignus, ne prima quidem tolerantiæ rudimenta in perferendis iniurijs callere? quæ inſanitas, pro nugis & apinis tanquam pro Troiâ, aut pro aris & focis dimicare? quæ dementia procacium furorem linguarum, nouis propugnaculis ignem gladio veluti fodiendo irritare? quantum flagitium, Chriſto Domino ad capitales accuſationes, in quibus de vitâ illius tollendâ, agebatur penitùs elingui; tam loquaces ad ſui defenſionem illos quoque, qui de Societate Ieſu nuncupari ſe volunt, peculiarique ſacramento ſe ei deuouerunt, referre paria paribus, otioſiſque Vindicijs librarias ſtipare officinas. Quid hæc tam amens altercandi lubido portendit, niſi horrendo illo extremi

Iudicij

Iudicij die de Ethnicorum tenebris Philoſophos, & Reges reſurrecturos, damnatoriamque tabellam toti iſtorum proſapiæ, qui Chriſti patientis ſilentio, tot voluminum tubis, & buccinis obſtrepentes, nugas operoſas, & pernicioſas nugantur, affixuros? Hactenus pro inſectatorum atque obtrectatorum Satyris extra periculum, iſtumque Alexipharmacorum collocandis non iciunè, opinor, nec frigidè.

§. II.

Famoſorum Codicum refutatio à Religioſis quoque viris adornata, rationum & teſtimoniorum firmiſſimo agmine munita.

Num. 7.

Nunc veritatis indagandæ cupidum, candidatumque Lectorem perſanctè obteſtor, vt vacuam mihi quoque aurem, ſaltem alteram, neque vllâ opinionum anticipatione occupatam commodare velit; & niſi infixum huiuſmodi cuneum brachio etiam molliſſimo excuneauero, contraque validiſſimis documentis confecero, Religioſis quoque viris integrum eſſe, & conducibile, veſanos libellos ſtylo configere; tum ego, quin vt ſtipes vel fungus audiam, minimè recuſauerim. Quia porrò mortalium pleroſque vulgi opinionibus in errorem rapi, nec de iure Religioſorum virorum ſui tuendi, vera cernere, ſed quamcunq; etiam innocentiæ propugnationem, tametſi honeſtiſſimam ijſdem inuidere, & vitio quoque vertere, animaduerto; ad tam ſpiſſam perniciabilemque caliginem multorum oculis offuſam tempeſtiuè diſcutiendam, neceſſe omnino habeo integram

hac

hac re diſputationem eamque duplicem ex profeſſo inſtituere; quæ ſi cui paulo longior, aut moleſtior accidat, hunc ego enixè obteſtor, vt hac præteritâ neglectâque, hinc capto impetu rectà ad *Cap.* XII. vno ſaltu tranſiliat. Egregiè ſanè Ioannes Rho vir acri ingenio, admirabilique eloquentiâ, tum multijugi eruditione, atque doctrinâ magnus (quem mihi olim magiſtrum obtigiſſe etiam gratulor) hanc ipſam diſputationem in ſui Achatæ veſtibulo ediſſertauit. At quia hìc me quoque eandem repoſcit Scioppius, indulge, quæſo benigne Lector, vt paulo longiorem de illâ ſermonem non vnius tantùm Scioppij gratiâ; ſed multò magis cæterorum omnium, qui cuncta Apologetica limis intuentur oculis, habeam ex profeſſo; neúe hoc ceu intempeſtiuum moleſtumque diuerticulum puta, quod hominum moroſitati neceſſariò impenditur, ac perſoluitur.

Num. 8. *Errandi cauſa, vnde in hac quæſtione?*

Verùm in anteceſſum monere neceſſe habeo, quàm accuratiſſimè obſeruandum, totam aduerſandi, allucinandique anſam ex eo tantummodò arreptam eſſe, quòd, quæ latiſſimè per diuerſas oras pertinet, de ſui defenſione diſquiſitio, arctis finibus coanguſtatur; & exundantis gurgitis fluuius, qui duos ſe in alueos per magna aquarum diuortia exonerat, in vnum dumtaxat perperam cogitur, alterque cum altero temerè confunditur, vnde tempeſtas quoque in ſimpulo non minùs intempeſtiuè, quàm inſubidè excitatur. Nam ſi vniuerſè, & ſine vllâ attributorum appoſitione decernas, iniurioſis libellis ſemper reſpondendum eſſe; qui Chriſti doctrinam atque exemplum cordi habet, ceu manifeſtò vanum explodet; ſin rurſum

ſum generatim pariter contra inficieris, fas vnquam eſſe, eiuſmodi calumnijs reſpondere; ex æquo idem ille, qui eiuſdem Chriſti imitationem amat, ceu abſonum exſibilabit, quum à Regio Sapientiæ myſtagogo *a* nemo non doceatur, temporum ſpatia atque articulos eſſe diſcriminandos, nec minùs loquendi, quàm tacendi tempus dari. Non igitur libris Apologeticis ex Chriſtianâ inſtitutione ſemper locus eſt, ſed interdum tantummodò, interdum verò minimè.

a *Eccleſ.* 3.

Num. 9. *Nefas eſt vlciſcendi cauſâ refellere probra.*

At ſi extra infinitam eiuſmodi enunciati amplitudinem, & vaſtitatem, contractioribus paulo terminis quæſtionem marginare lubeat, ac ſcire, quandonam loquendum, aut reſpondendum: quando verò tacendum, vel diſſimulandum: aio primùm exertiſſimè, dedécora volumina, vlciſcendi, vel retaliandi gratiâ, retundere, nunquam per Chriſtiana ſcita ius eſſe, quod extra omnem controuerſiam eſſe planum eſt. Idcirco Romanos alloquens Apoſtolus, ſic apertè cauet, & ſuadet: *a* *Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi, ſed date locum iræ.* vbi Doctor Gentium iuſto ſui patrocinio nequaquam interdicit, ſed iniquam tantùm vindictam proſcribit; tum quia, ſi Græcos fontes adeamus, ij non *defendentes*, ſed ἐκδικοῦντες, hoc eſt, *vindicantes*, exhibent, ideoque Chryſoſtomus, Syrus, Tertullianus, & alij legunt: *Non voſmetipſos vlciſcentes*; tum quia, ſi Latini quoque verbi vim, ac notionem ſpectemus, *Defendo* ſonat interdum ac valet idem, atque *vlciſcor* ſeu *vindico*: Idcirco ex Ennio refert Marcellus; *Serua ciues, defende hoſtes*, id eſt, *vlciſcere*: Et Cyprianus libro de patientiâ,

a *Rom.* 12.

tiâ, *Nec defendi* (hoc eſt, vindicari) *ante Dominum Serui irreligioſâ feſtinatione properemus:* neque ſecus Tertullianus libro item de patientiâ, *cap.9. Quem honorem litabimus Domino, ſi nobis arbitrium defendimus* (id eſt vltionis) *arrogauerimus?* Quam verbi poteſtatem, locique ſententiam laudant etiam ibi Cornelius, Iuſtinianus, alijque paſſim Interpretes, vindictæ dumtaxat appetitionem à Paulo damnatam indicantes.

Num. 10. *Probra diſſimulanda, vbi non nocent.*

Ad hæc, vbi probra,& maledicta nonniſi priuatum aliquem perſtringunt, itaque illum vexant, vt, præter dolorum punctiunculas, quibus eum coram audita, vel aliunde percepta eiuſmodi conuicia cruciant, nihil detrimenti neque ipſi, neque alteri iniungant; Chriſtianæ profectò operæ eſt, illud ſilentio concoquere, nihil contra mouere, nec hilum commoueri. Quo Theologorum conſultiſſimus Bonauentura reſpiciens, rectè ſuo in Apologetico docet, a *Iniurias & moleſtias, ex quibus aliud malum non ſequitur, niſi quod illa hora ſentiri poteſt, vt ſunt verba probroſa, vel damna rerum, ſeu verbera, & ſimilia, poſſe viros Religioſos æquanimiter ſuſtinere; quia nil aliud afferunt nocumenti.*

a *Pro ſuo Ordine circa medium.*

Num. 11. *Tacendum, quum nulla ſpes fructus, ſed exitij maioris periculum imminet.*

Prætereà, quum tanti conuiciatoris, & calumnatoris improbitas, & peruicacia eſt, vt ſi ei ſeu ſermocinatione, ſeu ſcripto reſpondeas, nulla inde

ſpes

ſpes illius bonam ad frugem renocandi, dedocendique inſaniam, aut alterius fructus in alios deriuandi affulgeat, ſed noxæ potiùs maioris periculum ingruat; ſuperſedendum itidem eſt, tum lingua paſcenda, & Harpocrati nauiter litandum, quod ab eloquentiſſimo Cypriano Antiſtite, Demetrianum hiſce verbis excipiente, ſapientiſſimè factum legimus: *a Nam quum ad me ſæpe ſtudio magis contradicendi, quàm voto diſcendi venires, & clamoſis vocibus perſonans, malles tua ingerere, quàm noſtra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum, quando facilius eſſet, ac leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quàm tuam rabiem tractatibus coërcere. Certè & labor irritus, & nullus effectus, afferre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto, quum nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdos audire.* Eodem etiam pertinet, quum, quæ opprobrantur; iuter ſe minimè concinunt, ſecumque mutuò digladiantur, vnde calumniæ ipſius falſitas primo ſtatim aſpectu illuſtratur, & patefit, neminemque prorſus cuius ad aures accidit, fugit; tum enim in his quoque reſectandis omnis labor ſuperuacaneus eſt, & luditur plane opera. Nam aut calumnia, & malignitas ſatis vulgo comperta eſt, ipſeque calumniator conuicijs omnium iure inceſſitur; vel certè ipſa innocentia apud perditos homines tantâ flagrat inuidiâ, vt illi & calumnia & calumniator antehabeantur, imò etiam ad illam ipſam peſſumdandam ſtudioſè quærantur, & malitioſè, præfracteque foueantur. Si calumnia vendibilis non eſt, paſſimque euerberatur; quorſum, actum in eâ redarguendâ agere, oleumque perdere? ſin accepta eſt, obſtinateque multis à conſcijs propugnatur; ab alijs verò pariter gnaris, ſed innocentiæ patrocinantibus dirâ imprecatione defigitur; neque periculum eſt, vt ea quem-

quam

quam alium decipiat, aut in librum miſſa, cum abſentium, & poſteritatis fraude, per orbem ſerpat; tum pariter lingua, vel calamus incaſſum atteritur?

Num. 12. *Aliorum quoque monita, de contemnendis calumnijs.*

His igitur, alijsque conſimilibus adiunctis circumſcriptæ, incluſæque criminationes de honeſto viro vbi in publicum procurrerint; tum enimuerò, ſi Chriſtianæ Philoſophiæ conſilijs parêre ille velit, ex Origenis monito ei ſunt deſpiciendæ; tum pro nugis ex Baſilij placito habendæ; tum ſilentio, ne inſania magis acuatur, ex Hieronymi præſcripto premendæ; tum ceu infirmiſſimum telum ipsâ taciturnitate ex Alexandri ſuaſione difflandæ; tum ipſis probris veluti regio diademate ex Antiſthenis profato geſtiendum; tum dedecora & calumniæ Chriſti deuoratâ tanquam Chriſtiani hominis teſſera, virtutis nobile ſpecimen, Dei ſingulare munus, flores æterni æui, claues cœleſtis regiæ, pignus perennis gloriæ, ex Patrum ſententiâ veneranda, aucupanda, colenda; tum ad Senecæ æmulationem immotæ, indomitæque rupis in illis tolerandis conſtantia præſtanda; tum ad Chriſti Domini exemplum, quod caput eſt, patientiæ documenta ſanctè exercēda, frequentanda, oſtendenda; tum famæ denique iactura complurium imitatione Sanctorum, qui eam virtutis ergo, vt ex ſacris hiſtorijs planum eſt, iure ſuo neglexerunt, ſecurè & piè facienda. Atque hoc dumtaxat, & nihil ampliùs totus ille clauus initio diſceptationis impactus, quamquam in ſpeciem trabalis, euincit, atque extundit. Quocirca Origenes ſupra iam laudatus, recitatis ex diuino teſtamento verbis, Matthb 126. *Nihil reſpondis ad ea, quæ iſti teſtiſican: nr*

tantur aduerſùs te? Ieſus autem tacebat; vbi notauit, diſcere nos ex hoc loco, *calumniantium*, & *falſorum teſtium voces*, ceu, *reſponſione indignas, eſſe contemnendas*, quemadmodum anteà retulimus; a vt innueret id non generatim vndique accipiendum, nec perpetuò ſeruandum, ſed reſtrictè tantùm, ac ſubinde; illico dictum ſuum certis conditionibus caſtigat, enucleateque adijcit, tum defenſionem noſtri non eſſe ſucipiendam, *vbi non ſunt conuenientia, quæ dicuntur aduerſus nos. Quid enim opus eſt illis reſiſtere, qui ſibiipſis contraria dicentes reſiſtunt? maximè vbi maius eſt liberè, & fortiter ſilere, quàm defendere ſine vllo profectu, vt non humiliemur à teſtibus falſis, & calumniatoribus improbis.* Parque ratio omnino eſt de ſimilibus alijs adiunctis ſupra enumeratis, in quibus patientiam & ſilentium patrocinio præoptandum iam dixi.

a *Tract. 35. in Matth.*

Num. 13. *Religioſis fas eſt vim vi arcere: Et fortunæ bona tueri.*

Cæterùm ſi ex his attributorum alueis in alia aliarum circumſtantiarum emiſſaria quæſtionem educamus: quis naris adeò obeſæ, vel cui pro capite cucurbita ſine ſale tam inſulſa ſit, qui non agnoſcat, poſſe aliquando, & quidem perſæpe contingere, vt ſtructis calumnijs, atque ignominioſis libellis reſpondere licitum, imò & frugiferum, & neceſſarium ſit, non profanis tantùm hominibus, ſed etiam ſacris? Singula partitè, explicateque videamus. Nemo, opinor, niſi omnino deſipiat, negabit, Religioſis etiam viris integrum eſſe, iura ipſa naturæ tueri, vimque vi arcere ac propulſare,

propulſare. Nam vt de commutabilibus fortunæ bonis, quæ plerique eorum non ſingillatim quidem, ſed in commune collata poſſident, priùs agamus; quæro, ſi quis externorum hæc depeculetur, ſi domeſticam ſupellectilem diripiat, ſi ædes compilet, ſi horrea exinaniat, ſi annonam & commeatum inuadat, ſi agris & tectis excidionem, inflammationem, depopulationem, & vaſtitatem inferat; an non Religioſis hominibus fas, huiuſmodi iniurias & vim repellere, & prohibere? Non ſcitor in præſens, an perfectius ſit, iſta diſſimulare, & patientiâ indefatigatâ exſorbere; ſed an poteſtas ſit, an æquitas ferat hæc ab ijs comprimi, & ſubmoueri? Quis verò mortalium iure poſſit ambigere? an non exploratiſſimum eſt eorum inſtitutum Religioſorum, quorum ſinguli bonorum omnium mancipio ſe abdicant, idque ad commune dumtaxat pertinet, honeſtum eſſe atque laudabile? Nolo actum agere, quum ratum hoc fixumque non ſolùm conteſtatâ Catholicæ fidei teſſerâ, ſed ratione etiam ineluctabili, tum SS. Patrum Auguſtini, Baſilij, Chryſoſtomi, Hieronymi, Benedicti & aliorum chirographis, tum Conciliorum decretis, tum Pontificum diplomatis magnus Suarez ſolidiſſimè reuincat; *a* ſatiſque ex D. Proſperi verbis, *b* quæ & Concilio Aquiſgranenſi *cap.* 15. probata ſunt, & *cap Expedit.* 12. *quæſt.* 1. recitantur, conſtet, *Expedire facultates Eccleſiæ poſſideri, & propriæ perfectionis amore contemni:* Nec non, etiam Sanctiſſimorum Antiſtitum Paulini, atq; Hilarij, aliorumque exemplis compertum ſit, *& propria debere*, vt inibi ſubditur, *propter perfectionem contemni: & ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates (quæ ſunt profectò communes) poſſideri.* Quid quod huiuſmodi poſſeſſiones, & latifuudia non quoquo mo-

do

a *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 22. *& ſeq.*
b *Lib.* 2. *de vita contem. cap.* 9.

do in Religioſorum ære cenſentur, ſed veluti Numini deuota ab iiſdem ſeruantur? In confeſſo id planè eſt, atque ex Patrum Senatuſconſulto apud Caſſianum *a* ſine controuerſia perſpectum, Religioſos ipſos *non ſolùm ſeipſos non eſſe ſuos, ſed etiam omnia, quæ ſunt, credere Domino conſecrata. Propter quod ſi quid fuerit Monaſterio illatum, vt ſacroſanctum eum omni reuerentia debere tractari.* Quod poſteà noſtro æuo Eminentiſſimus Ioannes de Lugo, *b* maximum Vaticanę purpuræ decus, luculentiſſimè confirmauit.

a *Lib. 4. Inſtit cap. 20.* b *De Iuſtitiâ Diſp. 4. Sect. 2.*

Num. 14. *Neque Religioſi ad ſummam perfectionem in cunctis obligantur.*

Quum igitur id genus bona à Religioſis iure poſſideantur, cui non etiam liquet, eadem ab iiſdem iure quoque defendi? iure ab iniuriâ vindicari? iure de Sectoribus redimi? iure, die dato, de direptoribus repeti? iure pro iiſdem vadimonia obiri, lege agi, iudicium poſtulari, committi, intendi, conflari? quàm diſertè magnus Aquinas opuſculo *contra impugnantes Religionem* 19. adornatam ſtropham, quòd Religioſi iudicio contendant, ex deſtinato refutans *cap.* 15. pronuntiat, non dedecere *ſua ab illis iudicio repeti?* At enim cumulatioris meriti eſt, iſthæc corporalia, atque externa tolerantiæ ſtudio deſpicere. Audio. Sed plerique Religioſorum ad huiuſmodi exuperantiam virtutis nullis legibus adiguntur. Nónne abſolutioris quoque Sanctimoniæ eſt, totos penè dies cum Deo contemplando tranſigere, quàm breuem horam eidem vacare? tergum echinatis cruentare flagris, quàm mitioribus loris diuerberare? pauperibus quicquid domi eſt, erogare, quàm

quàm tenuem ſtipem porrigere? vt captiuum neſcio quem redimas, tranſtris te addicere, barbariſque venundare, quàm pauculos pro eo obolos elargiri? admirabilium denique virtutum copiâ, atque ſplendore Franciſcos, Dominicos, Antonios, Paulos, Ignatios, Apoſtolos ipſos, aliosque Sanctorum præcipuos referre, quàm minore perfectionis apparatu viros probos inferioris ſubſellij aſſimulare? quis ita hebes ac plumbeus, qui hæc, ſi cætera ſint paria, adeo obuia manu non prendat? ſed num propterea Religioſi omnes, etſi ad conſummatam virtutem eniti debent, in apice ſanctitudinis conſiſtere neceſſe habent? ſcilicet. num quia perfectionis extremam lineam necdum attigerunt, idcirco nihil illius hactenus indepti ſunt, aut ab honeſtate delirant? Delirus planè, qui id ſomniat. Lubet inediâ vexare corpuſculum, & triduanâ cibi potusque abſtinentiâ eſuriales veterum Anachoretarum ferias æmulari? rectè. Quid ſi alius tot dies impranſus atque incœnis integros omnino nolit traducere, ſed veſpertinâ dape tantùm fraudare palatum, fruſtulo panis contentus, malit? an ideò exſors meriti Deo cenſebitur? apage. quid ſi Religioſus, qui ieiunia ſuo ab inſtituto imperata ſeruat omnia, alijs diebus, nulli obnoxius legi, ieiunare deſinat, moderatoque cibo, & potu mane, ac ſerò, naturæ neceſſitati vel commodo aptè conſulat? an eâ re honeſtatis fines migrare dicendus ſit? Quis hoc dicat, niſi cui cordis loco pepo eſt, nec quid dicat, penſi habet? Haud ſecus pati ſe fortunis omnibus expelli, facinus quidem longè præclariſſimum eſſe poteſt; at non eâ gratiâ culpandi aut vituperandi, qui illa iure ſuo retinent, ac defenſant, eo maximè, quòd res non tantùm ſuas, ſed Deo etiam conſecratas tutantur. At Chriſtus, inquies, apertè vetat perfectionis ſtudioſos ſua bona ſalua

G conten-

contentioſè præſtare. *Ei*, inquit, *qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium.* Agnoſco, veneror que Redemptoris ſcitum. Sed quid tandem ſancit? nempe: Quod *quilibet* (vt D. Thomæ *b* interpretationi, & verbis inhæream) *habeat cor paratum ad qualibet damna temporalia ſuſtinenda potiùs, quàm caritatem, vel veritatem relinquat. Poteſt autem ſine præiudicio veritatis, vel caritatis contingere, quòd aliquis in iudicio ſua repetat, vt ex prædictis patet.*

a. *Matth.* 5. b. *Loc. cit.*

Num. 15. *Tueri famam Religioſi poſſunt Apologeticis.*

Quando igitur Religioſi quoque viri ſuarum fortunarum bona ab iniuria iure tueri, vt oſtendi, poſſunt; quantò honeſtiùs ac iuſtiùs ſuæ pariter famæ ac nominis decus, quod quibuſuis Crœſi theſauris tam magno ſupercurrit interuallo, aduersùs iniquas calumnias, editis etiam, quum opus eſt, libris, propugnabunt? Nam diuitiarum quod, rogo, pretium eſt, quis fructus, quæ dignitas, aut ſolatium? *Laqueus* videlicet *in auro*, vt verè philoſophatur D. Ambroſius, *viſcum eſt in argento, nexus in prædio, clauus in amore*: ac proptereà *dum aurum petimus, ſtrangulamur; dum argentum quærimus, in viſco eius hæremus; dum prædium inuadimus, alligamur.* Contrà verò ex ſecundæ admurmurationis flore quàm ſuauis gratusque odor efflatur? quàm iucundè huiuſmodi *vnguentis, atque odoramentis ſpiritualibus*, vt D. Baſilius *b* loquitur, animus recreatur? quàm magnificè Apoſtolus hęc bonum Chriſti ipſius odorem appellat, ſeque eo vndique delibutum prædicat? *Chriſti*, inquit, *c bonus*

a. *Lib. 5. de bono mortis, cap. 5.* b. *In cap. 3. Iſai.* c. 2. *Cor.* 2.

nus odor ſumus. Quàm enucleatè Theologorum parens Auguſtinus exponit ª: *Odor bonus bona fama eſt, quam, quiſquis bonæ vitæ operibus abundauerit, dum veſtigia Chriſti ſequitur, quaſi pedes eius pretioſiſſimo odore perfundit?* cætera mundi blandimenta, affluentesque rerum omnium copiæ vnguenti ſanè nomen & pretium ſibi quoque adſciſcant: at ſi cum hoc in contentionem veniant; nónne extemplo herbam, Salomone præciſè definiente, ᵇ *Melius eſſe nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa,* neceſſario porrigent? Quid opes reliquæ, & cunctæ gazæ eidem compoſitæ? an non, ſi eundem pronuntiantem audimus; ᶜ *Melius eſſe nomen bonum, quàm diuitias multas: ſuper argentum & aurum gratiam bonam*: multo minoris pendentur: Scio à Rabbino Salomone ᵈ *tria Coronarum genera, Coronam Legis, Coronam Sacerdotij, Coronam Regni* diſcriminari. At non minùs mihi certum, coronam honeſti nominis ab eodem ſupra cæteras efferri. *Sed corona,* inquit, *bonæ famæ omnes ſuperat,* vſque adeò, vt, quamuis hæc vita mortalis, quam viuimus, in bonis ſuperioris ordinis, quàm fama ipſa cenſeatur, nihilominus à pleriſque grauibus Auctoribus (vt Nauarrus *cap. inter verba,* concl. 4. *num.* 18 *verſ. Tertium quod* & *num.* 21. Valenzuola *Tom.* 1. *conſ.* 91. *num.* 2. Molina *de Iuſt. Tom.* 5. *diſp.* 32. *num.* 24. Eſcobar *de paritate & nobilitate* 2 *par. quæſt.* 2. *num.* 9. & Menochius *conſ.* 98. *num* 3. teſtantur) eidem famæ poſthabeatur. Id enim palàm denuntiat Romanus Orator *Philip.* 3. vbi mortem ſibi, quam dedecus, præoptandam, dilucidè ſancit: *Ad decus,* inquit, *& libertatem nati ſumus: aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur.* Id quoque manifeſtò confirmant Tiraquellus, *de nobilit. cap.* 20. *num* 63. Trentacinquius *lib.* 1. *variar. Reſol. tit. de Defenſ. reſolut.* 1 *num.* 5. Marquardus

 Fre-

ª *Lib.* 3 *de doct Chriſt. cap* 12. ᵇ *Eccleſ.* 7.
ᶜ *Prouerb.* 22. ᵈ *In Pirke auoth cap.* 4.

Freherus, *de exiſtimatione, lib.* 2. *cap.* 7. *num* 10. Dom. Amaya *in L. prohibitum. C. de Iure fiſci, lib.* 10. *num.* 21. & alij apud iſtos, qui omnes infamiam magis, quam mortem, timendam tradunt. Id etiam apertè ſciſcitur, tum L. *Iulianus.* ff. *ſi quis omiſſâ cauſſâ teſtamenti*: tum L. *reprehendere*, C. *de Inſtit. & Subſtit.* tum L. *iſti quidem*, ff. *quod metus cauſſa*; tum L. *in Codicillis.* §. *matre.* ff *de legatis* 2. Ex quibus conſtat planiſſimè, *homini ingenuo*, vt ait Petrus Herodius *lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 1. *tolerabilius eſſe vitæ, quam famæ detrimentum.* Nec profani dumtaxat Doctores in hanc eunt ſententiam, ſed etiam ſacri, ex quibus Diuus Ambroſius inſtar omnium, hoc loco ſit, *lib* 3 *de offic cap.* 4. ita diſtinctè rogans. *Quis enim vitium corporis, aut patrimonij damnum non leuius ducat vitio animi & exiſtimationis diſpendio?* Imò ipſiuſmet quoque Apoſtoli Pauli 1. Cor. 9. oraculum explicatiſſimum eſt; *Expedit magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet*, hoc eſt, vt reddit Iuſtinianus in Paraphraſi: *Melius eſt mori, quàm gloriæ & exiſtimationis meæ iacturam facere.* Meritiſſimò proinde Sanctus Hieronymus a hominem huiuſmodi redimitum coronâ, *Qui tam ſanctè, tamq; grauiter diſpoſuit vitam ſuam, vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit, dum aduersùs obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo*, beatum eſſe conſtituit.

a *Epiſt.* 14. *ad Celantium.*

Num 16. *Suos Religioſis fundos defendere licet: ergo multò magis famam.*

Quin ergo famæ atque exiſtimationis noſtræ prærogatiuæ tam multæ, tamque eximiæ ſint, & diuitiarum omnium bona tam longè vincant: ecquis non intelligit, quanto magis Hierophantis

&

& ſacris viris diligentiùs illas, quàm iſta, æquiùs, ac laudabiliùs, multoque meliore iure cuſtodire, defendere, & conſeruare fas ſit? Si *Cœnobij*, aut Collegij fundos, & prædia depopularis, illa Religioſi iniuriam prohibere iure, vt docuimus, poſſunt; ſi eorum nomen florens ſplendensque bonũ (nempe multo excellentius) fœdis libellis dehoneſtes, hos alijs libellis innocentiæ vindicibus refellere honeſtè non poſſunt? Fortunas externas, hoc eſt, laqueos, viſcum, nexus, & clauos tuendi habent poteſtatem; odoramenta bonæ famæ ſeruandi non habent? auri & argenti ſcrinia, nil niſi ſeruitutis authoramenta, ſine labe retinere queunt; coronam egregiæ exiſtimationis, maximam humanæ beatitatis partem, defenſare iuſtè nequeunt? Iniqua fortunarum euerſio quantam iniuriam euerſo conflet, quàm acerbo ſenſu, atque angore eum diſcruciet; quàm ſolidum, merumque illius ſoluendæ, arcendæ, vel reuellendæ ius eidem idcircò det, vbique gentium notum eſt. Sed quæ inſignior, vel atrocior iniuria, quàm iniqua partæ gloriæ atque honoris, aut fauorabilis exiſtimationis per infames calumnias direptio? Si quis *lapide ictus eſt*, vt S. Athanaſius diſſerit, *a medicum quærit.* At *calumnia ictus* nónne *grauius*, vt eidem placet, *quàm lapides feriunt?* nónne illa pugionis inſtar & gladij plagam nomini immanem ſemper infligit, eaque propter Lacon ille Thearidas, quum gladium fortè attereret coti, turbinaretque in mucronem, rogatus à quodam, an eſſet acutus, illicò reſpondit, *b Acutior calumnia?* nónne ipſa & *gladius*, & *claua*, & *iaculum*, vt Sapientum Coryphæus, *c* eodem Athanaſio teſte, ſcribit, *inſanabile?* nónne *ſuper mortem* ipſam, vt diuinum oraculum enunciat, *d grauis?* Eapropter

a *Apol. 1.* b *Plutarch. in Lacon.*
c *Loc. cit.* d *Eccl. 26.*

qui famæ alicuius detractum eunt, idem planè occidentibus facere à ſapientibus iure exiſtimantur. Hinc Gloſſa *in cap. homicidiorum*, *de pœnit. diſt.* 1. *verbo detrahit*, explanatè docet, *detractores dici homicidas, quia quantum in eis eſt, priuant animam (quæ melior pars hominis eſt) dum negant virtutes, quibus anima viuit, eſſe in ea.* Quod effatum egregiè exornatur, atque illuſtratur à Franciſco Marco *in Deciſio. Parlament. Delphin. Tom.* 2. *quæſt* 34. *nu.* 2. *&* 3. Hinc Alexander Pontifex *epiſt.* 3. quæ etiam in *cap. Summa* 6 *quæſt.* 1. refertur, vbi à S. Ioanne *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida dicitur:* quia qui fratri, vel proximo cuicunque obtrectat, perinde nocet, ac ſi ipſum necet, pro *odit*, *detrahet* aptè ſubſtituit, itaque habet conſignatiſſimè: *Summa iniquitas eſt, fratres, detrahere & accuſare. Vnde ſcriptum eſt*; Omnis qui detrahit fratri ſuo, homicida eſt. Hinc Diuus Clemens Romanus Antiſtitum Maximus *epiſt.* 1. ad Iacobum fratrem Domini, vt *cap. homicidiorum* ſcitato exaratum iutueri licet, hoc ipſum ſcitum perſpicuo etiam Principis Apoſtolorum documento, hiſce totidem omnino verbis corroborat: *Homicidiorum verò tria genera eſſe dicebat Beatus Petrus, & pœnam eorum parilem fore. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita & detractores eorum, eoſq; odientes, homicidas eſſe manifeſtabat: quia & qui occidit fratrem ſuum, & qui odit, & qui detrahit ei, pariter homicida eſſe monſtrantur.* Quam doctrinam ſecundis admurmurationibus excipiunt quoque tum *cap. pernicioſè, de pœnit. diſt.* 1. tum Gloſſa, *ibid. verbo, Non licet, in fine*, & *in cap.* 1. *de ſchiſmate, lib* 6. *verbo gladium*, laudantque dilucidè Franciſcus Marcus, *loc cit.* Nauarrus, *cap inter verba* 11 *quæſt.* 3. *concl.* 6. *num.* 105. Petrus Gregorius *lib.* 38 *Syntagm. cap.* 5. *num.* 3. Ioannes Polekius *de malis linguæ, lib.* 2. *cap.* 11. D. Eſcobar *de purit.* *pro-*

Proban. 1. *par. quaſt* 2. *num* 9. Guilielmus Barclaius *de Regno & Regali poteſt. lib.* 6. *cap* 13 apud Petrum de Auiles *in Apologia contra Spinum art.* 3. Hinc Petrus Herodius *lib.*6. *Tit* 5. *cap* 1. Non vnam tantùm, ſed multiplicem mortem ab obtrectatoribus inferri ſæuiter, humaniſſimè indignatur. *Sic inſidiari*, inquit, *famæ alienæ, vt nota etiam ad poſteros tranſeat, quid aliud eſt, quam ſæpe eundem occidere? ſemel, quia homini ingenuo tolerabilius eſt vita, quam famæ detrimentum*, vt paulò ante etiam indicatum eſt: *iterum, quia ex bene antè actâ vitâ memoria ſupereſt, damnatur maledicentia. Qui diffamat, iugulat, pluſque in maledicto, quàm in manu, iniuriæ eſt. Sed & liberi, gens, familia tota petitur indignè, non vulneribus, quæ etiam ſine cicatrice ſæpe obducuntur: ſed probris, quæ (ea mortalibus ingenita inuidia eſt) quum maximè putes obliuiſci, recrudeſcunt.* Hinc poſtremò obtrectatores ipſimet quoque latronibus peiores eſſe diſertim iudicantur, vt ex *cap. deteriores*, & ex *cap. ex merito* 6. *quaſt* 1. liquidò compertum eſt, animaduertuntque nominatim Maſtrillus *lib* 6. *de magiſtratibus, cap.* 2. *num.* 48. & Eſcobar *de nobilit. & purit. proban. par.* 1. *quaſ.* 2. *num* 5. adeoque à Pio V. in Diplomate, quod incipit, *Romani Pontificis*, ob flagitij immunitatem, *iniquitatis filij, perditionis alumni*, iure optimo appellantur. Nam vt plura in pauca conferam, leuiterque huiuſmodi carnificinam perſtringam, quam enim hæc Erynnis & Megæra vitæ integros ſceleriſque puros, quot probos, quot innocentes, quot Sanctos de medio repentè ſuſtulit? Te, Socrates magne, appello, qui in tui defenſione, vt legimus apud Platonem, *a* pleroſque viros bonos vulgi calumnijs circumuentos atque oppreſſos deploràſti, teque ijſdem petitum mox dedendum neci rectè vaticinatus es. Quantam peſtem hoſtis hoſti machinetur, importetque, cui

a Apolog. 1.

non perſpicuum? quàm latè edit ſtragem? quot ædificia & pagos incendit? quàm multos mortales cum pecore & aliâ prædâ capit? quàm crebra latrocinij, ſæuitiæ, & vaſtitatis monumenta vbique relinquit? At ſæpenumero nulla hoſtilitas, nulla, tantum furoris (quis credat?) in aduerſarium euomit, tantumque audet, quantum à fucatis linguæ dolis in viros innoxios effunditur. Quàm *multi* enim *hactenus plus mali per calumnias*, vt cordatè vir amuſſitati iudicij ratiocinatur, *quàm per hoſtes acceperunt; multisq; iam iniuria maior facta eſt propter aurium infirmitatem, quàm per inimicorum inſidias?* Neque ſat habet calumnia, ſi in fortunas, & corpus graſſetur, niſi etiam virtutes ipſas, quæ in animi ditione ſunt, elidere nitatur, atque hoc nomine ſummum in humanis malum habeatur. Nam aut ego vehementer fallor aut Thaumaturgi Gregorij diſertiſſima & planiſſima hæc verba ſunt: *b Summum malum calumnia, qua Sapientum maximè animabus inſidiatur, generoſam, ac denſam illam virtutum ſiluam extirpare molitur.* Examina igitur tantum calumniæ malum, & iniuriæ pondus immenſum, quo innocentem prægrauat, nullo negotio deprehendes.

a *Rhegin. de amic. in Polyanthea V.* calumnia.
b *In cap. 7 Eccleſia.*

Num. 17. *Calumnia conturbat ſapientem.*

Vnde quid mirum, ſi tam enormi iniuriæ tam immanis etiam animi perturbatio, quâ vel ipſi Sapientes, ne dum plebeia Sellulariorum fex, percelluntur, pari paſſu comitetur? Nolo hic ego cuiuſquam imperiti conſilium audire,

non

non Poëtarum exaſciatas Lexes hîc moror, non Philoſophorum effata hîc attendo, non Apollinis operta hîc curo; ſed verba diuinitus afflata, Numiniſque penitiora conſulta, quibus reluctari nefas ſit, requiro. Ipſe Sapientum rex inclytus Salomon ex cœleſti cortinâ, quanta calumniæ pernicies ſit, quàm dirum virus, nobis renuntiet. *Calumnia conturbat*, inquit, a *ſapientem, & perdet robur cordis illius.* Quid monſtri meos in oculos atque aures modò incurrit? Ergóne & vir fortiſſimus, qui ſapientiâ probè loricatus, imò plane cataphractus toto non ſolùm corpore, ſed etiam animo extra omnem turbinis ictum poſitus exiſtimatur, qui cuncta fortunæ tela reſpuere ſolet, qui quoſcunque aduerſorum caſuum arietes eludere ac retundere ſuetus eſt, pertenui calumniæ ſibilo, leuiq́ue auræ dat manus? turbatur? molleſcit? eneruatur? frangitur? Oraculum de cœlo fuſum eſt, ita à Diuo Hieronymo, à Syro, à Salonio, ab Albino, & alijs explicatum, cui refragari flagitium eſt. Nec ſolùm turbas in ſapiente calumnia excitat, ſed etiam eò illum interdum impellit, vt mentem ferè non habeat in poteſtate, amentiq́ue ſimilis videatur: ideoq́ue, vbi vulgatus interpres, *Calumnia conturbat ſapientem*, aptè reddidit; alij ſignificantiùs *inſanire faciet*, vt Pagninus, vel *ad inſaniam adigit*, vt Tigurina. Hinc verò proximo aſſultu quaſſuq́ue ſapientem in ſummam rerum omnium diſperditionem non rarenter deturbat; quod Syrus pulchrè ibi ita expreſſit: *Accuſatio perdit ſapientem, & perdit cor dentium illius.* Sed miſerum huiuſmodi naufragium multo copioſiùs Poëta non inelegans, & ſolers, Salmonius Macrinus, cui locum poſt diuina reſponſa concedere,

a *Eccleſ. 7.*

præſertim cum his bellè concinenti non piget, hoc pacto deſcribit. *a*

Non ſic furenti tumida deprenſam ſalo
Ratem procella quaſſat, aut turbo implicat,
Cùm Zephyrus Euro certat, & Borea Notus,
Dubiaq; pendet vnda, quem Dominum vocet;
Non ſic aquoſo fulmen eliſum ſinu,
Cerauniorum culmina adflatu quatit;
Vt maior vndis, ſæuior telo Iouis,
Calumniarum turbo, ſapientem vorat.

In huiuſmodi porrò calumniarum ſalo mariq́ue Sapiens, illarum æſtu continenter reciprocante, improbè, diuq́ue iactatus, quàm frequenter ſapientiæ ipſius, dum iniuriarum vlciſcendarum libidine, vel aliorum ſcelerum vorticibus abripi ſe, mergiq́ue ſinit, detrimentum facit, vel certè minimum periclitatur maximè, ne Dei iuſſa, legemq́ue negligat, aut ægrè admodum ſeruet? Id ſi quis, ceu ex vano hauſtum, eleuat, aut ridet; doceat, quæſo, me, cur magnus ſapientiæ promus, regius vates calumniarum immunitatem cum diuinorum edictorum obſeruantiâ tam arcto fœdere copulauerit, vt illam à Deo, quo hanc inuiolatam tueatur, enixè poſtulet? *Libera me*, inquit, *b à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua.* Quæ affinitas inter vtramque? quæ coniunctio? quid negotij alienæ fraudi cum meâ fidelitate? quis conſenſus inter alterius nequitiam, & meam innocentiam? maximus omnino, *Qui enim opprimitur calumniâ*, vt præclarè diſputat D. Ambroſius, *c non facilè poteſt cuſtodire mandata diuina. Triſtitia neceſſe eſt plerumque aut timori cedat, & affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore.* Quando igitur calumnia tot malorum cumulo, tantâque rerum per-

a *Apud Aloyſium Nouarinum de Aquis Nuptiarum lib. 6 Excurſu 70. num* ɪↃɪↃCCCLXII.

b *Pſal. 118.* c *Ibi in ea verba.*

perturbatione animum ſapientis obruit, haud ſanè mirum, ſi ea cane & angue peiùs ab illo timetur, meritoque illud Eccleſiaſtici *a* is ſibi aptare poteſt: *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem, ſuper mortem omnia grauia.* a *Eccleſ 26.*

Num. 18. *Tres ſapientum ordines ſunt.*

Sed neſcio, quis de Stoicorum grege forſan hic intercedet, ſuumque mihi ſapientem vel in Phalaridis tauro ſublimi mentis malaciâ fruentem, atque omnî ex parte placatum, tum quauis calumniâ ſuperiorem de cunctis obtrectationibus glorioſè triumphantem obtrudet: quin etiam vel S. Hieronymi confeſſione pugnabit acriter, calumniarum tela in viri perfectè ſapientis thoracem ac pectus cadere quidem poſſe, ſed perrumpere alterutrum non poſſe: *a Sapiens quidem perfectus nullâ argutione indiget, nullâ calumniâ conturbatur* (vt idem facundiſſimus & ſâpientiſſimus Doctor ſcribit) *& cum Apoſtolis gaudet, b* Quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Verùm ego, ſicut Stoicorum commenta & ſomnia habeo nauci, ac pro nihilo puto; ita fateor ingenuè, quemadmodum triplex genus ſiue nauium, ſiue nauarchorum exiſtit, quorum aliqui mari placidiſſimo, nullis vndis aut ventis commoto, nullis vadis impedito, nullis ſcopulis prærupto vſi, ad portum leniſſimè feruntur; nonnulli contrà tôt procellis ac tempeſtatibus, tot piratis ac ſyrtibus vndique obſidentur, oppugnanturque, vt quamuis ſtrenui & validi, nihilominus fatiſcant, infeſtisque gurgitibus tandem hauriantur; alij denique inter vtroſque medij,

a *In verba Eccleſ. 7. citata.* b *Act. 5.*

dij, tametſi Aquilonibus, & fluctibus ſæpius pulſantur, feliciter tamen eluctati, optatas ſedes tenent: haud ſecus tres in claſſes ſapientes eſſe partiendos, quorum aliqui omnibus abſoluti numeris, diuinâ gratiâ tam validè muniuntur, vt omnia calumniarum ſpicula non ſolùm infracto reijciant animo, ſed omnis etiam turbationis expertes, ne ſentiant quidē: alij contra etſi ſapientiâ bene exculti, calumniarū nihilominùs decumanis vndis exagitati, patientiæ & ſapientiæ ipſius naufragium faciunt: alij demum vtriſque adliti, atque conterimini, quamquam calumniarum nimbis, tonitribus atque turbinibus diu multumq; conflictantur, attamen victrice patientiâ ſoſpites, ad deſtinatos perennis gloriæ, vt ita dicam, cothones perueniūt.

Num. 19. *Exemplum Moyſis.*

Cæterùm ex beatis illis primi Ordinis ſapientibus, in hac mortalitatis patriâ, & beatitatis exilio oppidò paucos diuerſari, ſat ipſa vincit experientia. Secundi ordinis ingens turba. In tertio autem vt Religioſi viri omnes eſſe deberent, atque ad primum, quoad eis per naturæ imbecillitatem fas eſt, ſemper conniti; ita qui in eo iam cenſentur, exſortes culpæ, & laude non pœnitendâ digni, ſatis felices. Atque hi illi nempe ſunt, qui calumnijs turbantur quidem, ſed non deijciuntur: agitantur, ſed non merguntur; impelluntur, ſed non ſternuntur; neque ſecus eorundem patientia oppugnatur ſanè, ſed non expugnatur; premitur, ſed non opprimitur; trepidat, ſed non ſuccumbit; verberatur, ſed non perimitur; fatigatur, ſed non eliditur. Quam ſapientiæ conditionem ſi quis fortaſſe dilutioris eſſe virtutis, ac proinde Religioſis familijs, Euangelicæ perfectioni veliſicantibus, minùs conſentaneam, arbitratur; prouoco ego ad inuictiſſimum illum Iſraelitici populi Ductorem Moyſen, expletæ, cumulatæque virtutis ſingulare prodigium.

Quis enim Imperatorum *a* illo fortior, qui tot monſtra in Ægypto tantâ portentorum varietate atque admirabilitate perdomuit?quis Philoſophorum,aut Thoelogorum eo doctior,qui annos ipſos quadraginta humanæ priùs Ægyptiorum ſapientiæ perdiſcendæ, deinde totidem alios diuinæ, Dei colloquio, intimâque conſuetudine potitus, hauriendæ impendit? quis Regum illo prudentior, qui alios quadraginta annos, tricies centena millia hominum duriſſimæ ceruicis Summus Pontifex,ſummusque Imperator, Dei metu & religione imbuit,pace ac iuſtitiâ continuit,legibus & moribus temperauit? quis vatum, aut ſacerdotum ſanctior, quem Pharaonis Deum, & Iſraelitarum Antiſtitem, latoremque legis, tum nube adopertum, diuinorum arcanorum inſpectorem, Chriſtoque ſimillimum fuiſſe legimus? Nihilominùs tantus vir,ſi calumniâ inceſſatur,illico nutat,atque vt vetere vtar verbo, talipedat. Nam *b* ab Abirone, à Core,ac Cathano affectati ſibi principatus, nec non Pontificatus fratri ſuo Aaroni,crimine arceſſitus, inquietatur, angitur, aſperatur: imo & magno dolore cum ipſo Deo adſperſam ſibi labem conqueritur; Quin irâ percitus ad Dominum vociferatnr, atque hunc à perduellibus illis auertere nititur;neque ipſemet de ſe ita diſertè ſcribere erubeſcit. *c* *Iratuſq́; Moyſes valde.ait ad Dominum: Ne reſpicias ſacrificia eorum: tu ſcis,quod ne aſellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quenquā eorum.* Quid vero vbi clamorem multitudinis fretumque atq; hinc ſeditionem & tumultum contra ſe excitatum intelligit; an non agitatur? non tabeſcit?non vritur?non *vexatus eſt Moyſes propter eos,* vt Propheta Dauid *d* teſtificatur,*quia exacerbauerūt ſpiritum eius?*non id tantundem valet,ac ſi diceret,

a *Ex Cornelio Prolegom.in Pentateuch. ſect.3.*
b *Num.16.* c *Ibid.* d *Pſal 105.*

vt purpuræ decus Bellarminus exponit, *a Quia ſurgando, & murmurando aduersùs Moſem, ad amaritudinem, & triſtitiam adduxerunt ſpiritum eius, qui aliàs alacer, & promptus eſſe ſolebat, ad omnia Dei mandata ſine vllâ haſitatione complenda?*

a *Ibid.*

Num. 10. *Exemplum Ieremiæ.*

Sed Moyſe nihilo profectò minor vitæ integritate, incontaminatæ probitatis Ieremias, ille, qui vel in materno vtero ſanctitudine diuinitus locupletatus, vſuram ipſam lucis anteuertit, Deoque vates conſecratus eſt; ille, qui totam vitam ſemper virgo, vt *a* S. Ignatius, ac *b* D. Iſidorus fidem faciunt, exegit: ille, qui *virginitate ſuâ*, vt tradit *c* S. Hieronymus, *Euangelicum virum Chriſti Eccleſiæ dedicauit*; ille, qui lethalis noxæ, totius vitæ curriculò, vt *d* S. Athanaſius obſeruat, expers fuit: ille, *qui ætate, & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine* vallatum, vt *e* Macchabæorum acta referunt, Iudæ Macchabæo viſendum poſt obitum ſe præbuit; ille, qui ab ipſo Deo & *in ciuitatem munitam*, f *& in columnam ferream, & in murum æreum* regibus & principibus, & ſacerdotibus, & populo Iudæ datus fuit. At enim vir quoque tam diuinus, vbi à Iudæis, quibus Babylonicam captiuitatem vaticinabatur, ſe velut falſum Prophetam, Chaldæorum amicum, & patriæ proditorem, per calumniam infamari inaudit, tum enimuerò ingemiſcit, tum luget, tum expoſtulat, tum ad Deum clamat: *Seduxiſti me Domine; & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & inualuiſti: factus ſum in deriſum*

totâ

a *S. Ignat. epiſt ad Philadell.* b *S. Iſidor de vita & morte Proph cap. 38.* c *S. Hieron. prol in Ierem.*
d *S Athan ſerm. 4. contra Arianos.*
e *2. Mach. 15.* f *Ierem. 1.* g *Ierem. 20.*

totâ die, omnes ſubſannant me. Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito; & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium.

Num. 21, *Exemplum Baſilij.*

Verùm quid de auſteriſſimæ ſanctimoniæ Baſilio Magno loquar? quàm longè ab omnibus mundi illecebris, atque honoribus abhorret? quàm difficili ingenio quemlibet Monachorum anteit? quàm ſeuerum morum magiſtrum tot Religioſorum millibus inſtituendis ſe præſtat? quæ Euangelicæ abſolutionis puncta in regulas quà fuſiores, quà breuiores non redigit? quà vitæ rigidioris deſtrictâ cenſurâ præferuidos etiam ſpiritus non deterret? quas patientiæ palmas dudum ſibi non meſſuit? quæ fortitudinis argumenta non edidit? quos ſapientiæ vertices ſummaque cacumina non occupauit? quàm generosè, quàm ſtrenuè Catholicam Religionem aduersùs infeſtiſſimos hoſtes, capite ſexcentis mortis periculis obiectato, ſuorum oppoſitu laterum propugnauit? Sed age. Obtrectationis cote conſtantiam illius paulùm periclitare. Admoue ei maledicæ linguæ colubrum, fac eum mordeat tantillum & calumniæ veneno corripiat; mentior ego, niſi extemplo ille contrahit frontem, niſi in mœrorem rapitur, niſi ſummoperè perturbatur, niſi animo debilitatur, ac pene concidit. Num hæc ego amplificandi ſtudio in præſentiâ fingo, & temerè viro ſanctiſſimo affingo? mentior iterum ego impudenter, niſi ipſemet iſte omnia de ſe ingenuè fatetur, atque hiſce verbis in Epiſtolam 82. conijcit: *Attamen certè, quoniam vehementia erant verba, & ex pectore admodum calido prolata, animo ita excuſſi, confuſiq́ue, & deiecti concidimus, vt non haberemus, quod rogantibus reſponderemus.* Mox paulò infra;

ſra: *Ad haſce itaque literas animatus, vt par erat, & ad tam inopinam ac ſubitam immutationem animo perculſus, ne reſpondere quidem poteram: palpitabat enim mihi cor, lingua me deſtituebat, manus ſtupebat, & planè patiebar, quod animo ſolet parum forti accidere.* Rurſum ad paucos verſus: *Iſta quum animo mecum reuoluerem, & corde indeſinenter verſarem, imò ab ipſis potiùs verſarer ita me mordentibus, ac iugi rememoratione turbantibus; nihil ad illas literas reſpondi: non quod ex contemptu ſiluerimus, ſed quod præ haſitatione & mentis inopiâ non habebamus, donec ad hunc modum affecti eramus, quod tantâ mæſtitiâ dignum exprimeremus.*

Num. 22. *Calumnia viros quoque ſanctiſſimos turbat.*

Iam quis Religioſorum cum viris tam eximijs de ſapientiæ, aut fortitudinis laureâ certare velit? quis cum Moyſe, cum Ieremiâ, cum Baſilio, & ſimilibus in calumniarum tempeſtate excipiendâ contendi ſe patietur? quis vltro Imperatoribus adeò ſtrenuis tolerantiæ palmem non deferat? Ieſuitarum certè nullus, credo, audaciæ tam proruptæ ſit, qui ſecum longè præclarè actum non putet, ſi ex propinquo pone illorum veſtigia aliquo interuallo ſequi integrum ſibi ſit. Quamobrem ſat ſuperq; ad id locorum exploratum eſt, quàm verè à Salomone enunciatum ſit, ſapientem calumniâ turbari, ſeu ad inſaniam adigi; quandoquidem viros quoque & ſanctiſſimos, & ſapientiſſimos, & conſtantiſſimos Moyſen, Ieremiam, Baſiliũ, & pariles, eiuſdem calumniæ vortice circumagi atque cruciari, vt iam docui, palàm eſt. Nec mirum: quũ enim famæ bona, quibus calumnia ſapientem ſpoliat, tam exaggerata ſint; contra autem infamiæ mala, quibus illum onerat, tam multa, vt explicaui; nimirum ille non poteſt ob hæc non meritiſſimo excedi, ac torqueri.

Num.

Num. 23. *Contumeliæ calumniæq́ diſcrimen.*

At quî tantùm ſapiens contumeliarum, & calumniarum ludibrijs adeò maceretur, & coquatur, inquiet aliquis; quum his potiſſimùm pro Chriſto exantlatis, ceu virtutis & Chriſtiani hominis teſſeris, magnis Dei muneribus, vernantibus æternæ vitæ floribus, pretioſisque cœleſtis patriæ arrhis, & clauibus ei lætandum eſſe demonſtratum ſit? Video ſufflamen non leue, diſputationis meæ rotæ, in orbem alioqui currenti, iniectū tempori, ſed facilè nihilominùs expellendum. Nam vt ſtrictim primùm, molliq́ue brachio attingam, contumeliæ, & calumniæ diuiduum eſſe maximè contubernium; poteſt illa profectò perſæpe à Sapiente ſine officij fraude diſſimulari, iſta non item; proptereaq́; in Acta Apoſtolorum etſi relatum eſt, gauiſos illos, a *Quòd digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati:* non tamen & calumniarum perpeſſione illos exultâſſe vſpiam ibi legitur. Quanquam enim contumelia homines valde vrit, nihilominùs non adeò illis nocet, ac calumnia ipſa. Nam ſi honeſtum virum veruecem, aut hircum appelles, contumeliā ei ſine dubio impingis; at longè minore damno ille carpitur, quàm ſi parricidij, aut inceſtus infanda crimina per calumniā ei imponas, vt planum eſt. Quocirca ex D. Bonauenturæ conſilio ſuprà tempeſtiuè monui, iniurias & moleſtias, verba probroſa, rerumq́; damna, ſeu verbera, quibus nihil prętereà mali, quàm id, quod tum, dum ea audiuntur, vel accipiuntur, pungit, angitq́ue, conſequens eſt; poſſe à Religioſis familijs, Chriſtianæ perfectionis cupidis, æquo animo ſuſtineri. Atqui calumniarum longè alia, vt iam expendi, ratio & noxa eſt; ac proinde ſapiens, quamuis contumelijs minimè perturbetur, calumnijs tamen iure optimo perturbari poteſt.

a *Act.* 5.

Num. 24. *Contumeliæ & calumniæ etſi Dei ſint dona, ſi fortiter tolerentur, ſapientem tamen vrunt.*

Deinde quum Sapientem contumelijs, vel calumnijs cruciari dicimus; num propterea & patientiam vnà ab illo rumpi concedimus? Nullo modo. Nam tametſi hæc quidem vexatur eiuſmodi opprobramentis magnoperè, vt ſupra caui; non tamen, vt illic quoque adieci, expectoratur. Sed calumniæ, & contumeliæ conſtanter toleratæ, Dei ſunt dona, flores æternæ gloriæ, pignora & claues cœleſtis regiæ. Eſto. quid tum poſteà? num idcirco Sapientis cutem non vellicant? num hominis naturâ illum exuunt? num ſenſum omnem ei adimunt? num reluctantem appetitionum tumultum illico ſedant? num patiendi immunem continnò illum reddunt? Fabulæ. Hæc quippe omnia, quamuis quà intrepidè perferuntur, Dei ſunt munera, & ſapientum lætitiâ perfundunt; tamen quà hominem acriter perſtringunt, ac mordent, permoleſta ei atque impatibilia videntur, inquieteque mœſtitudinis ſalebrâ eundem ſuccutiunt: generoſi planè inſtar militis, qui ita pugnam amat, & victoriâ partâ, aut ſpe pariendæ gaudet, vt tamen dolorem vulnerum, quæ præliando accipit, ſimul experiatur.

Num. 25. *Religioſis licet famam Apologeticis defenſare.*

Hinc redeo ad id, vnde paulò antè deflexit oratio, ac repeto, quum fortunarum damna, quæ longè minoris æſtimantur, Religioſis hominibus defendere, quòd magna in eos iniuria, magnaque animi perturbatio inde redundet, licitum, vt pa-

refeci, ſit; multò magis propriæ exiſtimationis ac famæ, quæ bonum longè nobilius eſt, iacturam (quòd ex hac multo grauior tum iniuria, tum animi perturbatio illis, vt vici, naſcitur) vulgatis Apologeticis cauere, ac reſarcire ijſdem Religioſis fas eſſe. Quis enim naturam ipſam ita oblitus ſit, vt quum ictus calumniæ diriùs feriat, quàm lapides, eum à ſacris viris meliore iure, quàm iſtos, repelli poſſe non fateatur? An vllus tam lapideus, vel ferreus exiſtat, qui nullo etiam pacto, ne dum multo magis ab ijſdem reijci poſſe, decernat? quiſquàmne tam præpoſteræ mentis adeò inſaniat, vt quum calumniam, gladij, clauæ, & iaculi inſanabilis inſtar habere, atque hæc cuncta morte grauiora negare nequeat; neget tamen à Religioſis ſapientibus honeſtè arceri poſſe? concedet plus mali hinc, quàm ab ipſis hoſtibus importari; & tamen Religioſis facultatem tot malorum ſcripto auertendi non indulgebit? dabit calumniam ſummum eſſe malum, quod virtutum ſiluam extirpare molitur; & tamen huiuſmodi telum exire Religioſis inconceſſum pertendet? Calumniâ perturbari ſapientes, pleroſque etiam conquaſſari, perdi, obrui, ac mergi non inficiabitur; & tantarum Iliadem calamitatum à Religioſis, arrepto ſui patrocinio relegari nefas exiſtimabit? Præ calumniæ triſtitiâ pleroſque difficulter admodum diuina implere mandata, facileque migrare annuet; & tanto ſe diſcrimini ſubducere euocatâ in lucem veritate, Religioſos vetabit? Viri quique ſapientiſſimi, fortiſſimi, atque ſanctiſſimi, Moyſes, Ieremias, Baſilius, alijque ſexcenti calumnijs laceſſiti, exacerbantur, iraſcuntur, mœrent, conqueruntur, vociferantur, exanimantur: & Religioſos omnes ijſdem dehoneſtatos, mutos, ſtupidos, & ſtipites ſine ore, ſine voce, ſine calamo, ſine ſenſu eſſe iubebit? & ſa-

pientiores

pientiores his ſapientiæ anteſignanis, fortiores tot fortitudinis principibus, ſanctiores tam luculentis ſanctimoniæ exemplis eſſe imperabit? Quàm nauiter oportet inſipientem eſſe, qui hæc tam abſona ſomnia, ab omni ſapientiæ, & prudentiæ calle tam longè delirat!

Num. 26. *Silentium ad calumnias. confirmat infamiam.*

Maneat igitur, Religioſis viris integrum, ſolutumque eſſe, ſui exiſtimationem, publicatis voluminibus, à calumniarum probris vindicare, eorum alioqui infamiâ, atque inuidiâ, niſi obuiam irent, ſine dubio laboraturis. Nam *qui tacet, conſentire videtur*, vt pluribus iam *cap.* 7. illuſtraui; & Ambroſio iudice, *a taciturnitas interdum pro conſenſu habetur.* Vnde prudenter cato illi ſollertique apud Salluſtium *b* viro C. Mario. *Non placuit reticere, ne modeſtiam in conſcientiam ducerent.* Vnde Arnobio diſertiſſimo, ſilentium contra Gentes inſultantes non ampliùs tenendum meritò viſum eſt, *c Ne diutius interrupta defenſio palmam criminis comprobati calumniatoribus conceſſiſſe dicatur.* Vnde D. quoq; Hieronymus iure ſe compelli ad reſpondendū Ruffino apertè ſcribit; *d Ne videatur tacendo crimen agnoſcere; & lenitatem ſuam mala conſcientia ſignum* ille *interpretetur.* Adde, quod ſicut *pulchritudo forma*, vt rectè Socrates *e* apud Stobęū monet, *cito marceſcit ex inuidia, ceu morbo quodam*, ita *nihil eſt tam volucre*, vt egregiè M. Tullius, *f quàm maledictum: nihil faciliùs emittitur, nihil citiùs excipitur, nihil latiùs diſſipatur.* Sed nihil planè ægriùs quoque, ac laborioſiùs eraditur, aut reuellitur.

Quòd

a *Serm.* 1. *in cap.* 13. *Daniel.* b *In Catilin.*
c *Lib.* 1 *contra Gentes.* d *Apolog. in Ruffin. lib.* 3.
e *Serm.* 18. f *Pro Plancio.*

Quòd ſcilicet innocentia ipſa in latebris iaceat, mendacium verò obductum laruâ in propatulo cunctis promercale ſit. Quâ de cauſsâ ſapienter Iſocrates, à S. Maximo laudatus, monebat: *a Calumnias, etiamſi falſæ ſint, eſſe cauendas: vulgus enim veritatem ignorare, ad famam reſpicere.* Multoque ſublimiùs S. Athanaſius Apolog. 1. *Veritatem his* quidem *mederi poſſe*; at *ſi negligatur, vulnera acerbiora fieri* Vnde ſatis, reor, dilucet, quàm caſſo conſilio initio huius diſceptationis deſpicientia calumniarum tanquam imbellium, nocendoque imparium tam operosè commendata ſit, quum rubetis quoque ſcorpionibus, ac viperis nil ferè exiliùs, minutiùs, vel abiectiùs humi ſerpat; & tamen nihil pariter his venenoſiùs ſit, nihil peſtilentiùs, aut nocentiùs. I ſanè. iſtorum ictus, morſusque negligito, afflatum virus nullâ antidoto admotâ egerito. Quàm feſtinatâ, miſer, nece inertiam lues ſimul, atque amentiam? Haud ſecus prorſus, calumniæ fabricatrix lingua, vel calamus, ſcorpio, rubeta, ac vipera eſt, in ſpeciem quidem exigua, puſilla, tenuis. At venenum lethiferum ad nominis & famæ præcordia illico penetrans fundit; mortem ſubitò, niſi medicinam præſentaneo Vindiciarum alexipharmaco facias, vulgo veritatem ignorante, atque ad famam reſpiciente, allaturum.

a *Serm.* 10. *Tom.* 5. *Bibliot. PP.*

Num,

Num. 27. *Etſi calumniarum patientia magnum Dei munus eſt, tamen ea adhuc diluenda ſunt.*

At nodum rurſus neſcio quis alius in ſcirpo quærens, ſcitatur curioſè, quo tandem pacto calumniæ, Apologeticis libris foras datis, à Religioſis viris ſapientiæ addictis honeſtè diſſlari poſſint, quum ex Chriſti Domini gratiâ toleratæ tam magna Dei ſint munera, torque alia, & tam cumulata bona anteà recenſita ſecum ferant? ſed nullo ad hunc nodum enodandum Deo vindice ex machinâ opus. Tametſi enim veritas, ſuſcepto innocentiæ patrocinio, ſuo collocatur in lumine, vnaque calumniæ ipſæ euerberantur; non propterea tamen iſtarum pretium, & fructus probis Religioſis, qui earundem aſperitatem, atque moleſtiam Chriſtianâ patientiâ, quantumcunque vexatâ, & fatigatâ deuorant, perit. Quippe illas iuſtis nominibus tum hactenus explicatis, tum deinceps explicandis ita refutant, ac iugulant, vt præteritas iniurias inde in ſe iactatas, Dei ſibi demerendi ſtudio, nequam vlciſcantur, ſed liberaliter condonent; earumque aculeos propriæ ipſorum exiſtimationi maximè infeſtos æquo animo concoquant: Quâ ſanè ratione & illatum prærogatiuis, bonisque fruuntur, & varijs ſimul incommodis ex earum tabe manantibus occurrunt: perinde ac qui à ſicario fœdè ſauciatus, quanquam ei & vulneris iniuriam, & huius curandi expenſas, & cruciatuum moleſtias, & alia damna hinc contracta, ex Chriſtianæ Caritatis exuberantiâ ſponte remittit, omniumque iſtorum gratiam perlibenter facit; non tamen idcirco telum, aut glandem relinquit in vulnere, ſed ne ampliùs ſæuiat, noceatúe, inde ſubitò extrahit, eique ſanando præſens-

præſens ceratum mox applicat; atque ita & virtutis ſtrenam lucratur, & plagam ipſam ſimul medicatur. Quod ſi quis hunc, quia vulnus incuratum non ſinit, illico patientiæ, caritatis, & fortitudinis expertem, aut incurioſum, negligentemque pronuntiet, næ ſtrenuè deſipiet, atque ad agnatos deducendus erit. Haud ſecus etiamſi libris Apologeticis Religioſi viri calumniarum vulneribus, ne deinceps ſint detrimento, iure optimo medentur; non idcirco patientiæ, caritatis, aut fortitudinis iacturam, illarum iniurijs, carnificinâ, vſtrinâ, alijsque damnis Chriſti gratiâ obliteratis, vllam faciunt, vt ſatis perſpicuum eſt; & qui inficias ire audet, lautè amentiæ litat.

§. III.

Veritatis atque innocentiæ editis libris propugnandæ, conſilium, atque officium.

Num. 28. *Famæ tutelam ſuadent Ethnici.*

Sed quid ego de iure, & facultate famæ, aduerſus obtrectatores & Momos iuſtis vindicijs tuendæ, quæ Religioſis viris ſarta tecta manet, pluribus diſputo; quum ad huiuſmodi patrocinium arripiendum non ſolum humana, ſed diuina etiam conſilia, & tabulæ, quà profanæ, quà ſacræ, quemuis mortalium ſeriò hortentur, grauiterque impellant? Mitto Latinæ Comœdiæ delicias Plautum, a ſecum egregiè ita reputantem: *Ego ſi bonam famam ſeruaſſo, ſat ero diues*; Taceo Romanorum Socratem Catonem aptè ſic admonentem: *Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento*. Prætereo Græcorum Catonem Socratem ipſum apud Stobæum

a *In Moſtell.*

bæum his verbis commodè ſuadentem: *a Plus tibi cura ſit, vt honeſtam famam, quàm diuitias ingentes liberis relinquas; nam hæ mortales ſunt, illa immortalis.* Sileo Platonem in hunc modum rectè præcipientem: *b Nec eſt negligenda bona fama, res in omni vita vtiliſſima.* Linquo cæteros omnes Ethnicæ ſuperſtitionis Sophiſtas ac Philologos, hac de re aptè diſceptantes, eoſque tantummodò, qui Diuinæ Philoſophiæ conſultiſſimi ſunt, hîc appello.

a *Serm. 46.* b *Lib. de migratione Abraham.*

Num. 19. *Eandem famæ tutelam, ſuadent Viri ſancti.*

Nam ſi exiſtimationem à calumnijs ſcripto vindicare operæpretium Religioſis hominibus non eſt, cur D. Ambroſius perſpicuè docet: *a Oportere Sanctos & ab his teſtimonium habere, qui foris ſunt?* Quid S. Bernardus apertè diſcernit, *b* non eſſe debere *in famâ nauum malæ ſpeciei?* Quorſum Sapiens explicatè denuntiat; *c Curam de bono nomine habendam: hoc enim magis permanſurum, quàm mille theſauros pretioſos, & magnos?* Quâ de cauſsâ magnus Auguſtinus Doctori Angelico probatus, candidè tradit, *d Caninos detractorum dentes quandoque retundendos?* Vt quid Romanus Gregorius Pontifex Maximus partitè ſcribit: *e Iuſtos, ſicut ſine arrogantiâ loquuntur aliquando bona, quæ agunt: ita ſine zelo priuatæ gloriæ detrahentium ſibi linguas redarguere, quia noxia loquuntur?* At ſi Religioſi officij non eſt, famam calumnijs dehoneſtatam Apologeticorum ope ſuo nitori reddere; hæc omnia oracula, & diuinæ Senatuſconſulta nónne fruſtra

a *Lib. 2. in Lucam.* b *Lib. 3. de Conſider.*
c *Eccleſ. 41.* d *Lib. 2. de Trin. Opuſc. 19. contra impugn. Relig. cap. 14.* e *Hom. 9. in Ezech.*

fruſtra penitùs ſunt? Scio primam exiſtimationis defenſandæ rationem eſſe, ſi tantam *vitæ noſtræ diligentiam*, vt acutè vidit S. Hieronymus, *a adhibeamus, ne mala mentes occaſionem inueniant detrahendi, ne ex nobis ſcintilla procedat, per quam aduerſus nos ſiniſtræ famæ flamma confletur. Alioquin enim fruſtra iraſcimur obtrectatoribus noſtris, ſi eis ipſis obtrectandi materiam miniſtramus.* Sed niſi ſalubre quoque conſilium ſit, eos, qui laudabilem noſtri opinionem virtute collectam famoſis libellis pollutum eunt, vindice calamo coërcere; nónne allata paulo ante documenta omnia Syſiphi ſaxum nitendo verſant, neque hilum proficiunt? Quid attinet argento, auro, & gemmis arcas farcire ac diſtendere, ſi piceatas furum manus inde repellere indecorum eſt? cur viris probis boni curam nominis cum ſapiente commendas, ſi illud rabidè dilacerantibus mero innocentiæ patrocinio obſiſtere turpe illis exiſtimas? quem ad finem Sanctos quoque fauorabili virtutis aurâ ac teſtimonio munitos eſſe oportere cum Ambroſio ſtatuis; ſi hac probrorum grandine malignè inceſſentibus ſcripto reluctari indignum illis vociferaris? Cui rei, detractorum dentes quandoque retundendos cum Auguſtino vis; ſi quum tæterrimis illi lædorijs in Religioſorum famam inuolant, eoſdem à iugulo, voluminum ſcutis remouere his inhoneſtum ducis? quo tandem nomine obtrectatorum linguas genuinum viris iuſtis infigentium ab ijſdem meritò redargui cum Gregorio fateris; ſi infamibus Satyris obducere veritatis præſidia, illis interdictum iudicas?

a *Epiſt.* 14. *ad Celantiam.*

Num. 30. *Suadent hanc famæ tutelam, Apoſtoli quoque.*

Verùm ſi tam præclaris tamq́ue exploratis conſilijs, reſponſisq́ue non Philoſophorum modò, aut Ethnicorum, ſed Chriſtianorum etiam Sapientum, Præſulum, Doctorum, atque Pontificum reuerentia vel nulla, vel adeò exigua habetur: quid reliqui tandem in tantâ ſugillandi licentiâ eſt, niſi vt præſidentes iſti Ariſtarchi, qui Apologeticos libros à Religioſis hominibus pro ſuis aris & focis honeſti nominis retinendi gratiâ elucubratos generatim damnant, ipſis quoque totius Eccleſiæ ſummis capitibus dicam dicant? Carpent, opinor, acriter Ioannem etiam Apoſtolum, melleum illud Chriſti corculum, quod ſuâ in Epiſtolâ calamum in Diotrephen liberè ſtringat, itaque aculeum in eum iaciat: *a Propter hac ſi venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos.* Sed quinam hi? certi prorſus homines. Perſtringent quoque Paulum ipſum, *b* quòd *bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus prouidenda* ſuadeat. Sed qui? intemperijs pertinaciſſimis agitati. Vitio vertent, *c* quòd Iudæorum & Gentium offenſionem cauendam doceat. Sed qui? quibus inſanum ſinciput, & hellebori iugere indigens. Reprehendit, *d* quòd *quæcunque ſunt bonæ famæ cogitanda* affirmet. Sed qui? atrâ bile perciti. Accuſabunt, quod Timotheo *e* auctor ſit, vt naueт operam, ne *quis adoleſcentiam* eius *contemnat*. Sed mentes ac linguæ omnino cerebroſæ. Opprobrabunt, quòd Titum horcetur, *f* vt eundem contemptionis ſcopulum etiam atque etiam declinet. Sed importunæ vertiginis *g* œſtro circumacti. Criminabuntur denique, quod Epiſcopum exter-

norum

a *Epiſt.* 3 b *Rom.* 12. c 1. *Cor* 10. d *Phil.* 4. e 1. *Tim.* 4. f *Tit.* 2. g 1. *Tim.* 3.

norum quoque teſtimonio atque ſuffragio probari *oportere, vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli*, ſentiat. Sed tenebriones planè inteſtabiles, ac ſacerrimi.

Num, 31. *Apoſtolorum exempla.*

At quæ erit iſtorum fraus, quæ vox, qui vultus, vbi eundem Apoſtolum innocentiæ aduersùs calumniatores patrocinium non verbis dumtaxat commendare, ſed ſuimet ipſius quoque exemplo propugnare cernent? an non expalleſcunt, vbi illum minitabundum ad Corinthios *a* ſcribere animaduertunt? *Quoniam quidem epiſtola, inquiunt, graues ſunt, & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis: hoc cogitet qui eiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.* an non hoc telo, quod ex horum verborum pharetrâ Angelicus Doctor *b* eiaculatur, patêre hinc teſtatus, Apoſtolum *his, qui de ſe mala diſſeminabant, reſiſtere*, penitùs exanimantur? an non erubeſcunt, quum illum Romanis palàm denunciare audiunt: *c Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iuſta eſt?* an non valde dolent iſtis oculi, quùm Gloſſæ in hæc verba ſententiam à S. Thomâ laudatam ita diſtinctè legunt *d Quidam peruerſi homines non intelligentes, & ad reprehendendum procliues ita imponunt nobis, & horum damnatio iuſta eſt, & ideo non eſt eis credendum*: ſubdique à Sancto Doctore vident: *In quo manifeſtè detractoribus ſui reſiſtit?* An vero adhuc hiſcere audeant, quùm

H 2 Chriſti

a 2. *Cor.* 10. b *Opuſc.* 19. *cap* 14.
c *Rom.* 3. d *Loc. cit.*

Chriſti amore æſtuantem Apoſtolum omniaque aduerſa pro eo ſubire paratiſſimum, *a* nihilominùs longâ & diſertiſſimâ oratione & Euangelij, & ſui integritatem à maximâ inuidiâ Hebræorum factione ſibi conflatâ vindicare conſpiciunt? Quid? an non eum intuentur (intueantur autem, & ſummâ verecundiâ obruti obmuteſcant) quum inibi eſſet, vt tribuni iuſſu flagris cæderetur, Ciuem Romanũ ſe eſſe animosè cauſſantem, ipſumque Cæſarem demum iuſtè ſanctèque appellantem? Quamobrem ſapienter à S. Paulino animaduerſum eſt, *b Apoſtolici præcepti eſſe & exempli, vt habeamus rationem non conſcientiæ tantum, ſed etiam famæ:* & præceptum quidem tuendi bonam famam agnitum, deinde quoque eſt tum ab Epiſcopo Valenzuolâ, *c* tum à Petro de Auiles, *d* tum ab alijs plerîſque, vt infrà liquebit.

a *Actor.* 21. 22. 25. b *Epiſt.* 50. *ad Celantiam.*
c *Tom.* 1. *conſ.* 40. *num.* 19. d *In lite contra Ioannem Spinum art.* 1. *num.* 17.

Num. 32. *Quin & Chriſtus Dominus ſuum decus tutatus eſt.*

Verùm quàm malè ego metuo, ne præpoſteri iſti Chriſtianæ modeſtiæ curatores eò non ſolùm immodeſtiæ atque audaciæ, ſed impudentiæ etiam atque impietatis præcipites ferantur, vt ne tu quidem, Chriſte optime maxime, ab eorum notione cenſoriâ intolerandâque procacitate immunis, ac tutus ſis. Ignoſce, quæſo, Vnigena Patris, ſi inſanias hominum ac monſtra referre cogor. Num de tuorum verborum tuis cum dictis factiſque apertâ pugnâ Saperdæ iſti poſtulabunt te petulantiſſimè, quòd hinc improborum maledictis expoſitis, inſectationum, conuiciorumque exſorbendorum auctor, ſuaſor, ſolatium, & præmium ſis;

illinc

illinc, quum à Iudæis Samaritanus, Dæmoniſque mancipium contumelioſè vocatus fuiſti, contumeliam minimè tacitus tuleris; ſed illico regeſſeris, eam ad te non pertinere, ſimulque expoſtulâris de iniuriâ, te ab illis dehoneſtatum. *Ego*, inquis, *a dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonorâſtis me.* Neque impunè, puto, feres, quòd quando à Pontificis ſeruo cœli & terræ Dominus infracto colapho cæſus es, tuæ innonocentiæ cauſſam neutiquam ſilentio preſſeris. Sed omnium Oratorum eloquentiſſimè, ac diuiniſſimè, paucis ſanè verbis, ſed dilemmate ineluctabili vibratis ac ſpiculatis peroraueris. *Si malè locutus ſum*, ais, *b teſtimonium perhibe de malo; ſin autem bene, quid me cædis?* Exigent quoque à Te rationem, credo, cur qui de genâ alterâ verberanti ad alia verbera plagaſque vltro offerendâ tam præclarè philoſophatus fueras; Tu ipſe deinde à verberone atque maſtigiâ depalmatus, id documentum in vſum minimè reuocaueris, neque malam, vt docueras, verteris? Quin inuidioſâ reatus mole hinc inſuper conuenient Te, quòd quæ alijs iam antè præceperas, Ipſe Tu, Tuique ſuſcepto patrocinio cum iniuriæ acceptæ etiam querelâ, reapſe antiquaueris, vel induxeris.

a *Ioan.* 8. b *Ioan.* 18.

Num 33. *Non obeſt conſilium de maxillâ vertendâ, offerendâq; nouis verberibus.*

At enim tam impuræ ſacrilegæque voces quem Catholicorum, licet ignauum ac deſidem, dummodo tamen Chriſti veſtigium aliquod in pectore adhuc ſeruet, non offendunt? non feriunt? non vulnerant? quem non horrore perfundunt? quem ad indignationem tanti flagitij non accendunt?

quem ad impium facinus dirâ imprecatione defigendum non excitant? Ad hunc tamen ſcopulum cuncti illi, qui Religioſis viris iuſtam ſui defenſionem vel Chriſti ipſius exemplo honeſtatam ademptam volunt, neque codicum luce donari patiuntur, neceſſario vt manifeſtum eſt, alliduntur. Sed diſcant mortalium imperitiſſimi, vnáque dementiſſimi diſcant aliquando ab Auguſtino, *b* diſcant ab Aquinate, diſcant à Maldonato, à Barradio, à Cornelio, cæteriſque ſacri diplomatis interpretibus illud Chriſti Domini de maxillâ vertendâ ſeu mandatum, ſeu conſilium, eò dumtaxat à Chriſto Domino collineari, vt animo parati ſimus ad remittendum de iure noſtro, quandocunque id caritas, & Dei gloria videbitur poſtulare; vel certè *vt cor paratum habeamus, non ſolùm ad alius alapas accipiendas* (verba ſunt D. Auguſtini) *ſed etiam qualibet tormenta pro veritate patienda cum eorum dilectione, à quibus illa patimur:* non autem vt hinc nos ad huiuſmodi præceptum, prout nuda ipſa verba ſonant, exhauriendum ſemper adactos exiſtimemus, ſiquidem neque Chriſtus ipſe, neque Gentium Doctor, ille omnis ſanctimoniæ fons, iſte Euangelicæ perfectionis norma, vterque palmâ excuſſiſſimâ pulſati, genam alteram nouis opportunam ictibus porrexerunt, porrecturi alioqui ſine dubio, ſi id diuinus ipſe lator legis imperare voluiſſet: ſed Chriſtus à nebulone cæſus de iniuriâ conqueſtus eſt, Paulus verò item percuſſus acriter repoſuit; *d Percutiet te Deus paries dealbate.*

Num.

a *Lib de Mendacio cap* 15. *& lib.* 2. *de ſerm. Domini in monte.* b *Opuſc.* 19. *cap* 15. c *In Matth.* 5.
d *Act.* 23.

Num. 34. *Chriſtus iniurias modò tacitus fert, modò ſermone repellit.*

Aſſertor igitur noſtri Chriſtus ex diuinæ Sapientiæ præſcripto nunc Sacerdotum Principibus ac Senioribus calumniarum imbrem in ſe apud Pilatum effundentibus elinguem penitùs, vt anteà memoraui, ſe præbet; nunc quà verbis, quà verberibus à Iudæis ac Satellite malè multatus, diducit labra, ac de iniuriâ expoſtulat. Tacet ſanè, ſiue quia earum rerum tum inſimulabatur, quæ in omnium oculis actæ nemini ignorabantur, ac proin nullo reſponſo, vt notat Maldonatus, *a* opus erat: ſiue quòd ſciebat, vt Ambroſius, Chryſoſtomus, atque Euthymius exponunt, Iudæos fidem ſibi, ſi reſpondiſſet, non habituros? ſiue ne illorum rabies, ſi reſpondiſſet, vt placet Theophylacto, irritaretur, eaque propter & culpa augeretur; ſiue ne, ſi crimina reſponſione diluiſſet, vt Hieronymus, & Beda opinantur, crucis fructus, hoc eſt, ſalus noſtra periret: ſiue vt vaticinatio illa Euangelici Prophetæ; *b Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*; impleretur: ſiue quia ſui defenſione, vt indicat Ambroſius iam laudatus, non indigebat; *Accuſatur,* inquit Dominus, *& tacet, & bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo.* Quibus profectò, alijſque nominibus Chriſtianam patientiam, quòd tum ſine melioris boni iacturâ fas erat, Redemptor noſtri diuinè inaugurauit, & conſecrauit. Sicut etiam, quum diuinum ſuum vultum mille colaphis verberandum ſummo ſilentio obtulit, ſatis ſuperque ſuum de maxillâ percutienti exhibendâ conſilium

H 4 vſu

a Apud Maldonatum cap 27. in Matth. verſ. 14.
b Iſa. 53.

vſu etiam ipſo nobilitauit, ac roborauit. Soluit porrò etiam idem Dominus tempeſtiuè aliàs ſilentium, ac iure de iniuriâ queritur, tum ne ſi taceret, obiectum irreuerentiæ aduersùs Pontificem, cui magnus honor debetur, crimen fateri videretur; qua de cauſsâ & Paulus, quò eiuſdem piaculi labem à ſe arceret, a *Neſciebam*, inquit, *quia princeps eſt ſacerdotum*. tum etiam vt iuſtitiam in Concilijs & Iudicijs maximè colendam, nec quemquam niſi veris atq; ineluctabilibus teſtibus conuictum damnandum moneret. Quibus præſtantiſſimis documentis Saluator Chriſtianos omnes, viros ſacros præſertim, irrigauit, vt Salomonis illud effatum ſuprà commemoratum, tempus eſſe tum tacendi, tum loquendi, ſemper meminiſſent; & quum ex actionis adiunctis intelligunt, tolerantiæ, & taciturnitati nihil antiquioris, aut ſuperioris boni intercedere, aut obnunciare; tum iniuriam omnem patientiâ & ſilentio coquere melius eſſe ſibi perſuadeant: quum verò grauibus diſceptandi, ſuique defendendi argumentis ad ſermonandum, ſcribendumque impelli ſe atque vrgeri animaduertunt; tum alacriter linguâ calamoque ad innocentiæ, & veritatis patrocinium aduersùs calumnias, & mendacia vtantur, atque ad id officij ex fide præſtandum repetitis Chriſti ipſius, atque Apoſtolorum exemplis inuitari ſe animarique perſpiciant.

a *Act. 23.*

Num. 35. *Deo ingrata famæ negligentia.*

Quid ſi prætereà noſtræ famæ ſartæ tectæ conſeruandæ decus Deo vſque adeò gratum iucundumque accidat, & cordi ſit, vt ſi quis illud temerè inſici, corrumpique ſinat, huic illicò diſpliceat? an-

an mihi ſomnia hic comminiſcor, & fictis vaniſque ludor, ludoque imaginibus? Sed certè Deum *a* noluiſſe in ſacrificijs mel ſibi offerri, non ludus, ſed veritatis comperta teſſera eſt. Sed cur adeò dulcem liquorem, qui & victimam ſuauitate edulcare, & numini acceptam reddere potuiſſet, repudiauit Deus? quis diuini conſilij interpres non irritus, nobis diuinum pandat oraculum? quis tam latentis myſterij exta fibraſque rimetur, acuteque diſpiciat? Ego ſanè hariolum, aut haruſpicem non ago. tamen ſine vanitatis periculo bonæ prærogatiuam famæ, Chriſti ipſius eſſe bonum odorem ſuprà ex Apoſtolo, atque Auguſtino iam notaui, cui conſequens omnino eſt, vt illa eidem Chriſto multâ in gratiâ ſit. Contra igitur malę nidor famę diuinis narib9 moleſtiſſimus ſit, neceſſe eſt. At ecce mel vt ſapore dulciſſimum eſt, ita ſi vratur, nidore ingratiſſimum; hoc eſt, vir incontaminatæ exiſtimationis, Deo carus, litat feliciter; polluti autem nominis, Deo diſplicitus non tam ſacrificat, quàm ludificat. Quæ diuinatio ſi cui leuior fortè paret, pondus illi graue diſertiſſimus Hieronymus ab Oleaſtro addit, mel à diuinis ſacrificijs proptereà relegatum teſtatus: *b Quia mali odoris eſt, ſi crematur: nihil* quippe *magis Deo diſplicet*, vt idem ſubdit, *quàm ſi mali odoris, & famæ ſis Expende non tibi ſat eſſe. ſi bonus ſis; ſi mel diuiniſſimum retineas, niſi cum hoc bene audias: dulce, ſed malè olet, ſi comburatur, ideo deſpicit illud Deus.* Neque tamen me clam eſt, quod apud Deum gratiæ principem obtinet locum, ex animi internis virtutibus maximè eſſe penſandum. At niſi egregiè quoque ſplendor famæ eas illuſtret, inſtarque lilij quum odore, tum colore, Deo hominibuſque te probes, gratiam ipſam vndique gratioſam meritò negauerim. Quorſum

a *Leuit.2.v.11.* b *In cap.2.Leuit.*

enim Apoſtolus Epheſios, *a vt filios lucis ambulare* iubet, *fructumq́ lucis in omni bonitate, & iuſtitiâ, & veritate* eſſe doceŧ, niſi vt vincat, viros iuſtos, qui virtutum auro diuites ſunt, Deo ante alios tum fore acceptiſſimos, quum & famæ nitore refulſerint? Cur mox idem Paulus ſubijcit: *Probantes, quod ſit beneplacitum Deo*, niſi huc digitum expoſitè, ſignateque intendens? quid ita Hierônymus hiſce ex verbis conficit, *b Omnia facienda cum conſilio vt cautè, atque ſoliciti ea tantum, quæ ſcimus Deo placere, faciamus*; niſi vt ſanciat, ad gratiam apud Deum ineundam, conſilium quoque, cautionem ac ſolicitudinem exiſtimationis tuendæ, præter ſolidas virtutes, eſſe adhibenda? *In morem* videlicet *prudentiſſimi trapezitæ*, vt ſolerter addit eloquentiſſimus Doctor, *qui ſculptum numiſma non ſolùm oculo, ſed & pondere, & tinnitu probat.* Quaſi Deus ipſe ea dumtaxat opera, quæ non virtutis oculis tantùm, ac pondere, ſed ipſo quoque boni nominis tinnitu, ſonituque, hoc eſt, perhoneſto, plauſibilique famæ rumore probantur, probet; neque ſat ſit, quò ei placeas, ea agere, quæ mala non ſunt, ſi alioqui malè ſonant, malè audiunt, maliqúe ſpeciem præ ſe ferunt.

a *Epheſ.* 5. b *ibid.*

Num. 36. *Egregiè Religioſi viri faciunt, quum Apologeticis calumnias diſſipant.*

Proſiliat nunc aliquis de obtrectatorum grege barbatulus, raſoque vtrinque mento, & læuigatis genis politulus in medium prouolet; tum fronte nauiter perfrictâ, Religioſos viros, qui probroſos libellos in ſui infamiam editos ſtylo configunt, neget operæ pretium facere. Quis hîc blatit? quis mugiatur? quis? Non faciunt operæ pretium, quos

quos Ambroſius externorum quoque teſtimonio commendatos cupit? quos ſine ſequioris famæ næuo exigit Bernardus? quos curam de bono nomine habere iubet Sapiens? Itáne pretium operæ negligunt, à quibus dentes detractorum retundendos pronuntiat Auguſtinus? à quibus linguas linguacium redarguendas tradit Gregorius? à quibus quæcunque agunt, non Deo tantùm, ſed hominibus quoque probanda decernit Apoſtolus? Siccíne operæ pretium dilapidant, à quibus Gentium omnium offenſionem cauendam docet idem Apoſtolus? quæcunque ſunt bonæ famæ cogitanda ſuadet? ſui contemptum vitandum denuntiat? hominum quoque approbationem, ne in opprobrium & laqueum dæmonis incidant, quærendam, aucupandamque conſtituit? quid? Ipſimet Apoſtoli, Ioannes & Paulus, toto orbe vulgatis Epiſtolis, acriter ſeipſos tuentur; iure, iuſtè, rite, ſanctéque de iniurijs expoſtulant: & Momus aliquis Religioſos viros, ſi eandem inſiſtant ſemitam, ſuaque nomina à calumnijs ſcripto vindicent, in Religioſæ profeſſionis officium deliquiſſe criminari audeat? ô amentiam! Chriſtus ipſe Dominus iniurias quandoque à ſe repellit, diuinoque ore conqueritur: & Religioſos eiuſdem veſtigia perſequentes operæ oleique deperditi inſanè damnabit? ô furorem! cum vſtulato melle graueolentis non minùs famæ, quàm odoris Deo ingratus, arceris à ſacrificio, & ſine honeſtæ exiſtimationis luce fauorabilique tinnitu blanditias Numinis eblandiri non potes: Et Religioſos ſuæ ſplendorem famæ, ſecundamque admurmurationem iuſtis vindicijs, quo Deum ſibi demereantur, repetentes, reſarcientes, poſtliminio reuocantes, inconſulti conatus, ac laboris vrgebis? ô duritiam! ô impietatem!

Num. 37. *Diuino oraculo commendantur, qui famam ſuam defendunt.*

Quid? Ipſiuſmet Spiritus ſancti oraculum, dum improborum petulantiam vt ſilentio nonnunquam diſſimulandam, ita reſponſo ſubinde refrænandam innuit, nonne id apertè ſciſcit, ac præcipit? nónne pro imperio præcisè mandat; a *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis?* & dein proximè: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur?* Num hæc ſecum digladiantur, mutuoque ſe perimunt? ſi ſtultus reſponſo dignandus non eſt, qui reſponſione ſtultitiam dedocendus? vel ſi reſponſio expedienda, quomodo hæc abſtinenda? ſed quid emicantem veritatis lucem ramis ac frondibus implicamus? Nónne per hæc Salomonis operta diuini conſilij admirabilis ſapientia ſe prodit, nobisque haud obſcurè cantat, ſi quando calumniator, (qui de ſtultitiæ nimirum palmâ nemini facilè concedit) inſanis nos dictis laceſſat, probráque & contumelias in nos indignabundo euomat ſtomacho; vt nobis illius amentiam neutiquam imitandam, nec totidem propudia ac dedecora impotenti maleque placato animo, ne hoc modo ſimiles ei videamur, in illum regerenda exiſtimemus (id enim ea ſententia cauet: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*) nihilo minus tamen eiuſdem inſaniam, quo ab iniuriâ deinceps temperet, agnitâque ſtultitiâ, ſibi de ſapientiæ medullâ minimè blandiatur rationibus validis, vt rectè Salonius, Beda, Ianſenius, Baynus, alijque edisſerunt, pinſendam probè, ac ſubigendam, atque hoc ipſum alterâ ſtatim ſententiâ deſignari cenſeamus: b *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.*

Num,

a *Prou.* 26. b *Ibid.*

Num. 38. *Arrogantes tempeſtiuè compeſcendi valido fræno.*

Vel certè, vbi quis veſanâ correptus irâ, vel ſuperbiâ elatus, aut inuidiâ tabidus, vel alia effræni appetitione agitatus à ratione deſciſcens, atque in ſtultitiæ valetudinatio decumbens, quicquid dehoneſtamentorum eſt, in nos affatim eructat; tum ad eiuſmodi dementiam curandam pharmacum perquàm appoſitum quoque ac præſentaneum eſſe, vt alij magni viri ſapienter interpretantur, indicat Salomon, *a* verbis factisúe minimè lenibus, ſed aſperioribus, quæ aliàs inſaniæ etiam ſpeciem primo aſpectu ingerant, indulgere in loco, quò ille ſuis tentatus artibus, reſipiſcat, noceréqne nobis porrò deſinat; & qui Deum penſi non habet, homines ſaltem vereri, modeſtiamque inducere inexpectatò cenſuræ genere ictus tandem diſcat? *Vtrumque* namque, vt aptè Diuus Hieronymus explicat, *b pro temporum & perſonarum diuerſitate concordat, dum & ſtultus contemnitur, quia non recipit ſapientiam, & ſtulta ſuperbia aliâ decutitur ſtultitiâ.* Quàm frequenter, cordatéque ſanctiſſimi quoque viri, ac ſapientiſſimi huiuſmodi inſaniam ad flagitioſorum hominum audaciam compeſcendam inſanierunt? Quàm longâ diſertâque rerum à ſe geſtarum prædicatione Paulus, quam inſipientiæ etiam nomine imperiit, ſuimet laudes, quò arrogantiam faſtumque multorum comprimat, quaſi gloriabundus recenſet? *Vtinam*, inquit, *c ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ; ſed & ſupportate me.* Quàm catè rurſum, vt eidem morbo faciat medicinam, eâdem quoque oberrat chordâ, ſuique prærogatiuas velut ambitioſus enumerat, ac demum ſubdit;

 Factus

a *Apud Cornelium ibi.* b *Lib. 1. in Ezech cap. 1.*
c *2. Cor. 11.*

Factus ſum inſipiens: vos me coëgiſtis? *a* quàm ſæpe diuineque & *b* Chriſtus etiam Dominus hoc ipſo telorum genere vſus, nunc fallacioſos Iudæos, nunc captioſos Phariſæos deludit, ac ſternit? Hinc Melania illa ſenior, heroina imperterrita, à Paleſtinæ præfecto argenti emungendi cupiditate ac ſpe in carcerem condita, ingenti animi conſtantiâ ac fortitudine auaritiæ mancipium frangit, ſibiq́ue fores eo ſtatim reſerante aperit, ac vincla detrahit, egregiè clareq́ue teſtata; *Oportere aduersùs ſtolidos tanquam cane, & accipitre vti animi elatione, & in tempore eorum ſuperbiæ*, vt narrat Palladius, *c in ipſos immittere.* Hinc Maris Epiſcopus Chalcedonius à Iuliano Imperatore Chriſtianæ fidei deſertore velut cœcus irriſus, atque hoc perſtrictus ſcommate: *Non te Galilæus tuus ſanabit*, confeſtim aculeum longè acutiùs retorquet, hiſq́ue verbis, vt refert Sozomenus, *d* elinguem reddit. *Gratias ago Deo, quòd cœcus ſim, ne te Apoſtatam oculis aſpiciam.* Hinc S Baſilius Demoſthenem Valentis Imperatoris coquum Arrianum diuini patrocinium verbi ſibi exprobrantem, eaque propter ὁμοούσιον ingeminantem inopinatâ inſulſi ſalis redhibitione ita bellè, vt memorat Theodoretus, *e* caſtigat: *Demoſthenem hodie illiteratum vidimus. Tuum eſt iuſculorum curare condimenta: nam quum aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire non potes* Hinc Ludimagiſter orthodoxus à Libanio Sophiſtâ Iuliani *Apoſtata* amico Antiochiæ rogatus; *Quid facit fabri filius?* extemplo ſollerter occurrens, vt idem Theodoretus affirmat, *Iuliano*, inquit, *f loculum fabri-*

a 2. *Cor.* 12. b *Ioan* 5. *verſ.* 19. *& cap* 6. *verſ.* 43. *& cap.* 7. *verſ.* 28. *& cap* 8. *verſ* 11. *Matth.* 22. *verſ* 21. *Matth.* 23. *&c.* c *In Lauſiacâ cap.* 117.

d *Lib.* 5. *cap.* 4. e *Lib.* 4. *cap* 17.

f *Lib.* 3. *hiſtor. cap.* 18.

fabricatur : ita paulò poſt occidendum, loculoque, ſeu ſandapilâ efferendum, quod deinde contigit, palàm vaticinatus. Hinc noſtrâ quoque tempeſtate vir admodum ſagax, generoſique Spiritus ex Franciſcanâ familiâ, vt ſcribit Cornelius à Lapide, *a* quum à petulco quodam Hæretico depalmatus, ad alteram quoque malam ex Euangelij regulâ vertendam ludibrij gratiâ ſolicitaretur; ſiquidem ſcriptum eſt, inquit; *b Si quis te percuſſerit in dexterâ maxillâ tuâ, præbe illi & alteram. Tu autem vnà cum tuo Euangelij cuſtodem te ad vnguem profiteris* : nihil prorſus turbatus, reponit ſubito, non minùs facetè, quàm ſalsè, nec minùs tempeſtiuè, quàm viriliter; ſcriptum quoque eſſe: *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis* : & cum dicto procacem hominem aggreditur manibus, in terram ſubductis pedibus arietat, pugnis abundè os eius, ſcapulas, dorſumque commitigat, ac follem pugilatorium penè facit. Porrò quum huic ſeu iurgio, ſeu ludo, neſcio, quis ſuperueniſſet, pugnamque dirimere niteretur; obluctans Franciſcanus, ſine, inquit; nam Hæreticum hunc ſacras ſcripturas, quas perperam, atque inauſpicatò profert, commodùm doceo, à quibus ego iam dudum rectè didici; ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur, eſſe reſpondendum, vt proinde mirum nequaquam ſit, cuique fas iuſque eſſe (quod ex deſtinato Stephanus Fagundez *c* copioſè admodum oſtendit) conuicia conuicijs quoque repellere.

Num,

a *In Prouerb. cap. 26. verſ. 5.* b *Matth. 5.*
c *Lib. 8. in 8. præceptum cap. 1. num. 1.*

Num. 39. *Vnde conſtet honeſtas, officium, atque operæpretium Religioſis Apologeticis.*

Quis igitur hinc & Spiritus ſancti explicito oraculo, & Chriſti Domini inſigni documento, & Pauli egregio exemplo, & frequenti virorum ſanctiſſimorum & ſapientiſſimorum vſu, Religioſos omnes ad inſaniam ſuorum calumniatorum, ore calamoque redarguendam allici incitarique non cernit? Iurati virtutis hoſtes, inuidique eius exiſtimationis, quâ ſerui Dei florent, æmuli. probroſos libellos, mendaciorum ſtiue fartos, in hos edunt, diduntque per manus hominum. Quidni ergo ij tantam mendaciorum & calumniarum molem vibratis Apologeticis, animosè contundant? quidni par pari, etſi diſpari animo, omni liuore odioque relegato, alacriter referant? quidni tam effrænem audaciam, quò ab amentiâ diſcedant, validè concutiant, & coërceant? quidni tam inſanos blaterones, quò noxam deinde nullam nocere tentent, ſtylo acriter feriant? quidni rabidis dentibus & codicibus ſalubria famæ amuleta patrocinij dumtaxat gratiâ ſapienter admoueant, aut opponant?

§. IV.

Famæ atque exiſtimationis, euulgatis libris defendendi neceſſitudine viri quoque Religioſi vrgentur.

Num 40. *Patrocinium ſui ſcripto ſuſceptum Religioſis viris neceſſarium.*

Hactenus de illâ tantùm iacturâ, damnoque, quod ab eo, qui calumnijs traducitur, iniquè contrahitur,

trahitur, diſputaui, docuique, ni fallor, perſpicuè, & ſolidè, Religioſis hominibus integrum, ac frugiferum quoque eſſe, libellos calumniarum ſatores publicatis Apologeticis comprimere. Nunc tempus, & ratio poſcit, vt de cæteris quoque plagis, & detrimentis, quæ indidem pleriſque alijs etiam importantur, cogitatè diſſeram, oſtendamque ſimul patrocinium propriæ innocentiæ, ſcripto etiam ſuſceptum, viris ſacris non ſolùm conducibile, ſed peropus planè eſſe, ac neceſſarium.

Num. 41. *Apologiæ ſcribendæ ſunt, veritatis amore.*

Ponamus igitur Religioſum aliquem virum ſuæ exiſtimationis ita omiſſo eſſe animo ac ſocordi (rectène, an ſecus, hîc, ſus deque habeo) vt quicquid malorum ex ſtructis ſibi calumnijs ad ſe vnum pertinet, nihili ducat, neque ſibi propterea conſulendum, aut hiſcendum exiſtimet. Quàm multa nihilominùs, & grauia aliorum incommoda ſunt, quæ illum, ſi veritatem, ſi Religionem, ſi caritatem cordi habeat, ad ſcribendum, calamoque iniurias repellendas adigunt? Cuius enim, quæſo, præcordia tam ferrea ſint, qui primùm veritatis ipſius temeratæ aſpectu tam ærumnoſo non moueatur? quis virginem huiuſmodi alioqui pulcherrimam hîc tam lacero ore, turpatis genis, erutis oculis, paſſo capillo, monſtroſo vultu deformem ſine ſenſu doloris aſpiciat? quis atria quiritatu complentem non audiat? quis de mendacijs, atque calumnijs, à quibus tam flagitioſè corrupta atque euerſa eſt, iuſtiſſimè expoſtulantem non miſereatur? Circumuenta dolis, en ſupplices tendit illa manus, vt ſuppetiatum accurras; fuco prodita, flebilibus obſecrat modis, vt profugam hoſpitio excipias; inuidiæ, atque odio mancipata, Dei,

homi-

hominumque fidem inclamat, vt iugo preſſam impatibili deoneres, ac leuamento ſaltem aliquo recrees. Ergóne (indignabunda fremit, aut conflictata plorat) Ergóne de pudore impudentia, de candore ſimulatio, de integritate fraus triumphabit? ô ſęculum! Itáne innocentia nocens, ſcelus innocens reputabitur? ô mores! Siccine virtus probro, vitium laudi vertetur? ô tempora! mendacij captiua veritas in theatrū prodibit, perfidia lauro coronata oſtentabit trophæa? ô portenta! Non eſt, non eſt, cur Baſilius Magnus *a* ſuo de æuo tantùm conqueratur, quum paria & noſtro quoq; experiamur, in quo nihilo minùs *narratur mendacium intrepidè, veritas opprimitur; qui in crimen vocantur, ſine iudicio condemnantur: qui verò vocant, eis fides habetur abſque vllâ examinatione.* Quid igitur? Peribit patrono orbata veritas, & indefenſa innocentia gladio iugulum porriget? nec quiſquam tanti damni, & calamitatis miſericordiâ frangetur? Imò verò aduocatio copioſiſſima vtriq; maturè adhibenda, crura mendacio ſuffringenda, calumnia decorticanda, ſutelæ exenterandæ, doli omnes admotis fidiculis diſcerpendi: & quidem claſſicum eodem Baſilio Antiſtite elatè canente; *b Ad calumnias tacendum non eſſe; non* ſanè, *vt contradicendo nos vlciſcamur, ſed ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus.* Si quis verò patientiæ ſtudio ſuæ labem exiſtimationis, famæque qualecumque detrimentum poſt habendum, neq; ſui tantùm gratiâ patrocinandum ſibi arbitratur; at ipſius planè veritatis infortunio, indigentiâ, ærumnâ, atq; infamiâ flecti eum, atq; ad opem illi ferendã, ſcriptoq; ab iniuriâ vindicandam incendi omnino par eſt. Quod idem quoque Præſul ampliſſimus, quum ſuo etiam exemplo virtutę & ſapientię, & ſanctitudinis confirmârit; ecquis ſupercilij adeò rugoſi,

&

a *Orat* 10. *de inuidiâ, & odio.* b *Ibid. & epiſt.* 63.

& Stoici ſit, vt cum laude id imitandum, nec ſine piaculo prętermittendum, non fateatur? Ecce tibi Doctoris diſertiſſimi verba ipſa, quæ ſunt luculentiſſima. *a Sanè multum iam temporis præterijt, ex quo calumnijs affectus, accuſationis flagella fero, eo contentus, quod Dominum habeam abditorum cognitorem atque calumniæ teſtem Sed quum multi ſilentio noſtro ad maledictorum corroborationem abutantur, nec exiſtiment ob tolerantiam nos ſilere: ſed quod potis non ſim eos diducere ad veritatem, eam ob cauſſam adhortor veſtram in Chriſto dilectionem, ne ea probra, quæ ex vnà parte manant, ac ſi vera eſſent, ſuſpiciatis.*

a *Orat.* 10. *de inuidia, & odio.*

Num. 42. *Calumniator à ſuâ ipſe calumniâ grauiſſimè læditur.*

Verùm fœdatæ ac proſtitutæ veritatis pernicies non priuatis dumtaxat eiuſdem cancellis circumſcribitur, ſed in pleroſque alios quoque, vt compertum eſt, longè lateque deriuatur, ac primò in eum ipſum, qui illam mendacio, vel calumniâ polluit. Calumniator quippe, vt ſollerter Baſilius, a ſępius iam laudatus, obſeruat, non eum tantummodo, quem calumnijs onerat, grauiter lędit, ſed ſeipſum quoque grauiſſimè. Quantum enim, rogo, malum dolus, quantum calumnia eſt, quæ non ſapientem ſolùm, vbi illũ inuadit; tam enormiter, vt iam expendimus, conturbat; ſed venęnatam quoque ſui caudam in ipſum etiã, qui eius promus eſt, ſcorpionis inſtar, retorquet? vide ſis, vt ſtatim, qui huiuſmodi afflatus peſte eſt, ore, linguâ, manu, pectore lįueſcat, palleſcat, nigreſcat. Quid tetrius? fit illico ſimulationis faber, fraudis architectus, inſidiarum artifex. Quid nequius? purulenta per os conuicia egerit, alienæ exiſtimationis lancinatæ ſanguine dentes cruentat. Quid dirius? impudentiæ columen, famæ carnifex, caritatis prodi-

a *Ibid.*

tor, iuſtitiæ lanius, cunctis ſtigmata, ſtigmatias ipſe, ſtigmate & reſti dignus, inurit. Quid flagitioſius? Atqui tot malorum pondere, ac miſeriâ feſſum, obrutumque hominem, eo infeliciorem, quò ſe infelicem non agnoſcit, & quâ extabeſcat lue, ignarus, ſine remedio peſſum it, liberare, quantæ beneficentiæ eſt, quàm cumulatæ caritatis? quod opus honeſtius, aut ſanctius? quid Deo gratius? quid ſublimius? At quàm arcto neceſſitudinis vinculo, ſacros præcipuè viros adſtringit? quàm explicatè Religioſos omnes ad id officij operosâ calumniarum cenſurâ calumniatori ipſi perſoluendum impellit? Enodatè D. Thomas ac preclarè *teneri nos* ſanè *habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit*, pronuntiat. a *Quandoque tamen oportere, vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet.* Singulare enim præceptum de proximi erratis ad frugem corrigendis à Chriſto Domino tam penſiculatè expoſitum, traditumque vnumquemque Dei cultorem, Religioſos præſertim, vt ex Euangelij oraculis, ac Theologiæ ſcitis apertum eſt, habet obnoxios: Sed quorſum? nempe vt qui in errore verſatur, aut crimine, monitus tanti mali ſarcinæ ſeſe ſubtrahat. At quæ ponderoſior ſarcina, quàm alterius ceruicibus ſcelerum propudioſorum immanes faſces, ſub quibus omnis illius exiſtimatio & fama concidat, per calumniandi libidinem imponere? Quidni igitur ſacri viri præcipuè ad huiuſmodi mali tantam molem de calumniatoris humeris vindiciarum ope deijciendam Chriſtianæ ſacramento legis teneantur? quid ni ad hanc caritatis ſtipem in tam perditum caput erogandam nexu ſint obligati? quidni adeò inſa-

pientis

a 2. 2. quæſt. 72. art. 3.

mentis ſanam ad mentem reuocandi officio maximè authorati? Si alterius culpam grauem, quæ ſæpe in ipſum ſolum, qui eam admittit, redundat, neque alijs quicqnam mali affert, nihilominùs vt diuino mandato obſequamur, retractare, & corrigere debemus: quanto magis ſcelus alterius famæ atque exiſtimationis, compoſitis vulgatisque calumnijs profligatæ, quod non ad auctorem ipſum dumtaxat, ſed ad alios quoque, & quidem complures non raro peſtem ac virus propaget, librorum antidoto Religioſis viris caſtigandum eſt?

Num. 45. *Qui vni Religioſo calumniam ſtruit, Ordinem eius totum infamat.*

Sed ego de calumniatoris damno, quod ipſemet calumniando facit, mitto in præſentiâ pluribus philoſophari, quum longè nocentius, atque execrabilius illud ſit, quod ab eo in calumniati etiam affines cognatos, familiares, amicos, ſocios ſæpenumero diditur; ac proinde peculiari quoque nunc lance trutinandum: idque ipſum alterum calumniæ repellendæ caput eſt, ab Angelico Doctore paulò antè producto diſertè commemoratum. Nam vbi Religioſus vir à calumniatore notâ ad ignominiam ſempiternâ notatus eſt; quis neſcit, deprauatis hominum iudicijs ita comparatum eſſe, vt totus ferè eiuſdem Ordo infamiâ quoque prematur, ac vrgeatur? iniquè omnino, ac peruersè, ſat ſcio, vt infra etiam in loco *a* reuincam ſolidè. Sed quo iure, quâque iniuriâ, vrgetur tamen, ac premitur. *Hæ ſunt* enim, vt falsè perſtringit è D. Auguſtino Hieronymus Maurinus Pontificius Concionator, *b voces mundanorum hominum, qui linguam falci ſimilem, quæ ex omni herbâ fœnum*

a *Cap.14.§.11.* b *Epiſt.137. Infra cap.14.§.13.*

ſanum metit, geſtant: Omnes Epiſcopi, omnes Clerici, omnes Monachi, omnes Moniales, omnes Fratres (addo etiam noſtri Ordinis gratiâ) omnes Ieſuitæ *huic, qui malè audit, pares ſunt. Sed nobis omnes noti non ſunt; ſed non omnes poſſunt manifeſtari.* Quid igitur hîc aget in tantâ rumorum improbitate vir Religioſus probris nominatim coopertus? quid conſilij capiet? tolerantiæ cupiditate nihil mutiet? contumelias omnes tacitus vorabit? calumnijs ne verbo quidem repugnabit? At quâ tandem honeſti ſpecie? quâ laruâ? quo fuco? Nónne illum totus ipſe Ordo violatæ Religionis iure arceſſat? non ingrati animi meritò poſtulet? non inertiæ rectè accuſet? non pietatis neglectæ acerbè inſimulet? non caritatis expectoratæ ſeuerè condemnet? Quis enim vel mediocriter in Theologicâ diſciplinâ verſatus ignorat, quanquam anceps controuerſumque ſit, an ouis propriam famam poſſit deſpicere, hinc Caietano 2.2 *quaſt.* 72. *art.* 2. Petrazza, Armillâ, Maiore Panormitano, Felino & alijs, quos Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſput.* 41. *num* 9. refert, aientibus; illinc verò cæteris, cum communiore & probabiliore ſententia negantibus: tamen ſine vlla prorſus diſcrepantia conſentire omnes Doctores, tum propriam famam à nemine poſſe neglectui haberi, quando coniuncta eſt cum fama filiorum, vt patris; vel ſubditorum, vt Prælati, quemadmodum idem Ioannes Sanchez *ibidem*, Nauarra *lib.* 2. *de Reſtit. cap.* 4. *num.* 390. Corduba *de detract. in* 4. *quaſt.* 5. *concluſ.* 4. Ludouicus de Torres *de Iuſt diſp.* 53. *dub.* 5. *num* 3. & Nauarrus, *cap inter verba, concuſ.* 2. *num* 15. & 17. ediſſerunt? quis neſcit iniuriam Religioni cuique, vel alteri hominum Societati factam non poſſe à Præſide alterutrius, ſine omnium, ad quos ea pertinet, conſenſu remitti, vt affirmatè idem Nauarra *loco laudato, num* 335. Sa & Sotus à Fagundez *lib.* 8. *in* 8. *preceptum, cap* 3 *num.* 15. adducti,

dicti, ac probati, nec non Trullench. *lib 7. in Decal cap. 10. dub. 14 num. 13.* Torres *loc. cit.* Plaza *de delictis, lib. 1. cap 6. num. 19.* & Auiles *art. 1. cit. num. 31.* decernunt? Quis non Dominico Pannez Theologiæ conſultiſſimo, vltro ſubſcripſit articulatè pronuntianti *2 quæſt. 62. dub. 2. concluſ. 5. Sicut delinquit, qui coram alijs facinus committit ſcandalum offerendo & malum exemplum: ita multò magis ſcandalizare, qui remittit reſtitutionem delicti ſibi falſo impoſiti?* Sed quamuis nullus fortaſſe de communi cœtu, vel Religioſa familia illatam iniuriam conceptis verbis remittat? ſi tamen quis compreſsâ linguâ calamoque quum alioqui illum, iſtumque à calumnia vindicare poſſit, ac debeat, penitus obmuteſcat: nónne adhuc tam inofficioſo ſilentio eidem communi cœtui religioſæq; familiæ ſummoperè iniurius eſt? Quis ambigat? Pone, quæſo, alicuius Dynaſtæ aut primarij viri cædem in alienis ædibus eſſe patratam, eiuſque percuſſorem ſtatim elapſum, in latebras ſeſe abdidiſſe; tum ſanè ad ſontes omnes explorandos, plectendosque repentè Prætoris iuſſu in carcerem Paterfamilias vxorque includuntur, in vincla & tenebras filij, in ergaſtulum ſerui, in arcas mancipia conijciuntur, cæteri denique domeſtici omnes quotquot illis in ædibus tum verſabantur, vernæ, ancillæ, ſtabularius, veſtiſpicus, ſtructor, ephebi arctæ cuſtodiæ mandantur; ad reum facinoris participesque prodendos dirâ quæſtione torquentur, ſæuo equuleo diuaricantur, piceis faculis, aut candentibus prunis vſtulantur. Fac iam aliquem filiorum poſſe nullo negotio promptis argumentis, ac teſtibus vincere, ſe vnà cum alijs eſſe penitùs extra noxiam, neminemque eorum admiſſi criminis conſcium, neque auctoris, qui admiſit gnarum atq; adeò in promptu illi eſſe, manifeſtis vindicijs & parentem ipſum, & genitricem, & fratres, & ſeruitia, & reliquam familiam

tot ex cruciatibus, pædoreque carceris eripere. Finge hunc autem amore patientiæ renuere; finge tergiuerſari ac diſſimulare; finge moleſtiarum ita auidum, vt immiti tot innocentium carnificinâ nihil tangatur, neque ſibi vocem vllam ad opitulandum miſeris exprimi patiatur. An is huiuſmodi ſilentio, virtutis præſcripto obſecundare; an filij officium implere; an humanitatis legem agnoſcere videatur? humanitatis autem, virtutis, aut filij? Imò verò ſi tam inconſultæ, damnoſæque taciturnitatis pertinacia retegatur, carnificem potiùs parens ipſe, proditorem mater, ſicarium fratres, latronem reliqui inſontes, ferum non hominem, cuncti humanitatis arbitri, non ſine indignatione, neque immeritò pronuntiabunt. At enim Religioſa familia, in quam, quicunque ſacram militiam peculiari adſtricti ſacramento militamus, cooptati ſumus, parens noſtra eſt, atque illius, qui ab extraneo calumnijs dehoneſtatus eſt, genitrix, collegæ noſtri, & ſocij fratres, cæteri viri ſacri agnati, atque affines, quorum neceſſariò conſequens eſt, eum, *qui non reſiſtit iniuriæ* Religioſo Ordini *illatæ, & non obſtat, ſi poteſt, tam eſſe in vitio, quàm ſi parentes, & amicos, aut patriam deſereret*, vt ſcribit M. Tullius *lib. 1. de offic.* quem commendant, ac ſequuntur Alexander *conſ.* 110. *volum. 2. volum.* 7. Rolandus à Valle *conſ. 1. num.* 5. & Petrus Gregorius *lib* 38. *Synag cap.* 1 *num.* 14. Quid ergo in aduerſa huiuſmodi calumniarum procellâ legitimus tam piæ Matris Religionis filius molietur? quid tentabit? quid præſidij parabit, aut opponet: num ad ignauum ſilentium obſtinabitur? num defixus & ſtupidus, alter planè Harpocrates, obmuteſcet? Sed quî tandem: nónne tam fœdâ filij ignominiâ, & mater ipſa Religio tota appetitur, ac turpatur? nónne & reliqui ſocij, ac fratres ſimul amburuntur? nónne & cæteris ſacris

Ordi-

Ordinibus ora fuligine pariter oblinuntur? & nihilominùs nullum verbum faciet? nihil penitùs muſſabit? ſomnolentâ prorſus taciturnitate torpebit? Itáne verò? Parenti optimæ, quæ tot eum annos tam amanter aluit, quæ tot prærogatiuis tam liberaliter donauit, quæ tot bonis tam amplè cumulauit, vices tam ingratas tot beneficiorum immemor filius: quid ingratas? tam inhumanas, tam barbaras, tam impias reddet? in cæteros quoque ſocios, & fratres, officia tam inofficioſa, tam dura, tam acerba conferet? Et is non erubeſcet, neque metuet, ne extemplo ceu matris ipſius fratrumque proditor, & latro, & lanius, & carnifex cunctos apud mortales, quibus humanitatis particula aliqua, aut fibra adhuc ſupereſt, æternùm audiat?

Num 44. *Chriſtus Matris ſuæ pudori, & famæ diuinitus proſpicit.*

Quàm longè alias vices, quàm longè diuerſa officia Chriſtus ipſe Dominus, à quo ſacri viri omnes, qnid reuerentiæ, quid pietatis, & caritatis tum Religioſo ipſi Ordini, tum reliquis fratribus præſtare debeant, meritiſſimò diſcant, Sacratiſſimæ ſuæ Genitrici rependit, cuius honori atque exiſtimationi, dum eam & Virginem, & nuptam ſimul delegit, ita conſultum voluit, vt minùs ſibi conſuluiſſe, quamquam diuino conſilio, ac ſapientiâ, quodammodo videatur. Quamuis enim Patris vnigena, natus de Virgine, Hæreticorum monſtra non defutura, quæ ipſiuſmet Chriſti verum ortum, veram humanitatem, verumque eum Virginis filium in dubitationem adducerent, maximè prouidebat; tamen pleroſque in hoc nutare, quàm vllum vnquam de matris pudore ambigere, admirabili obſequioſi filij documento maluit. Idcirco

Bene vtrumque poſuit ſcriptura (quemadmodum ſolleſtiſſimè animaduertit Ambroſius *a*) *vt & deſponſata eſſet, & virgo. Virgo, vt expers virilis conſortij videretur: deſponſata, ne temerata virginitatis adureretur infamiâ, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de ſui ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram eſſe virginis, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus ſui fidem matris ſuæ iniurijs adſtruendam. Seruatur itaque Sancta Maria ſicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas.* Hinc Religioſi viri omnes perſpicuè, facileque intelligunt, vbi turpibus inceſſuntur calumnijs, ſibi minimè integrum ſolutumque eſſe, tacere; ſed Religionis ipſorum Genitricis cariſſimæ, fratrumque dulciſſimorum famæ, vt hæc ſemper incorrupti pudoris ac virginitatis vbique gentium habeatur, remis velisque proſpicere debere, ac tempeſtiuis planeque neceſſarijs Apologeticis, ſcelerum, piaculorumúe omnem infamiam, aut ſuſpicionem tum ab ſe, tum ab illâ, tum à ſocijs quàm longiſſimè arcere. Quid ſi verò eorum aliquis id detrectet? quid ſi Religione ipsâ tot filiorum parente fœcundiſſimâ, ſimulque virgine, & virginei ſemper quũ pudoris, tum exempli ac rumoris gaudere, ornarique nolit; ſed matrem in adulteram, fratres in filios adulterinos degenerare malit? nónne tum & propriæ exiſtimationis, & aliorum famæ adulter ipſe cenſebitur? nónne Religioſi Ordinis fœtus, longè adulterinus ac fœtidus exiſtimabitur? Quantum porrò detrimenti tum Sacer Cœtus vniuerſus contraheret? quàm petulantibus omnium conuicijs vapularet? quanto in contemptu viueret? quanto plebis ludibrio eſſet? quàm humiliter nobilitati ſorderet? quis illius inopiam ſtipe aliquâ ampliùs leuaret? quis neceſſitudines mitigaret? quis deinceps ei no-

men

men daret ? quis lapſanti manum porrigeret? quàm multos eiuſmodi ex ordine mœſtitia, languor, perturbatio, ſquallor, anxietudo, vexaret, torqueret, diſcruciaret?

§. V.

Immania animarum damna à famoſis libellis data, ad eos iuſtis vindicijs euerberandos, viros Religioſos maximè adigunt.

Num. 45. *Longè grauiſſimum animarum damnum à calumnijs exiſtit Religioſorum.*

Verùm hæc omnia, atque alia complura, tum certi illius Religioſi, cui dedecora per calumniam impreſſa ſunt; tum Religioſæ ipſius familiæ, quæ eiuſdem mater eſt, detrimenta, quanquam oppidò magna, & grauia; tamen ego, ſi cum ijs, quæ hinc ad externos quoque fluunt, contendantur, nullo penè numero, nullo loco haberi velim: ſiquidem illa extraneis famæ rumoribus præcipuè tantùm incommodant, hæc penetralia ipſa animarum grauant; illa huius vitæ curriculo circumſcribuntur, hæc nullis ſunt definita limitibus; illa temporaria, hæc æterna; illa humana plerumque, hæc ſemper diuina.

Num. 46. *Religioſa familia labores ſuos fruſtra profundit, ſi infamiâ flagret.*

Quis enim rerum humanarum adeo imperitus eſt, cui ſatis pro vero ſpectatum non ſit, vbi criminis non leuis infamia Religioſo viro, Ordiniq́ue inuſta emanat in vulgus, quàm ſubitò populi in colendo Numine torpeſcant? qàm longè à virtute diſcedant? quàm facilè honeſtati nuncium remittant? quàm lubrico veſtigio pronoq́ue lapſu in flagitiorum omnium gurgitem ruant? quàm ægrè ad ſceleroſæ vitæ expiationem, pietatisq́ue curam quibuſcunque Chriſtiani armamentarij machinationibus reuocentur? quàm fruſtra Religioſa illa familia, quæ flagrat infamiâ, ſuos labores omnes in eorum ſalutem profundat? Nam quid attinet, obſecro, proba conſilia ſuggerere proximis, quid feruidis æſtuare concionibus, quid ſacrorum apparatus adornare, quid ſacramenta adminiſtrare, quid cætera virtutis incitamenta atque adiumenta ſuppeditare, ſi ij Religioſi, qui ea ſuppeditant, exiſtimatione orbati, cunctis deridiculo ſint, aduerſisq́ue rumoribus paſſim exſibilentur? Quid proderit, ſi alios doceant, vt memorat Apoſtolus, *a* ſeipſos autem docere non cenſeantur? ſi non furandum prædicent, ipſi furari exiſtimentur? ſi non mœchandum vociferentur, mœchari ipſi videantur? ſi idola diris omnibus deuoueant, ſacrilegijs contaminati ipſi famæ remigio ferantur? An non *qui docent tantùm, nec faciunt*, vt ſapienter Lactantius Firmianus, *b ipſi præceptis ſuis detrahunt pondus?* An non *exempla inutilis diſciplinæ*, vt rectè Seneca, *c ſeipſos circumferunt,*

a *Rom.* 2. b *Lib.3 Inſtit. cap.*16.
c *Epiſt.* 108.

runt, qui nulli non vitio, quod inſequuntur, obnoxij ſunt? An non *incaſſum perſonam ficta ſeueritatis inducit*, vt ſolerter Theodoricus Rex, *a quum auarus pecunia ambitum diſſuadet, quum legibus parendum cenſet iniuſtus?* Nec mirum. *Quis enim*, vt idem catè & luculenter, *reuereatur ſcelus, cuius in ſuggeſtu gremij complicem videt?*

a *Apud Caſsiodorum lib. 1. variar. Epiſt.* 4.

Num. 47. *Populus aquè offenditur, ſiue Religioſi reapſe ſint improbi, ſiue videantur duntaxat.*

At procul, inquies, hæc piacula à bene moratis Religioſis hominibus, qui virtutem, quam alijs commendant verbis, operibus etiam exercent, tametſi calumniatorum malignitate ſecus longè audiant. Imò verò quod ad medicinam alijs afferendam ſpectat, parum aut nihil ferè intereſt, ſiue reapſe improbi, qui aliorum ſaluti conſultum eunt, ſint, ſiue tales dumtaxat vulgo habeantur. Nam ſi integerrima Virginum Deipara nemini fuiſſet deſponſata, temeratiq́ue pudoris opinione, iam fœta Numine, apud poſteros, quamuis diuinis in oculis prorſus illibata, laboràſſet; quàm multæ Virgines violatæ pudicitiæ ſuſpectione percuſſæ, complures impuritates honeſtà tegerent præſcriptione, cauſſatæ nimirum, & ipſam Domini Genitricem in ſuſpicionem veniſſe flagitij? Quàm molli paſſu pleræque aliæ à criminis notà in crimen ipſum, cui viam incommodus rumor ſterneret, præcipites caderent, ſibi nempe blandientes leniter, imponentesq́ue, famæ ac flammæ vicinum nimis eſſe contubernium? Quàm ſpecioſo titulo Herodes Chriſtum, qui ſcelerum omnium Redemptor Orbi ab ipſis incunabulis renuntiatus aduenerat, ex adulterio ſuſceptum criminatus, ad

necem quæſiuiſſet? Quàm plauſibili nomine Phariſæi, quòd legem, qui omnes eius articulos ſe ſeruaturum edixerat, ipſe migrârit, accuſâſſent? Quàm vendibili obtentu Iudæi, quòd in lucem legis piaculo funeſtatam exierit, illuſiſſent? Certè hæc mei non ſunt ingenij commenta, ſed eloquentiſſimi Ambroſij oracula, qui in hanc ipſam ſententiam diſertiſſimè ita tranſit: *a Nec decuit ſiniſtrâ virginibus opinione viuentibus velamen excuſationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur. Quid autem Iudæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum videretur ex adulterio perſecuti? Quemadmodum ipſe diceret:* Non veni legem ſoluere, ſed adimplere: *ſi videretur cœpiſſe à legis iniuriâ, cùm partus innuptæ lege damnetur.* Tanti videlicet refert, etiamſi virtute nitaris, niſi inſuper quoque exiſtimatione floreſcas, alterutro præſidio ad conatum omnem fruſtrandum carere.

a *Lib. 2. in Lucam.*

Num. 58. *Contemptâ hominis famâ, eius quoque contemnuntur virtutes.*

Quocirca Religioſi omnes, quicunque animarum ſaluti operam nauant, vtcunque virtute vireſcant, ſi tamen infamiæ nube obſcurati traducantur, nihilo plus proficient, quàm ſi cum ventis litigent, aut mortuis verba faciant. Nam vbi alicuius *vita deſpicitur*, quid *reſtat*, vt magnus definit Gregorius, *a* niſi *vt eius quoque prædicatio contemnatur?* Et cui quotidiano experimento compertum non eſt, quod Principum callidiſſimus Tiberius crebro vſurpabat ſermone, *b contemptâ famâ, contemni* quoque *virtutes?* Quoties medicus, quamuis peritus; quoties Iuriſconſultus, licet eruditus;

a *Hom. 12. in Euang.* b *Apud Tacit. lib 4. Annal.*

eruditus; quoties phonaſcus, quamquam contritus in muſicis; quoties plérique alij artifices, etſi ſuis in artibus conſumpti; ſi in minimis nihilominùs ponantur, deſpectuique habeantur, operam planè ludunt, nulliqúe omnino ſunt vſui? Haud ſecus etiam & magni quique viri, tametſi virtute præſtent, quàm frequenter tamen, ſi *gloriam*, & *exiſtimationem ſui nominis*, vt loquitur D. Chryſoſtomus, *a fœdant*; ex ſuperuacuo prorſus, quantum ad alios, vt palàm eſt, laborant, *ſalq; infatuatum* propterea in diuinis libris, vt idem S. Doctor obſeruat, *b* meritò appellantur? Cur etiam Apoſtolus, vbi delectos à Deo viros ad Eccleſiæ decus amplificandum, gignendamqúe in hominibus ſanctimoniam cohortatus eſt, *c* vt ſe exhibeant *ſicut Dei miniſtros*, hoc eſt, velut Saluatoris mundi adiutores, ceu architectos ſapientes, qui myſticam Dei domum ædificent, tanquam communis ſalutis curatores, cœli arbitros, Euangelij præcones, conciliatores felicitatis; rationem illam proximè ſubijcit, *vt non vituperetur miniſterium noſtrum*; niſi vt maximè ſibi omnes iſti perſuadeant, ſi ipſi, qui ad alios erudiendos initiati ſunt, & deuoti, communi hominum ſententiâ vix aſſis fiant, paruiqúe ducantur; huiuſmodi contemptu pietatem etiam ac miniſteria diuina, vt ita dicam, ſideranda, atque aſpernanda; frugemqúe omnem proinde, ac fructum eorum penitiùs decollaturum?

a *De ſubintroduct.* b *Ibid.* c *2. Cor. 6.*

Num. 49. *Religioſi, ſui aliorum ſalutem curant, qui famam cordi habeant.*

Quamobrem contra omnino, qui copioſum quæſtum animis populorum excolendis facere cupiunt,

piunt, non ſolùm ſatagant, neceſſe eſt, vt *ingens interuallum* virtutis inter eos, *& alios* ſit, quod Lucilio ſuo auctor erat Seneca; *a* ſed etiam vt famæ quoque propitio nitore ſplendeſcant. Quis enim virtutum abundantiâ & pretio cum Gentium Apoſtolo, non dico certare, ſed componi longo etiam interuallo poteſt? & tamen tantum abeſt, vt inter pullatorum turbam ſe abiectum deſpectumque referri ille pateretur, vnde & ſacrarum quoque rerum deſpicientia ſequeretur, vt potiùs nouam in dies nominis lucem ſuum ad munus illuſtrandum adiungeret. *Honorificabo*, inquit, *b miniſterium meum*, hoc eſt, vt vertit Syrus, *glorioſum efficiam*. Ex quo tam vber ſacri miniſterij fructus deinde exuberabat, Numiniſque ſancti gloria adeò augeſcebat, vt Apoſtolicos viros *c gloriam Chriſti* idem iure optimo nuncupauerit. Quid quod eoſdem viros, populi ſcilicet Chriſtiani patres, quò ad ſuum officium ritè obeundum inflammet, ſuo inſtruit exemplo, iubetque non tantùm *ſine offenſione* eſſe, ſed etiam ſuis planè veſtigijs inſiſtere? *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*, inquit. *d* At quorſum hoc? num vt inaniſſimam gloriam, leuiſſimoſque populi ieiuni rumuſculos, veterum Sophiſtarum more, quos *famæ negotiatores*, & *animalia gloriæ* appellat Tertullianus, aucupetur? Deus auerruncet. Num vt aliorum genio, atque amentiæ indulgeat, improbâque vitiorum diſſimulatione, ne vlli diſplicere videatur, ſcelus augeat? Auertat Chriſtus tam execrandum omen. Id enim qui audent, vt in ſacris literis *placentes hominibus* nominantur; ita ſuo diſceunt malò, quod Iamblicus eleganter innuit, *e multis placuiſſe*, nil demum eſſe aliud, quàm Sapientibus diſplicuiſſe. Quid Sapientibus? Imò & Sapien-

a *Epiſt.* 53. b *Rom.* 11. c 2. *Cor* 8.
d 1. *Cor.* 10. e *Apud Eugub. lib.* 10. *cap* 15.

Sapientum omnium capiti Chriſto Domino, ſiquidem Paulus *ſe non* fore *Chriſti ſeruum, ſi hominibus placeret*, apertè teſtatur. *a* Quin & Deus ipſe, vt regius canit vates, *b diſsipauit oſſa eorum, qui hominibus placent*; hoc eſt, eorum vim animique virtutem, quæ, velut oſſa, pietatem cuiuſque erga Deum fulcit, concidere permiſit. Quare longè ab his deliramentis Apoſtolus ita *per omnia omnibus placere* ſe profitetur; vt illico etiam adijciat: *non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant:* perinde ac ſi diceret; id ego potiſſimùm ſtudeo, in hoc animi vires omnes cogo, vt nihil mihi aliquando excidat, quod vllum mortalium iure poſſit offendere: ita mores vitamque ad ſanctitudinis normam exigo, vt in egregiorum facinorum meorum ampliſſimo lumine habeant homines, quod diligant, ac ſuſpiciant. Hinc ſapienter D. Auguſtinus laudes ab hominibus admitti poſſe conſtituit, *c vt auctoritas conſeruetur, & propter illos, quibus conſulere* Hierophanta *non poteſt, ſi nimiâ deiectione vileſcat.* Hinc Romanus Pontifex Gregorius eos, qui diuinis aris præfecti ſunt, & ſanctimoniæ inter homines prolatandæ prouinciam ſuſceperunt, cordatè monet, *d* vt *humilitatem* quidem in mente retineant, at *ordinis proprij dignitatem ſeruent in honore.* Hinc nobiliſſimus Philoſophorum apud Stobæum olim quoque ſanciebat, *e Omne honoratum augeri, contemptum imminui.* Hinc & iura ciuilia *f dignitatem & auctoritatem tuendam eſſe* prudenter decernunt.

I 5 Num.

a *Galat.* 1. b *Pſal.* 52. c *Epiſt.* 64.
d *Lib.* 4. *Epiſt.* 36. e *Lib.* 1. *ſerm.* 44.
f *L. obſeru. de offic. Prætor.*

Num 50. *S. Auguſtini doctrina, de neceſſitate bonæ famæ.*

Quare quum dignitas, atque auctoritas ſecundâ admodum populorum admiratione excipi ſoleat, tantumque momenti ac virium ad animarum lætum prouentum colligendum habeat; commodiſſimè D. Auguſtinus iam laudatus virtutem ab opinione diſcriminans, *a Nobis noſtram vitam eſſe neceſſariam, alijs famam noſtram* pronuntiat; idémque *ſermone 1. de vitâ Clericorum* luculentiùs repetens; *Propter nos*, inquit, *b conſcientia noſtra ſufficit nobis; propter vos, fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque diſtinguite, duæ res ſunt, conſcientia, & fama. Conſcientia tibi, fama proximo tuo.* Cui exploratiſſimo ſcito ſubſcribens quoque Scioppius (iuuat enim ſuis hunc conuenire verbis, ne quam rimam deinde elabendi reperire queat) in *Anatomiâ* ſcribit ita planiſſimè: *c In negotio ſalutis alienæ tam neceſſaria eſt bona fama, quàm in negotio ſalutis propriæ bona vita: & ſicut ſine bona vita nemo ſeipſum, ita ſine bona fama nemo alios poteſt ſaluos facere.*

a *Lib. de bono viduitatis, tom. 4. cap. 22.*
b *Serm. 49. de diuerſis.* c *Pag 96.*

Num. 51. *Religioſos ad ſui patrocinium & Religioſi Ordinis, vulgatis Apologeticis, compelli certiſſimum eſt.*

Ex his tam validâ rationum, ac teſtimoniorum acie aptè concluſis ſatis, opinor, paret, quàm arctis nominibus Religioſi viri omnes, alienæ procuratores ſalutis, infames libellos contra ſe ſuumúe Ordinem emiſſos tempeſtiuis Apologeticis

logeticis iugulare neceſſe habeant. Nam ſi fama noſtra ad ſalutem animarum curandam neceſſaria eſt, eaque pollui non debet, ſed pollere; qui tandem Religioſi hanc curabunt, ſi illam à probroſis codicibus totam ſibi pollui, corrumpique ſinant? Operæ illis eſt, auctoritatem, & dignitatem tueri. Sed quomodo, ſi libellis eam obterentibus non obſiſtant? ſui neglectum contemptumque vitare. Sed quonam pacto, ſi contumelioſis Satyris vltro dent manus? Omnibus, Apoſtoli exemplo, non ſui quidem gratiâ, ſed vt plurimorum bono velificentur, placere. Sed quîdum, ſi calumnijs inteſtabiles reddi ſe tacitè ferant? An verò miniſterium ſuum illuſtrabunt, qui propudioſis chartis occurrere detrectant? præceptis ſuis addent pondus, qui rumoribus detrahentibus non reluctantur? inſipientes cogent reſipiſcere, qui infatuatum ſalem ſe haberi non recuſant? qui proprium eorum munus vituperantibus, ſponte conniuent? qui notis omnibus ignominijsque differri ſe, ac confici patiuntur? Scelerum purulenta lues, vt probis omnibus dolent oculi, effrænatiùs quotidie graſſatur, Religioſorum integerrimorum famâ dolo malo inceſtatâ ſerpit magis, prauis exemplis per calumniam excogitatis, celebratisque vehementiùs incenditur, ſpecioſo plauſibilique titulo impotenter cohoneſtatur; ideoque tanto adhuc latiùs & diriùs propagatur. Et famoſos libellos, tot malorum & damnorum hydras, Apologeticorum clauâ à Religioſis viris mactari neceſſe non eſt? Volant per manus hominum noxioſi huiuſmodi libri typis peruulgati, neque viuentibus dumtaxat, vbique locorum lethifero mendaciorum aconito magnæ ſunt fraudi, ſed in æuum ſeruati, pòſt futuris quoque eandem afflant perni-
 ciem.

ciem, totamque ludificant poſteritatem, cui innocentium infamiam, niſi maturo auertatur antidoto, nullâ redimendi ſpe, vendunt, planeque proſtituunt. Et ratio non poſcit, vſus non eſt, non eſt negotium, vt tantum malorum ſcriptis, feſtinatisque vindicijs ſacri homines repellant? faceſſant moræ, quid procraſtinatur? niſi calumniæ os confeſtim ſtylo ferias, probeque comminuas, nónne impunè illa circulatur? nónne gloriabunda regnat? nónne victrix deinceps apud poſteros ſine vllâ medelæ ope perennat, ac triumphat? Pereunt interim tabulæ, decedunt teſtes, chirographa abolentur, veritatis præſidia intereunt, literarum monumenta de medio tolluntur, facultas omnis diſſlandæ calumniæ poſteritati adimitur. Et opus minimè eſt, res non cogit, tot tantiſque damnis, tum præſentibus, tum ſecuturis properatâ defenſione obuiam procedere? Quid? nónne deleta lex caritatis imperat, vt proximorum detrimentis, etiam temporarijs caueamus? nónne ex communi Theologorum ſcito à magno Aquinate ſciſcitur, *a* poſſe Religioſos homines *ſua in iudicio repetere, quando contentio eſt de aliquo, quod vergit in temporale damnum alterius & maximè pauperum?* nónne ab eodem ſapientiæ myſtâ prætereà traditur, *b In illis, quæ ad detrimentum commune pertinent, etiam temporale, non eſſe perfectionis, ſed negligentiæ, vel puſillanimitatis talia incommoda, dum poſſint reſiſtere, ſuſtinere?* Nónne hæc doctrina adeò explorata eſt, vt quicunque Antiſtes, qui ſine iuſtâ cauſſâ legatum vel hereditatem, quæ Religioni obuênit, repudiat, lethale ſcelus admittat, ac reſtitutioni obnoxius ſit, quemadmodum *cap. quicunque, 12. quæſt. 4.* traditur, docetque enucleatè Thomas Sanchez *lib. 6. de matr. diſp. 4. num. 16.* Quanto igitur magis eoſdem Religioſos ad infandas

a *Opuſc. 19. cap. 15.* b *Ibid.*

das lœdorias ſatyraſque aduersùm ſe ſuumue Ordinem editas, ex quibus longè immaniora damna, non tantùm humana, ſed etiam diuina; non ſolùm temporaria, ſed etiam æterna; non corporalia dumtaxat, ſed etiam *ſpiritualia* in animarū Remp. redundant, ſtylo tranſuerberandas, quodam veluti ſacramento adactos eſſe, cenſendum eſt? Nónne dilucidè Angelicus Doctor enunciat, *a Debere* Religioſum *ſecundùm caritatem reſiſtere illis, qui fratres ſuæ Religionis nituntur opprimere?* quàm perſpicuè adijcit, *Siquidem in ſpiritualibus oppugnentur, totis viribus reſiſtere debere, & præcipuè in illis, in quibus non ſolùm ſibi, ſed & alijs proſunt?* quàm egregiè Gloſſa ab eodem Aquinate laudata ſcribit, *b Linguas detrahentium nobis* eſſe compeſcendas, *ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum, qui bona audire poterant, corda corrumpant?* Quàm compoſitè D. Baſilius ſtatuit; *b Omni ſtudio conari mendacium refellere, virorum eſſe frugi, ac eorum, qui & ſibi ipſis bene conſulant, & multorum ſecuritati ſtudent?* quàm diſertè D. Gregorius Pontificum Maximus ſancit, *d* debere eos, *quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, ſi poſſint, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant; & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant?*

a *Loco laudato.* b *Ibid. cap.* 14. c *Orat.* 10. *de Inuidia.* d *Homil.* 9. *in Ezech.*

Num 52. *S. Bonauentura de negotio iſto doctrina.*

Sed multò adhuc magis ex deſtinato, & compacto D. Bonauentura hanc ipſam Spartam adornans, *Vbi poſſunt,* inquit, *a grauiora damna ſubſequi, videlicet animarum grauia nocumenta, ibi non*

a *In Apologetico pro ſuo Ordine circa medium.*

eſt expediens ea tolerare. Nam quum ſimus in Eccleſiâ Dei ad multarum animarum ſalutem à Sede Apoſtolicâ deſtinati; per officium docendi, & extrahendi homines à peccato, ſi quis infamaret Ordinem noſtrum, quòd eſſemus ſeductores, aut hæretici, aut criminoſi, aut non habentes auctoritatem prædicandi, ſeu confeſſos nobis, & contritos abſoluendi, quum à Domino Papâ, vel etiam Epiſcopis habeamus; non ſolùm læderet nos ſic reddendo deſpicabiles hominibus, quod ſubtraherent nobis beneficia, ſine quibus ſuſtentari non poſſumus; ſed etiam noceret omnibus, qui ex hoc inciperent nos perſequi, & grauiter peccarent. Et qui crederent nos tales eſſe, ſicut ille aſſereret, nec prædicationes noſtras attenderent, nec conſilia ſalutis requirerent à nobis; & iam nullus Ordinem intraret curaret; imò debiles mente Ordinem tentarentur relinquere, quem viderent ab omnibus conculcari. Inſuper hæretici ſe detractoribus noſtris libenter adiungerent ſub ſpecie amicitiæ, vt nos ampliùs redderent odioſos, ad hoc, vt doctrinam noſtram hominibus redderent odibilem: & ita aſtutè attraherent corda eorum, & paulatim ducerent in errorem, quum nos maximè timeant, modò in hoc ſibi eſſe reſiſtentes. Plura alia multa ſuſcitarent nobis veritatis aduerſarij, ſi non haberemus munimen per Sedem Apoſtolicam, quæ non tam nobis, quàm Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ valde nocerent, & in dedecus ipſius Sedis redundarent, quæ Ordinem plantauit, & confirmauit, & ad profectum Eccleſiæ deſtinauit. Hactenus Bonauentura ſapientiſſimè. Quæ ſanè damna grauiſſima tum ipſius calumniatoris, qui obtrectat, tum Religioſi Ordinis, cui obtrectat, tum populorum, quibus obtrectatione nocet, in cauſſâ potiſſimùm ſunt, cur calumnia ſapientem virum, vt ſuprà abundè demonſtratum eſt, tantoperè conturbet, & torqueat; multò ſcilicet magis, quàm ob vllam aliam

propriam ipſius noxam, priuatamque moleſtiam indidem acceptam, vt cuiuis verè ſapienti non minùs ipſo vſu, quàm cognitione perſpectum eſt.

Num. 53. *Humilitatis eſt, publica hominum iudicia non contemnere, ſed revereri.*

Quibus tam exquiſitè enucleatis portenti inſtat profectò numerandum crediderim, non dico fuiſſe aliquando nonnullos, quos minimè veritum ſit, iuſto ſui patrocinio Religioſis viris interdicere; ſed etiamnum ſuperare aliquem, qui huiuſmodi inſaniæ ſaxo adhærefcat; qui eoſdem Religioſos vindiciarum clypea aduersùs debacchantes calumnias ſumere nefas ducat; qui opprobramentorum infamiam ſcripto diluere Religioſâ modeſtiâ indignum putet; oris oculorumque contumaciam interpretetur, Campanum ſupercilium, vel agreſtioris, ac ferocioris naturæ ingenium exiſtimet. Sed vbinam gentium hæc ſomnia venditantur? quibus niſi deliris vetulis id genus deliramenta canuntur? Atqui ego hoc patrocinandi munus, atque Apologeticorum ſcribendorum prouinciam, vt mittam quæ ad id locorum non ſupinè, nec ieiunè ſunt diſceptata, contendo prætereà Chriſtianæ demiſſioni tam eſſe conſentanea, quàm peruicax in famoſorum libellorum contumelijs, calumnijsque demuſſandis ſilentium, vtcunque tolerantiæ obnuptum ſpecie, arrogantiæ ac faſtui admodum affine. Nam quid rogo, ſuperbiùs, quàm aliorum iudicia præ tuo nauci habere? quid faſtoſius, quàm quid de te viri etiam probi ac ſapientes ſentiant, parui deputare? quid arrogantius, quàm ſolam iactare conſcientiam,

Deo ſolùm teſte, ac iudice vindicare innocentiam, fucum populis adlitum non curare, in fraudem vrbes & nationes deductas deſpicere, grauia hinc in Rempublicam damna expetentia ſpernere? contra verò quid modeſtius, quàm rationem omnium, quæ egeris, aut dixeris, libellis laceſſitum libello reddere? quid humilius, quàm vel infimæ tribus homines proletarios tanti facere, vt errorem & falſitatem dedoctos iure tibi iraſci, vel aduerſari nolis? quid verecundius, aut mitius, quàm ſupplicis egeni in morem, ablatam direptamque mendacibus fabellis exiſtimationem oſtiatim ferè deprecabundum repetere, ac mendicare? Sed num hæc placita mihi ſoli placent? an è meâ ſententiâ dumtaxat ita conſtituo? quid ſi huic elationis ac demiſſionis explicatæ teſſeræ decretum quoque ſuum, ſapientiæ omnis emporium Auguſtinus manifeſtò interponat? Nónne is in hanc prorſus ſententiam luculentiſſimè ita diſputat? *a Tumor dicit, teſtem habes Deum in cœlis, non ſit tibi cura, quid de te ſuſpicentur homines in terris. Humilis ſatisfactio reſpondet, non eſt danda detrahendi occaſio, non ſuſurrandi ſuſpicio; ſed ſi adſunt, quæ corrigantur, manifeſtanda, aut certè ſi deſunt, humili proteſtatione neganda, quia Apoſtolus admonet, nullam occaſionem dare diabolo maledicti gratiâ. Quod etiam in illis deteſtatus eſt, qui Chriſtianæ fidei conſentientes in idolo ad comedendum recumbebant. Et quanquam ipſi idolum pro nihilo ducentes, immolata quaſi innoxios cibos ſumerent, infirmas tamen fratrum conſcientias per hoc factum ad nefandum idolorum ritum trahebant.* Porrò eodem demum reuolui, ſiue quis ſermonum & rumorũ materiam ſuppeditet alijs, ſiue vitæ integer, ipſe aliorum malignitate ac falſimonijs peſſimè audiat, neque ſe, ac veritatem defendere audeat, iam ſuprà oſtendi, neque hic eſt,

a *Lib. de conflictu virtum & vitiorum, Tom. 9.*

eſt, cur denuò quicquam appingam. Quamobrem qui poteſtatem contumelioſos codicillos calamo retundendi ſacris viris adhuc præfractè inuident, intelligunt, reor, ſe arrogantiæ, ſuperbiæ, ac faſtui ſuffragari, blandiri, ancillari; tantundemque Chriſtianæ humilitati, modeſtiæ ac demiſſioni refragari, obluctari, incommodare.

Num. 54. *Magnum caritatis documentum eſt, homines ab obtrectatoribus deceptos, ad opinionem de Ordine meliorem reducere.*

Sed quid me iam tenet, quin crudelitatis quoque dicam hiſce Apologeticorum oſoribus impingam? Certè inficias ire nemo poteſt, quemadmodum propudioſis calumnijs tempori reſpondere, Chriſtianæ documentum eſſe humilitatis, modo vicimus; ita quoque teſtatum eſſe caritatis & miſericordiæ argumentum, eaſdem calumnias ſtylo in crucem agere. Nam ſi alicuius indigentiam iactâ ſtipe leuare, caritati vel miſericordiæ omnis Theologorum ſchola acceptum refert: quanto magis vindicibus libellis non vnius, ſed plurimorum egeſtati, non corporum tantùm, ſed etiam animarum neceſſitudini ſuppetias aduenire, earundem virtutum beneficentiæ, ac largitatis munus opinabitur? quid beneficentius, quàm veritatis iniurias arcere; calumniatorem ipſum, ſuam ignorantem peſtem, bonam ad frugem perducere? quid gratius, quàm Religioſæ familiæ, quam matrem filius non degener agnoſcas, impreſſa dedecora expungere? quid carius, vel acceptius, quàm populos vndique implicatos fraudibus ſcripto explicare? quàm innumeras animas graſſantium obtrectatorum latrocinio abrumpere? quàm ciuita-

tes,

tes, atque prouincias ſua quidem iam mole peſſum ſidentes; at, affictâ ſacris viris flagitiorum ſcenâ atque imagine, in deterius multò magis labentes reuocare, erigere, ſuſtinere? Sed rationis perſpicuæ hoſtimento (ſi minùs id forſan etiam eſſet graue) ſacoma quoque ponderoſiſſimum ex ſcito apertoq; magni Auguſtini iam producti ſyngrapho, quò id ipſum expreſsè obſignatur, appono. Sic ille planiſſimè: *Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam custodit, ſibi bene facit; quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra, & vtique quod etiam alijs miniſtramus ad ſalutem miſericorditer, ad noſtram quoque redundat vtilitatem.*

a *Lib. de bono viduitatis, Tom. 14. cap. 22.*

Num. 55. *Crudelitas magna eſt, iniquè oppreſſo, cùm poſſis, operam non ferre.*

At quid horum omnium neceſſariò conſequens eſt, niſi eos, qui famæ propriæ vindicias à Religioſis hominibus datas, libroque vulgatas oppugnant acriter, crudelitatis eſſe penitùs manifeſtos? Si enim contrariorum eadem diſciplina eſt, quid tam pugnax aduerſumque caritati & miſericordiæ, quàm crudelitas, & ſæuitia? quid verò aſperius, quid acerbius, quàm diram veritatis atque innocentię carnificinam ſus deque ferre? quid inclementius, quàm calumniatoris miſerandæ contagioni nullam adhibere medicinam? quid inhumanius, quàm Religioſo Ordini, parenti cariſſimo, fœdiſſimis traducto calumnijs, auxilij nihil portare? quid immitius, quid atrocius, quàm tot animarum manipulis, præ ſacrorum virorum contemptu, ſatyrarum infamiâ parto, in perniciem quoti-

quotidie peiorem ruentibus nullam operam addere? Sed mentior ego, niſi hanc quoque doctrinam doctrinarum omnium Athenæ idem Auguſtinus ſuo munit chirographo hiſce totidem verbis: a *Nec audiendi ſunt ſiue viri ſancti, ſiue fœminæ, quando reprehenſâ in aliquo negligentiâ ſuâ, per quam ſit, vt in malam veniant ſuſpicionem, vnde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt; dicunt, ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam; exiſtimationem hominum non imprudenter ſolùm, verùm etiam crudeliter contemnentes; quum occidunt animas aliorum ſiue blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundùm ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita Sanctorum: ſiue etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant.* Nec minùs bellè alio loco in eandem ſententiam: b *Qui fidens conſcientia ſua, negligit famam ſuam, crudelis eſt; maximè in loco iſto poſitus, de quo dicit Apoſtolus ad diſcipulum ſuum: Circa omnes teipſum bonorum operum præbe exemplum.* Quod documentum refertur quoque à Gratiano in Decreto tum *cap. Non ſunt audiendi*, 11. *quæſt.* 3. tum *cap. Nolo.* 12. *quæſt.* 1. illuſtraturque luculenter ac probatur à S. Antonino *par* 3. *ſumm. tit.* 8. *cap.* 4. §. 8. *in fine.* à Nauarrâ *lib.* 2. *de Reſtit cap.* 4. *num* 11. 17. *&* 18. à Lyrano in ea Ioannis verba *cap.* 18. *Si malè locutus ſum, &c.* à Torres *de Iuſt diſp.* 54. *dub.* 11. *num.* 5. à Ioanne Sanchez *in Selectis diſp.* 96. *num.* 6. à Petro Gregorio, 2 *par. Syntagm lib.* 38 *cap.* 1. *num* 1. à Mario Mutâ *ad conſuetud Senat. Panormit. cap.* 6 *num.* 8. à Paramo *de orig Inquiſit. quæſt.* 6. *num* 115. *& ſeqq.* nec non *num.* 126. à Fagundez *in* 8 *præceptum lib* 8, *cap* 2. *num* 1. ab Ancharano *conſ.* 88 *num.* 6. à Valenzuolâ *conſ.* 91. *num.* 7. *tom* 1. ab Auguſtino Barboſâ *Axiomat.* 95. à Couarruuia *lib* 1. *variar. cap* 2. *nũ.* 8. *verſ.* Quibus ſuffragantur ab Arannæo *Deciſ.* 13. *num.* 65. *lib* 2. à Thoma de Triuis *Deciſ.* 10. *num.* 15. *lib.* 2. *cap.* 12. denique à Bannez 2. 2. *quæſt.* 72. *art.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 5. Num.

a *Ibid.* b *Serm.* 49 *de diuerſis, tom.* 10.

Num. 56. *Tyrannicum eſt, iniquè circumuento, pro ſe loquendi poteſtatem auferre.*

Quinam porrò, obſecro, quinam potiſſimùm inter inhumanos, ac crudeles numerantur? Latrones ſine dubio, raptores, ſicarij, carnifices, tyranni. Sed an non etiam tales omnino, quicunque famâ crudeliter contemptâ, Religioſi viri præſertim, populos ad ſcelerum per calumniam adſperſorum veſtigia perſequenda alliciunt, atque ſollicitant, meritò reputandi? an non proptereà ab Auguſtino interfectores animarum iure optimo cenſentur? an non eodem quoque nomine & gratiâ, & latrones, & ſicarij, & carnifices, & tyranni rectiſſimè appellentur? Ipſum ego Doctorem Angelicum hac in cauſsâ Iudicem teſtor, à quo dilucidè ſcriptum in confeſſo eſt, a *Quando contentio eſt de aliquo, quod vergit in temporale damnum alterius, & maximè pauperum; reum eſſe quodammodo rapinæ, qui ſuâ negligentiâ alios damnum incurrere permittit, & præcipuè in his, quæ ſunt eius curæ commiſſa.* At ſi qui temporale aliorum damnum præ ignauiâ non auertit, raptor quodammodo eſt, nónne animarum verè raptores, qui earum tot detrimenta *ſpiritalia* ac ſempiterna, tot vulnera, & mortes tam ſupinâ taciturnitate nihili pendunt? nónne reapſe eâdem de cauſsâ & illarum quoque carnifices? nónne etiam ſicarij? nónne & latrones? nónne & tyranni? Verùm ſpinoſi illi Ariſtarchi, Catoneſque rigidiores, qui Religioſos viros aduersùs infames libellos hiſcere non ſinunt, qui perpetuo damnant ſilentio, qui vnà etiam mactant, atque ita & raptores, & interfectores, & ſicarios, & latrones, & carnifices, & tyrannos eſſe iubent,

a *Opuſc. 19, cap 15.*

iubent,volunt,cogunt; an vllâ particulâ iſtis meliores iudicandi? Imò verò duplo magis, quàm iſti, immanes architecti crudelitatis, qui propriâ ſæuitiâ,ac diritate minimè contenti,eandem alijs quoque imperant, atque hoc modo ſuam etiam vtcunque exſaturant, Caium, Cæſarem Tyrannorum atrociſſimum ad vnguem tali ſcito decretóque æmulati, quem eouſque feritatis progreſſum ſcribit Annæus Seneca, a vt *in quos animaduerti iubebat, his os inſertâ ſpongiâ includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem, quumq; ſpongiæ non inuenirentur, ſcindi veſtimenta miſerorum, & in os farciri pannos imperauerit.* Haud aliter iſti inconſulti ſilentij prædicatores, quum plerique obtrectatores virulentis libris in publicum aſpectum relatis viros eximios, cuiuſuis Ordinis, tum alios Religioſos cœtus, tum Societatem noſtram,ac Socios noſtros in primis, quàm duriſſimè excarnificârint non ſemel; omnia ora nobis, & calamos iniectâ neſcio quâ inertis diſſimulationis, ignauæque tolerantiæ ſpongiâ, ne contra quiritare, vel mutire audeamus, præfocari iubent; ac ſi quid nobis prouocatis, coactiſque quamuis iuſtum, & moderatum ad iniuriam dumtaxat repellendam excidit, illico nos impatientiæ, arrogantiæ ac ſuperbiæ reos vociferantur. At quid hoc demum eſt, niſi Caianæ tyrannidis exertum ſimulacrum,compertumque imitamentum? *Cui enim vnquam morituro*, vt inibi Seneca ad rem præclarè ſubijcit, *non eſt relictum, quà gemeret?* At ille *timuit, ne quam liberiorem vocem extremus dolor mitteret, ne quid, quod nollet, audiret. Sciebat innumerabilia eſſe, quæ illi nemo obijcere, niſi periturus auderet.* Ita prorſus & rabidi iſti Momi, vbi ſuos vngues, ora, calamoſque, innocentium famâ ſæuiter dilaceratâ, fœdè ſibi cruentârunt, negant illis præ animi

angore

a *Lib.3.de Irâ, cap.18.*

angore animam penè agentibus fas eſſe, gemitum edere; veriti nimirum, ne quam vocem exprobraturam ipſorum probra, quæ aliàs æterno tumulata ſilentio diſcupiunt, dolor ſummus exprimat, quam alioqui nemo vnus, niſi iuſti patrocinij ingens neceſſitudo, expreſſiſſet. Sed huiuſmodi vitilitigatoribus nihilo ſanè æquiores inhumani illi Cenſores, qui ſacris hominibus calumniarum atrocitate maximè meritoque anxijs, ſtupentis pannos taciturnitatis in os farciunt, linguasque & calamos, ne quid regerant, aut querantur, tyrannicè præcidunt. Quod ſi qui fortè eorum Cenſoriam hanc legem, ſeueritatemque non ferant, editoque Apologetico abrogatum eant; exclamant illi repentè, Religioſæ ſacrarium modeſtiæ profanatum, patientiæ aram pollutam, ſuperbiæ fanum erectum, & dedicatum. Bellum enimuerò artificium, bellum ac lepidum. At ex æquo etiam, & latrones de viatoribus, & lupi de paſtoribus, canibusque, quòd thoracati illi, & gladiati; fuſtibus iſti, millis, & dentibus inſtructi, munitique, illam vim, latrocinium, atque carnificinam arceant, iure expoſtulabunt. Calumniatores quippe, luporum inſtar, ac latronum, ore, calamo, manibus, vnguibusque in Religioſorum virorum nomen famamque impactis, integerrimum quemque immane quantum vulnerant, laniant, diſcerpunt, neminique parcunt: quoniam vero his mutum eſſe pecus haud lubet, ſed in certamen adacti, arrepto ſtylo acutos aduncoſque illorum vngues & dentes retundunt, amputantque; extemplo de eorum impatientiâ faſtuque conqueruntur; neque deſunt etiam, ſi Deo placet, qui ſecundùm ipſos pronuntient, reos audacter abſoluant, innocentes temerè damnent, eo ſolùm nocentes videlicet, ſontesque, quòd ſe innocentes, inſontesque

non

non ore tantùm & verbis dicunt, ſed factis quoque & ſcriptis probant. At nónne is itidem Caianæ ſæuitiæ improbus ſtolo, atque infelix ſurculus eſt, igni, ferroque deuouendus?

§. VI.

Sanctorum Patrum de Apologeticis libris aduersùs calumnias, ſacrorum etiam virorum operâ ſcribendis vulgandiſque Senatus conſultum.

Num. 57. *Apologetica Religioſorum virorum pro ſe ſuiſue Ordinibus edita, exemplis munita ſunt.*

Verùm importunos iſtos iuſti, neceſſarijque hominum Religioſorum patrocinij maſtiges, inſcitiæ, arrogantiæ, & crudelitatis iam conuictos, veterum quoque Patrum, ſanctitudine omnium vno dempto, coruſcantium perſpicuis ſuffragijs nunc demum obruere par eſt. Sed ne actum iam agere, Chriſtique Domini atque Apoſtolorum, tum & complurium Patrum documentis grauiſſimis iam antè expoſitis alia in præſens teſtimonia vel leuioris armaturæ, vel otioſæ ſaltem operæ ſuccenturiare videar; caueo hîc tempeſtiuè, moneoque, eorum dumtaxat virorum, qui non verbis tantùm, & quomodocunque, alijs auctores fuerunt, calumniarum propulſandi; ſed ipſi quoque, quod cæteris ſuaſerunt, exemplo atque vſu expleuerunt, veritatemque Apologeticis ex profeſſo elucubratis tutati ſunt, chirographa & monumenta, hunc in poſtremum locum à me de induſtriâ eſſe reiecta.

Num.

Num. 58. *Thomæ Apoſtoli exemplum.*

Sed à quo ducam initium? Præſtat à Thomâ Apoſtolo, qui non humano ingenio, vel calamo, ſed naturæ repagulis expugnatis, inſigniqúe miraculo edito malignitatem longè validiùs profligauit. Nam quum diuinus vir *a* ſummam apud Indiæ populos auctoritatem ſanctimoniâ ſibi peperiſſet, idqúe Brachmanæ, eorum Sophi, indigniſſimè ferrent, ex his nonnemo fuit, qui odio cœcatus præcipuè, dentibusqúe frendens barbaræ cædis infamiam, atque inuidiam ei conflare nitebatur, ſed quum neque dum occaſionem exequendi ſceleris admoueri cerneret; ipſemet patrem exuens, atque in ſicarium latronemqúe, furore præcipitante, tranſcriptus, proprium iugulauit filium, tamqúe atrocis facinoris virum Dei apud credulum Regem falsò inſimulauit. Quæ tum verò mens Apoſtoli? qui ſenſus? quid conſilij cepit? ad quam Chriſtianæ perfectionis normam ſui partes muneris exegit? num ſiluit? num tolerantiæ amore obmutuit? Quin re plura, quàm verbis præſtans, mortuum puerum ad ſe afferri poſtulat, allatum ſiſtit in medio, viuidoqúe ſpiritu exangue cadauer allocutus, per Chriſti nomen, vt Criminis pandat auctorem, orat; nec mora, ſimul etiam exorat. Mox enim puſio vitæ redditus, clarâ voce Thomam Summi Dei legatum eſſe, eiusqúe odio nefarias manus ſibi à parente ad ſtruendam illi calumniam allatas, confirmat.

a *Maffeius lib. 2. hiſtor.*

Num. 59. *D. Staniſlai M. exemplum.*

Nec Stanislaum Sanctiſſimum Præſulem præterire poſſum, qui à Rege Poloniæ Boleſlao, *a* notæ

a *In Breuiario Rom. 8. Maÿ.*

notæ ſuæ libidinis ab eo palàm reprehenſæ pœnas repetente, in crimen occupati pagi, quem tamen à legitimo domino Eccleſiæ ſuæ nomine coëmerat, vocatus; quum id neque tabulis poſſet euincere, neque teſtes fateri auderent, venditorque ipſe iam triennio ante ad denatos abijſſet, ſummoperè vexabatur. Sed an propterea mendacio ſuccubuit? an diſſimulantiâ vſus eſt? an innocentiam fronte, oculis, ore texit? Sic enim, opinor, patientiæ operæ pretium recentioribus iſtis Cenſoribus ſemper, & ſine exceptione adeò plauſibile, ſine dubio feciſſet. At in alia omnia Staniſlaus; potiusque ad illud decurrit extremum, vt in ſolemni regni conuentu fidem oppigneret ſuam, ſe intra tres dies Petrum pagi venditorem, quanquam iam pridem elatum, funeratumque, in iudicium adducturum. Accipitur cum riſu conditio. Sed diuinus vir triduum totum ieiunio, & precibus conſecrat; tum ipsâ ſponſionis die, vbi ad aram operatus eſt, Petrum è tumulo prodire iubet. Mirum dictu! exilit ille ſtatim rediuiuus, Antiſtitemque ad regium tribunal rectà pergentem ſequitur, ibique rege, & cæteris rei nouitate, ac ſtupore attonitis, de agro à ſe vendito, & pretio ritè ſibi ab Epiſcopo perſoluto teſtimonium dicit, euerberataque calumniâ, confeſtim fato rurſum concedit.

Num. 69. *Exemplum Gregorij Nazianzeni, & magni Baſilij.*

Sed ecce Patres iam in Senatum frequentes veniunt; atque omnium primus magnus ille Conſtantinopolitanæ vrbis ſplendor, Gregorius; ſpiſſum operoſumque Apologeticon eâ gratiâ à ſe elaboratum, quod ſuam illam Pontificatûs abdicationem pleriſque ingratam accidiſſe intellexe-

ſit, ingenuè ita præfatur: a *Neque enim ferre poſſum nonnullos ex ijs, qui res noſtras ſiue rectè, ſiue aliter habentes ſummo ſtudio, & curâ explorant, in me offendi ac vulnerari.* Nihilo ſegniùs Baſilius quoque ille famigeratæ ſapientiæ, & ſanctimoniæ prærogatiuâ inclytus, de quo anteà ſatis, cur maledicorum ora poſt diuturnam patientiam fruſtra ſibi imperatam, oratione tandem compeſcere neceſſe habuerit, aduerſatriorum nequitiam maiora in dies incrementa capientem apertè hiſce verbis, quæ ſuprà iam attuli, iuuatq; hîc repetere cauſſatur: b *Ac ſanè multum iam tempus præterijt, ex quo calumnijs affectus, accuſationis flagella fero, eo contentus, quod dominum habeam abditorum cognitorem atque calumniæ teſtes. Sed quum multi ſilentio noſtro ad maledictorum corroborationem abutantur, nec exiſtiment ob tolerantiam nos ſilere: ſed quod potiùs non ſim os diducere ad veritatem, eam ob cauſſam adhortor veſtram in Chriſto dilectionem, ne ea probra, quæ ex vnâ parte manant, ac ſi vera eſſent, ſuſpiciatis.* Moxque cuncta vir maximus planiſſimè diluit.

a *Orat.* 21. b *Orat.* 10. *de Inuidiâ, & Odio.*

Num. 61. *Exemplum D. Cyrilli Alexandrini, S. Hilarij, & D. Cypriani.*

Quàm explicatè etiam Cyrillus, Alexandrinæ iubar Eccleſiæ, cur ad ſcribendum Apologeticum appulerit animum, rationem afferens, ſtatim eius initio, comprimendæ audaciæ obtrectatorum neceſſitatem teſtatur? *Itaque & nobis*, inquit, a *neceſſarium fuit, è diuerſo veritatem tractare, & refellere obloquutionem, oſtendereq; aduerſarios eſſe dicacitatis*

a *In Apolog. ad defenſionem* 12. *capitum contra Orientales.*

citatis ſtudioſos Quàm candidè Hilarius Pictauorum gloria, ad Conſtantium ſcribit: *a Vlterius tacere diffidentiæ ſignum eſſe, non modeſtiæ; quia non minus periculi eſt, ſemper tacuiſſe, quàm nunquam!* Quàm rotundè Cyprianus, decus Carthaginis, audito, ſeceſſum ſuum ab eâ vrbe, dirâ admodum procellâ rem Chriſtianam illic tum agitante, ſequioribus Populi Romani ſermonibus cædi, famæ ſuæ curam demonſtrat, longâque Epiſtolâ *b* ad Romanos Presbyteros & Diaconos præproperè exaratâ, totius facti rationem exponens, impreſſam ſibi maculam delet? Quàm blandè, & præcisè, *Quoniam comperi, fratres chariſſimi*, inquit, *minùs ſimpliciter, & minùs fideliter vobis renuntiari, quæ hic à nobis & geſta ſunt, & geruntur, neceſſarium duxi has ad vos literas facere, quibus vobis actus noſtri, & diſciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur?*

a *Ad Conſtantium* 2. b *Epiſt.* 15.

Num. 62 *Exemplum S. Athanaſij.*

An verò Athanaſius, alter Alexandriæ ocellus, acerque aſſertor veritatis, adlitas ſibi ab æmulis, inuidisque multiplices calumnias ſilentio concoxit? an patientiâ vocem ſibi omnem clauſit? quid clauſit? quid concoxit? imò deſtinatâ ad Conſtantium Auguſtum Apologiâ elatè vociferatur, aduerſarios, qui eum detulerant, eſſe mentitos, & omnia, quæ illi obiecta fuerant, calumnijs ſcatere; ſe ab omni ſuſpicione liberum, illos eſſe calumniatores. Tum aliam criminationis partem de maledictis in Conſtantem Imperatoris fratrem iactis tam contentiosè perimit, vt qui illam adornârant, & temeritatis arceſſere, & ſycophantis accenſere non dubitet. Quid vbi Leontium Antiochenũ, & Narciſſum Neropolitanum, & Georgiũ Laodicenſem, & alios ſibi multa

K 2 oggc-

oggerere, notamque timiditatis, quòd fuga ſeſe illis ſubduxerit, exprobrare intellexit? quàm feſtinato labore aliam rurſus Apologiam *a* expedit, illorumque conuicijs & probris ita obuiam procedit, vt eos ſacrarum literarum ignaros, vel contemptores, malignitate nempe cum imperitiâ certante, dæmoneque ipſo prognatos oſtendat? Quid vbi obtrectatores nouas denuò cudere calumnias, infeſtumque bellum ſibi indicere animaduertit? nónne mox aliud Apologeticon *b* conformat, idque planè neceſſarium, quò ſe æquis rerum arbitris purget, repudiatisque ſuſurris falſæ illorum criminationes & ſcelera inuſto mulctentur ſtigmate, profitetur.

a *Apologiâ de fugâ ſuâ.* b *Apologia 2. contra Arrianos.*

Num. 63. *Exemplum S. Hieronymi.*

Quid autem de Hieronymo, diuinorum voluminum Interprete locupletiſſimo dicam? Quàm multa in varios ſuorum operum ac nominis inſectatores Apologetica coagmentauit? Vides, vt ſuos aduersùs Iouinianum libros fusâ ad Pammachium diſſertatione propugnat? Vides, vt Monachum neſcio quem Iouiniani defenſorem eruditâ ac ſalsâ ad Domnionem Epiſtolâ percellit? Vides, vt in Ruffinum Sacerdotem triplici hypomnemate declamat? vt diditas de Paulâ & Euſtochio ab æmulis calumnias ad Aſellam ſcribens exagitat? vt in Onaſum ſuorum vituperatorem Codicum ſtomachum erumpit? vt in ſacræ ſcripturæ à ſe emendatæ reprehenſores ſtylum intorquet? At cur incola ſolitudinum tam iuratus non tacet? cur auſterioris ſanctitudinis exemplo vir admirandus, calamo non temperat? Ipſe ſui agat patronum, ſuique conſcius pectoris, cauſſam non

dubius

dubius vates aperiat. *Teſtem inuoco*, ait, *a Ieſum conſcientia mea, qui & has literas, & tuam epiſtolam iudicaturus eſt, me ad commonitionem Sancti Papa Chromatij voluiſſe reticere, & finem facere ſimultatum, & vincere in bono malum: ſed quia minaris interitum, ſi tacuero, reſpondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoſcere, & lenitatem meam, mala conſcientia ſignum interpreteris.* Quorum verborum poſtrema iam ſuprà quoque libata ſunt; & quamquam hæc omnia in vnum Ruffinum iaciuntur, commodè tamen & cæteris, vt liquet, aptantur.

a *Lib.3.in Ruffin.*

Num. 64. *Exemplum D. Io. Chryſoſtomi, D. Thomæ Aquinatis, D. Bonauenturæ, & Origenis.*

Quid de Ioanne Chryſoſtomo aureo non minùs ſanctimoniæ, quàm eloquentiæ flumine memorem, qui in vitæ *Monaſtica* conuiciatores triplici inſtructus agmine inuehitur? quid de Theologiæ Sole Aquinate, qui gemino Opuſculo XVII. & XVIII. primo veſaniam *retrahentium homines à Religionis ingreſſu*; altero diuini cultus Religioſique Ordinis oppugnatores proſternit? quid de Thomæ purpurato parelio Bonauenturâ, qui in eodem puluere & luctâ ter repetito ſtylo verſatus, nunc in Gyraldum Religioſæ vitæ ſtatui genuinum inſigentem pugnat; *a* nunc in *eos, qui Fratribus Minoribus aduerſantur*, ſigna infert; nunc in Franciſcanæ Regulæ calumniatorem impreſſionem facit? Quid denique de confertiſſimo doctrinarum penu Origene, loquar, qui ſuæ defenſionis contra Celſum datæ rationem æquo Lectori ita probare conatur? *b Quia fieri poteſt, vt in vulgo fidelium*

a *Tom.1. Opuſ. Apologia Pauperum. Tom.1. Opuſcul. Ibid.* b *Lib.1. contra Celſum.*

delium reperiantur aliqui, quibus periculum immineat, è ſcriptis Celſi, niſi in veritate fulciantur, Apologia petulantiæ eius confutatoriâ decreui tua iuſſa capeſſere, tranſmiſſóq; ad nos commentario reſpondere.

Num. 65. *Quando infamia non curanda.*

His atque alijs permultis ſententijs valde luculentis antiqui Patres varias illas rationes Apologeticorum librorum edendi, quas anteà ſuis ponderibus expendimus, alij aliam, bellè perſtringunt, atque amplectuntur. Ex quibus omnibus ſatis iam neruosè confectum, enodatéque perſpectum eſt, quod tam longâ operosâque diſceptatione molimur, Religioſis viris ius, faſque honeſtum, & conducibile; operæ pretium, & neceſſarium eſſe, ſui exiſtimationem nominis ac famam ſtylo vindice aduersùs ſui Calumniatores, atque obtrectatores defendere. Neque obeſt quicquam, quòd Paulus a Dei miniſtros *per infamiam, & bonam famam* ſuo defungi munere iubeat; quaſi verò hæc contempta nihil illis, nihil animarum profectui incommodet; ac non potiùs de eâ tantùm infamiâ loquatur Apoſtolus, quæ non proprio aliquo vitio, & ſecordiâ, vel impuræ vitæ offensâ conciliatur, ſed flagitioſorum hominum inuidentiâ atque improbitate viris quoque integerrimis ſæpenumero imponitur; quam non ſolùm ipſemet Paulus, ſed cuncti etiam ſapientes deſpiciendam tum, quum perimbecilla eſt, maiorisque virtutis opinione ac luce, quæ ex vitâ benè moratâ emicat, tanquam adamantino clypeo repercuſſa ita concidit, vt cæteris fraudi non ſit, vno ore, calculoque decernunt. At vbi inde pernicies non leuis rei ſeu publicæ, ſeu etiam priuatæ accedit,

a 2. Cor. 6.

dit, quin iure, & honeſtè, & ſalubriter, & neceſſariè à viris ſacris ore, calamoque ea depellenda ſit, nullus ex ſuprà abſolutâ diſputatione locus vlli dubitationi ampliùs relictus eſt. Quod verò huiuſmodi infamiæ damnum neque noxiorum libellorum interdicto ſatis arceatur, vel reſarciatur, non oſcitanter in meo *Lydio Lapide part. cap.* 3. à me patefactum Lector inueniet.

Num. 66 *Carpuntur, qui Religioſorum virorum Apologias carpunt.*

Quæ quum ita ſint, ſi quis fortè miratur, aut ridet, huiuſmodi veritatem quanquam ſuâmet luce ſatis micantem, à me tamen tam copioſâ contentioſâque oratione inſuper illuſtratam & vindicatam; miretur is potiùs iure ſanè optimo, ſimulque rideat, complures adhuc ſuperare, qui huiuſmodi ſolem mero meridie lucentem non cernant, lunamque malè feriati canes, vt eſt in parœmiâ, allatrare non deſinant, neque metuant, ne ob triplex detrimentum grauiſſimum è calumnijs impune graſſantibus manans, contemptumque, tam humanitatis proditores, quàm crudelitatis patroni habeantur. Me quidem certè ſubit interdum miſeratio, nonnunquam indignatio, vel vtraque ſimul frequenter. Miſeratio vtique multiplicis inſcitiæ, indignatio ingentis temeritatis. Nam quàm pinguis imperitia multorum, quos de ijs, quæ neſciunt, tantopere garrire iuuat, quique adipatæ inertiæ ſpecioſum tolerantiæ amiculum circumponentes, aliorum ſtrenuos labores, fructuoſos, & ſanctos velut otioſos, & fruſtra exſudatos carpunt; quumque ipſi totum diem nugando, circumcurſando, fabulando malè perdant, & fruges tantùm conſumere nati videantur, de frugiferis cęterorũ operibus liberè pronun-

tiandi facultatem impotenter ſibi arrogant, quaſi eorum naribus ac ſupercilijs omnis prudentiæ ac ſapientiæ medulla inſideret? rurſum verò quàm præceps temeritas, quàm intoleranda procacitas eorumdem, qui innocentiæ propugnationem, calumniarumq́ue depulſionem, ſeu voce, ſeu ſcripto perfectam, quam & Patrum ſcitis probari, & diuinorum voluminum oraculis laudari, & Apoſtolorum conſilijs ſuaderi, & rationum momentis firmari, & Chriſti Domini, Sanctorumq́ue exemplis, & tabulis doceri, commendari & prædicari intuentur: nihilominùs generatim, & ſine vlla exceptione, ore infrunito improbare, carpere, arrodere ac damnare non erubeſcunt, audent, tentant, obſtinateq́ue perſeuerant?

Num. 67. *Tam multa Apologetica, præſertim Ieſuitarum, extra ictum vituperationis poſita.*

Vnde liquidò compertum eſt, quàm rectè, optimoq́ue iure Religioſi quoque viri, ſeu vnuſquiſque pro ſeipſo, ſeu ſinguli pro ſuis Ordinibus tam multa Apologetica, Societatis noſtræ homines in primis, quà priuatæ, quà communis vtilitatis, aut etiam neceſſitudinis gratiâ, in publicam lucem ad id locorum emiſerint.

Cap. X.

Impudentes obtrectatorum, & calumniatorum linguas, calamoſque acri orationis ſtylo eſſe retundendos.

Num. 1. *Apologeticorum ſtylus, à pleriſque nonniſi melleus toleratur.*

De iuſti patrocinij aduersùs propudioſos libellos, vulgatis tempeſtiuè vindicijs, arripiendi honeſtate, vtilitate, ac neceſſitate iam ſatis. nunc de modo in huiuſmodi propugnatione, reliqua contentio eſt. Sed nullum dubium, quin nonnulli mollem ac planè delicatum requirant. Qnis enim neſcit aliquammultos ex tantâ lenitate, ac ſuauitate eſſe coagmentatos, vt, ſi qua vox minùs officioſa excidat; ſi qua dictio paulo neruoſiùs vibretur, niſi ſermonis lexes omnes melle dulciores fluant, niſi quæuis periodus gratiarum chorum ſecum vehat, de Chriſtianæ moderationis ſorte actum exiſtiment? Purulenta conuiciorum vlcera, admotâ liberæ refutationis nouaculâ ſecas, ſaniemque exprimis? illico modeſtiæ confinia perrupta arbitrantnr. Decumana mendacia aculeatæ veritatis ſubulâ perforas? ſtatim extra Religioſæ diſciplinæ orbitam deliratum clamant. Perfrictæ impudentiam frontis inuſto obiurgationis ſtigmate compeſcis? Extemplo effrænis dicacitatis labem interpretantur. Maledici oris carcinoma piperato cenſuræ ſale reſpergis? confeſtim inhumanas præferuidi ſpiritus vices vociferantur: veteres Patres longè diuerſam inire viam, bellum in veritatis perduelles non verbis, ſed rationibus gerere; non ſcommatis, ſed argumentis vrgere,

non dicterijs, ſed argumentis impreſſionem facere. Ius ſui tuendi cuique à natura inditum, vbi linguæ, calamoúe verborum petulantia indulgetur, actutum deſinere, atque in iniuriam repente concedere.

§. I.

Auſtera innocentiæ, ac veritatis aduocatio validis rationum pedamentis ſtatuminatur.

Num. 2. *Stylum Apologeticum acrem eſſe par eſt. Refutationis natura, acrimoniam poſcit.*

Atqui ego bonâ iſtorum veniâ, in alia omnia, vt maximis rationum momentis obſequar, diſcedo, aioque diſertiſſimè, orationis genus ad compoſitas calumnias, atque ingeſta probra euerberanda adornatum, acre vehemensque eſſe oportere. Quod mihi ex deſtinato, & copioſè hoc loco, quando id ab alijs minùs, quàm operæ pretium eſt, explicatum video, neceſſariò oſtendendum exiſtimo, duplici præſertim nomine, ac vtroque magni & grauis planè momenti, vt deinceps patebit; quod ſanè vt productiorem diſputationem omninò imperat, ita longæ orationi veniam à Lectore beneuolo facilè, vt reor, impetrabit. Acrem, ac vehementem Apologeticorum ſtylum eſſe debere, dixi; nec me pœnitet. Nam ſi ipſum defenſionis, ac refutationis ingenium primò introſpiciamus, ſuâpte naturâ profectò ſine cuſpide non eſt, ſed aculeos, ſicas, & tela poſcit. Quis enim miles ſine ferro in aciem prodit? quis ferrum ſine ſanguine verſat in prælio? quis in duello ſanguinem ſine vulnere elicit? Deme gladium militi, deme gladio

gladio mucronem, deme mucroni chalybem; iam non erit ille miles, ſed calo; non is gladius, ſed ligo; non iſte mucro, ſed mucor. Ad manus conſerendas improbiſſimus, ac ſæuiſſimus aduerſarius euocat, acinacem in caput meum librat, iuguloque ſtricto pugione imminet, & ego machæram euaginare prohibear, plumâque dumtaxat, aut goſſypio illum ſubmouere iubear? Nugæ. Eiaculatâ tragulâ, intentatâ haſtâ, ſurrectoque conto ad arcendum vulnus, cædemúe omninò opus. Haud ſecus literaria quæuis pugna, calamique in ſui patrocinium concertatio, vbi ei ſua adimis ſpicula, vbi vel leues punctiunculas inuides, vbi ablegatâ dictorum pellaciâ, ſiccæ diſputationis maciem tantummodo, ad Lectorem non ſibi demerendum, ſed alienandum, permittis, planeque imperas, illico flacceſcit, ac eneruatur. Detrahe Apologeticis acumina, detrahe iocos, detrahe ſales, detrahe ſubulas & nouaculas; & vniuerſam illorum vim, & venuſtatem mox languere cernas & conſeneſcere; ac proinde hiſpido incitatoque ſcribendi charactere eiuſmodi Apologetica, quò ſibi conſtent, conſtare neceſſe habent. *Quid enim eſt, quod contra vim*, vt rectè M. Tullius, *a ſine vi fieri poſſit?* & cui non perſpectum, *aſpero, abſciſſoq; caſtigationis genere militarem diſciplinam*, vt præclarè Valerius Maximus, *b* qualis hæc dimicandi obluctandique per editos libellos palæſtra ſine controuerſiâ eſt, *indigere?*

a *Lib.12.Epiſt.3.* b *Lib.2.cap.7.*

Num. 3. *Refranari calumniator, ſine acrimoniâ nequit.*

Quod ſi non ſolùm naturam ipſam actuoſæ defenſionis perpugnacisque refutationis intrinſecus contemplemur, ſed extrinſecus quoque vtriuſque

finem externum reſpiciamus; haud dubium, quia ea ad calumniatoris audaciam, ne iniurijs porrò onerare pergat, refrænandam, potiſſimùm ſit inſtituta. Nam *quia vires armis conſtant*, vt ſapienter ab eodem Valerio monitum legimus, *vbi* hæc *à recto tenore deſciuerunt, oppreſſura ſint, ni opprimantur.* Neque enim ſatis eſt, ſi inflictum ab Aduerſario vulnus appoſito malagmate cures, niſi ei gladium etiam, ne alia queat infligere, eripias, vel è manibus excutias. Ita prorſus non ſufficit acceptam à conuiciatore plagam admoto veritatis cerato valetudini vtcunque reſtituere; ſed opus prætereà eſt, maledici oris vlcus triſtioris propugnationis alexipharmaco perſanare. At quî tandem id concinnetur, niſi ſtylus honeſtâ liberâque indignatione excandeſcat? quî vnquam cicatrices illius coëant, niſi priùs tetricæ, ſcabræque orationis ſcalpellus pus omne extrahat? Quid quod, niſi hic in vulnus prævalidè ac penitùs adigatur, qui mitioris amans patrocinij ferro parcit, dictiſque temperat, immitem obtrectatoris procacitatem, atque intemperantiam alit potiùs, quàm coërcet? Fœdus nimirum maleuolentiæ cancer per improbi Momi ſatyras latiùs quotidie graſſatur, tumida liuoris vomica tetriorem in dies è pectore contumeliarum ſuppurationem fundit, cunctæ animi venæ, ac ſpiramenta odij tabo corrupta, conuiciorum virus ſemper peſtilentius libris inhalant. Si remiſsè agis, ac placidè, lenitatem ipſam veſani homines timiditatis argumentum, mollia verba malæ cauſſæ teſſeram, moderationem calami exprobrati criminis tacitam confeſſionem certò ſibi perſuadent. Quid igitur conſilij cum iſtis efferatis innocentiæ, famæ ac veritatis lanijs ineundum? duro videlicet reſponſionis præfractæ ferro ſauciandi ſunt, ſecandi ſunt, vrendi ſunt. Nec mirum; *Crudelem* quippe *medicum*, vt prudenter obſer-

uat Mimographus, *intemperans æger facit*; itaque vſu comparatum eſt, vt *ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos* (quod à Tacito *a* pulchrè animaduerſum eſt) *niſi per dura, & aſpera coërceas.* Atque adeò fœculenta maledicentiæ ſanies ſeueræ caſtigationis vſtione neceſſariò abolenda. Nam *qui blando verbo non corrigitur* (vt egregiè docet S. Iſidorus *b*) *acriùs neceſſe eſt, arguatur; & cum dolore ſunt abſcindenda, quæ leniter ſanari non poſſunt.*

a *Lib. 3. Annal.* b *De ſummo bono cap. 46.*

Num. 4. *In Apologeticis, ſcapham appellare ſcapham, ipſa materiæ neceſſitas cogit.*

Adde etiam ab iſto contentioſo ſcribendi genere aculeos, muricesque, niſi rerum omnium vocabula peruersè commutare velimus, abeſſe nullo modo poſſe. Quo enim, quæſo, tandem nomine virulenti calumniatoris impudentiam, niſi impudentiam appellemus; quo arrogantiam, niſi arrogantiam; quo fraudes, niſi fraudes; quo inuidentiam, niſi inuidentiam; quo furorem, niſi furorem; quo imperitiam, niſi imperitiam; quo intemperias, niſi intemperias; quo denique reliqua portenta, niſi ſuo quodque colore depingamus: num, vt inſubidæ, præpoſteræque modeſtiæ lauream captemus, lutum vocabimus balſamum? num draconem nuncupabimus ouem: num viperam dicemus columbam? num ineptiam mentiemur elegantiam, mendacium veritatem, calumniam iuſtitiam, improbitatem ſanctimoniam? Faceſſant inſana huiuſmodi monſtra, ſingulaque vitia ſuis lineamentis deſcripta in ſcenam prodeant, ſpinoſisque vocibus, atque horrentibus opprobriorum vrticis pro meritis prolixè vapulent.

Num. 5. *Doctorum ſcitum eſt, acriter refellendas eſſe calumnias.*

Quamobrem Theologorum anteſignanus Aquinas cenſuræ ſeueritatem ac vehementiam in mendacijs calumnijsque refellendis impensè eſſe commendandam, ſapientiſſimè pronuntiauit. *Contentio enim*, quæ cum refutandi, accuſandique munere indiuiduum habet contubernium, *ſi dicatur*, inquit, a *impugnatio falſitatis, cum debito modo acrimoniæ coniuncta, laudabilis eſt.* Hinc alterum Theologiæ lumen eximium, Thomæque geminum, Bonauentura in luculentiſſimo illo ſui Ordinis patrocinio, quod ipſe *Apologiam pauperum*, inſcripſit, ita ſe in manifeſtæ nequitiæ obiurgatione caritatis officium cordi habiturum, vt ex huiuſmet præſcripto potiſſimùm calumniatori nigrum theta acidæ reprehenſionis ſit inuſturus, hiſce verbis exertè in præfatione denuntiat. b *Ne igitur tam pernicioſa labes (non ſine Dei offenſâ, & animarum diſcrimine) diſſimulata concreſcat, præcipuè cum calliditate ſerpentinâ pietatem quandam in ſuperficie præferat* (Gyraldus ſcilicet de Abbatis Villâ, impotens Franciſcanæ familiæ maſtix, in quem purpuratus Doctor calamum ſtringit) *reuelanda eſt facies indumenti eius, vt clarè detectâ foueâ, cautè poſſit euitari ruina. Sanè quia huiuſmodi fabricator erroris, quum adhuc ſit viator, vt credimus, corrigi poteſt per Dei clementiam, ſolicitè pro eo interpellandus eſt Chriſtus, vt ſua vocis virtute, ac ſapientiæ lumine, eius, quam Saulo quondam exhibuerat, miſerationis non immemor, & pro-*

a 2. 2. *quaſt.* 38. *Art.* 1.

b *In Prologo.*

proteruientem deterreat, & ſuperbientem humiliet, & errantem requirat, corrigat, & reducat. Et quoniam meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oſcula; nequaquam peccatorum oleo, adulatione videlicet impinguandum eſt ipſius languidum caput, nec tumidum cordis apoſtema palpandum; quin potiùs procacis hominis erectam ceruicem oportet durâ increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, ſed tranquillæ mentis æmulatoriâ caritate.

§. II.

Hæretici præcipuè piperato ſermonis pharmaco agitandi.

Num, 6. *Styli ſeueritas in Hæreticos maximè exerenda*

Verùm ſi in vllos innocentiæ, ac veritatis oppugnatores ſtyli acrimonia, ac vis promenda eſt, ea profectò in Hæreticos maximè tota quanta quanta eſt, penitùs exerenda. Nam quotuſquiſque eſt, quem fugiat, quàm immanes clades ab hiſce Religionis perduellibus in Chriſtianam Rempublicam veniant? quàm procaces mendaciorum omnium, & calumniarum fabri illi ſint? quàm efferati ad obtrectandum Cerberi? quàm obſcœnæ in alienâ famâ collutulandâ Harpyiæ? quàm impudentes in arrogantiæ, liuoris, odij, ſuperbiæ, vitiorumque omnium ſaganâ faciendâ inſtitores? quàm impotentes, inſolentesque in luxuriantibus nequitiæ ſtolonibus ex ipsâ Catholicorum patientiâ, & manſuetudine propagandis verberones? Quæ igitur flagra, qui ſentes, quæ lora, qui nerui maſtigijs iſtis tam perditis probè vrendis pinſendisque ſufficiant?

quæ

quæ autem honeſtior laudabiliorque prouincia, quàm huiuſmodi beluarum caſtigatio & domitura, ſacro Doctori decerni poteſt? Certè quidem Eccleſia ipſa Chriſti Domini Sponſa D. Hieronymum, quòd è veteribns Patribus id muneris præ cunctis cumulatiſſimè expleuerit, peculiari nobilique elogio decorandum iure meritoque exiſtimauit, inſignitè teſtata, a quòd *Hæreticos acerrimè ſcriptis exagitauerit.*

a *In Officio de* S. *Hieronymo* 30 *Septembris.*

Num. 7. *Lenitas nocet Eccleſiæ, in refellendis hæreticis.*

Contra verò Nazianzenus Gregorius, quanquam in id genus hominum ſceleſtiſſimorum linguam & calamum non ſegniter acuerit; tamen, quum Apollinariſtas ſuâ comitate atque vrbanitate conciliandos ſibi expugnandoſque cenſuiſſet, paulò poſt experimento ipſo didicit, ſuâ ſe opinione deceptum, operam, & oleum lenitatis à ſe perditum; illos verò eiuſmodi indulgentiâ, atque humanitate longè deteriores improbioresq; euaſiſſe, & Eccleſiæ Dei multo grauiora damna importâſſe; quemadmodum idemmet Præſul diſertiſſimus ad Olympium ſcribens, Epiſtolâ 77. ingenuè ita fatetur: *Ego quum omnium maximè Apollinariſtarum cogitationem, impietatemq; perſpectam haberem, nec ferendam eorum amentiam cernerem, exiſtimabam fore, vt lenitate meâ mitiores efficerentur, ac paulatim emollirentur, atque hoc mihi ſæpe fingebam: verùm per imprudentiam & ſceleratiores eos, vt apparet, reddidi, & intempeſtiuâ hac philoſophiâ Eccleſiam detrimento affeci. Neque enim peruerſi homines lenitate, atque humanitate flectuntur.*

Num. 8. *Hæreticos aculeatâ oratione feriendos, oſtendit Pius.*

Quocirca vbi cum infandis huiuſmodi monſtris, & depoſitæ curationis capitibus res geritur, valeat inconſulta lenitudo orationis, vultumque aſperum & caperatum ſermo in loco induat, & quos placido ore dedocere inſaniam fruſtra conatur; aculeatâ diſceptatione reuerentiam veritatis cogat addiſcere. Quâ de re pulcherrimam Alberti Pij Carporum Principis diſſertationem, in quâ Hæreticorum furores atque errores non molli roſâ aut plumâ excipiendos, ſed dentatâ omnino ſtrigili feriendos, detergendosque, Apoſtolorum ac Patrum perſpicuis documentis tradit, huc aduocare operæ pretium puto. Nam in eâ, quam ad Eraſmi Roterodamî priorem Epiſtolam ſcripſit, reſponſione, vbi illum longâ diſputatione etiam atque etiam obiurgauit, quod Lutheri veſaniæ initio non ſe obiecerit, eumque ſuo ingenio, atque eloquentiâ animosè, ac fortiter, vt par erat, minimè repreſſerit; tandem ad tam perniciabile erratum quàm primùm inducendum, ſtylumque pertriſtem in Hæreticum extemplo vibrandum, ſic dubiæ fidei hominem in calce operis præclarè cohortatur. *Iam finem faciam, ſi te priùs comprecatus, & obteſtatus fuero, quod à te, quemadmodum ſuprà dixi, quicunque tibi bene cupiunt, petunt, ne ampliùs moreru, cunctationem omnem abÿcias, omnes rationes negligas, quæ te ab hoc officio diſtinere poſſunt, & cauſſam Catholicæ Eccleſiæ, cauſſam fidei, cauſſam Ieſu Chriſti cunctu reſpectibus præferas, & ſtylum acuas in Lutherum, & digna Eraſmo conſcribas. Non diſſimulanter, non perplexè, non ambiguè, non lubricè, ſed expreſſè, non remiſſè, ſed vehementer, quemadmodum hominu arrogantia, impietas, blaſphemiæ poſtulant. Nam cum Hæreticis non molliter agendum, ſed eos vrgendos,*

&

& ſeuerè increpandos eſſe, priſcorum patrum quamplurimis exemplis edocemur. In primis vas Electionis Paulus, quàm acer & vehemens fuerit in Pſeudoapoſtolos, & erroneam doctrinam prædicantes, eius Epiſtolæ teſtantur, pariter & quorundam aliorum, qui Epiſtolas Canonicas ſcripsêre. Quàm acerbus autem in Corinthum Hæreticum fuerit Apoſtolus, & Euangeliſta Ioannes, narrat Euſebius; ſimiliter & Polycarpus in Marcionem. Athanaſius quoque in Beati Antonij Abbatis vitâ conſcribit, eum in Arianos, & Manichæos vehementiſſimum fuiſſe. Quàm prætereà aperti & ſeueri Hæreticorum caſtigatores fuerint Auguſtinus, Ambroſius, Hilarius, & cæteri tum Græci, tum Latini Sanctiſſimi Doctores Hæreticorum expugnatores, eorum libri, & monumenta declarant. Hæc Princeps ille longè doctiſſimus, atque grauiſſimus; mox etiam egregiè animaduertens, acerbum Hæreticos refellendi modum ab omni immodeſtię atque immoderationis periculo vſque adeò abeſſe, vt potiùs in modeſtiam & pietatem, ne dum in moderationem, non leuiter delinquere iudicet, quicunque illos minùs acriter ſtylo feriunt. Nam quod ipſe in Lutherum meritiſſimo torquet, idem quoque in cæteros etiam Hæreticos illi geminos quadrat aptiſſimè. In illius quippe *mentionem nemo,* inquit, *a poteſt incidere, quin, modò ſit Chriſtianæ Religionis ſtudioſus, excandeſcat, & fræna modeſtiæ relaxet, eius blaſphemiarum, diſſidijq́, quod in Catholicam Eccleſiam excitauit, recordatione; quandoquidem aduersùs tam impium, & mordacem Hæreticum verba temperare, contra omnem modeſtiam, non ſolùm contra pietatem eſſe videtur.* Quæ veritatis exploratiſſimæ lux tam cuique non penitùs etiam cœco conſpicua eſt, vt Scioppij quoque ipſius oculos iam pridem perſtrinxerit, eumq́ue explicatè non tantùm fateri, verùm etiam docere coëgerit, *Hæreticos minimè lenibus, ſed aſperioribus verbis eſ-* *ſe agi-*

a Ibid.

ſe agitandos.a Vt omittam Theologos, quos priùs commemorare debueram, Sotum *lib. 5. de Iuſt. quæſt 9. art. 3.* Valentiam *Tom. 3. diſp. 5. quæſt. 16. punƈto 3.* Filliucium *tom. 2. traƈt. 40. cap. 3. num. 86.* Fragoſum de *Regimine Reipub. par. 1. lib. 7. diſp. 19. num. 20.* & cæteros, qui palàm tradunt, calumnias in Catholicæ fidei damnum publiciúe boni fraudem redundantes omninò repellendas, acriterque percellendas.

a *In Scalig Hypobol. pag. 345.*

§. III.

Compluribus ex ſacro diplomate exemplis vincitur, procaces conuiciorum & calumniarum ſatores abſciſſo refellendi genere eſſe frangendos.

Num. 9. *Auſterum orationis genus in procaces calumniatores vſurpandum.*

Sed quid ego plures rationes, ac teſtimonia ad hanc ſeueritatis in homine ſeu Hæretico, ſeu vtcunque refraƈtario, vel contumelioſo compeſcendo honeſtatem neceſſitatemque probandam conquiro, quum plura, eaque luculentiſſima illuſtrium exempla virorum, non dico, Poëtarum, non Oratorum, non Sophiſtarum, aut Philoſophorum, ſed diuinorum Vatum, ſanƈtorum Apoſtolorum, ipſiusque Chriſti Domini, qui eandem auſteritatis viam in Capitonibus reprehendendis inſtiterunt, præſto ſint? Huiuſmodi morem Apoſtolis ac Patribus in redarguendis Hæreticis ſolemnem fuiſſe, paulò antè, ex Alberto Pio præſertim, indicaui; nunc recitatis inſuper eorundem verbis, tanquam compertis teſſeris in medium allatis,

tis, eundem confirmo, oſtendoque, non in ſolis Hæreticis, ſed in quibuſcunque alijs quoque obtrectatoribus, aut nebulonibus comprimendis illum inualuiſſe.

Num. 10. *Exemplum Heliæ, Ioannis item Iacobi & Ioannis Apoſtolorum.*

Ex Prophetis vnum exhibeo Heliam, ad quem cùm Ochozias impius Rex vnum ex ſuis excubitoribus, quinquaginta ſtipatum militibus legaſſet, mirum, quibus dictionis blanditijs eum exceperit. *Deſcendat*, inquit, *a ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Nec mora, omnes illi cœleſtibus exuſti flammis, in cinerem abierunt. Quid atrocius? At mirificus ille Redemptoris prodromus Ioannes, à veteris legis duriſſimo iugo in mitiſſimam Chriſti Domini diſciplinam traductus, quâ, rogo, verborum lenitate præfractos Iudæorum animos emollire ſtuduit? *b Progenies*, ait, *viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à venturâ irâ?* quid acerbius? Tranſeo ad Apoſtolos, Iacobumque liberè ita increpantem exaudio: *c Adulteri neſcitis, quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei?* quid rigidius? Sed nihilo planè mollius alter Ioannes diuinus Euangelij præco, quum aliquando cœleſti afflatu balineum lauationis gratiâ ingreſſurus eſſet, *d* vbi Cerinthum execrandæ architectum ſectæ ibi tum lauare intellexit; mox Hæreticum colubrum ſummoperè auerſatus, proripiamus nos hinc, exclamat ad comites, abeamus, ne præ iſto veritatis hoſte tecta ruant, noſque eâdem ruinâ inuoluant. Quid acrius?

Num.

a 4. *Reg* 1. b *Matth.* 3. c *Iacob.* 4.
d *Euſebius lib.* 14. *hiſt. cap.* 4.

Num. 11. *Exempla Pauli Apoſtoli, & Polycarpi Epiſcopi.*

Sed fortè Paulus in ſuperno cœli Lyceo diuinitus inſtitutus, placidius aliquid enunciabit. Scilicet Galatas teſtor, nonnullorum perſuaſione deceptos, quos ita duriter perſtringit. *a O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit, non obedire veritati? ſic ſtulti eſtis, vt quum ſpiritu cœperitis, carne conſummemini?* quàm dilucidè? quàm aſperè? Haud ſecus & *b Cretenſes ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros* appellat, exotico prorſus ſermonis illicio. Elymam quoque Magum pari comitatis exemplo *c plenum omni dolo, & omni fallaciâ, filium diaboli, inimicum omnis iuſtitiæ* nuncupat. Quid quod idem Apoſtolus loquendi, & ſcribendi cenſor maximus, alijs quoque auctor eſt, vt rebellis ceruicis homines, vel procacioris linguæ, ſeuerè caſtigent? Nonne ad Titum Antiſtitem ſcribens, admonensque, *d Multos eſſe etiam inobedientes, vaniloquos, & ſeductores*; illico ſubdit: *increpa illos durè, vt ſani ſint*: quaſi innuens id genus hominum, quò bonam ad frugem reuocetur, non ſuauiter deliniendum, ſed mordaci aceto perfundendum: præſertim quòd hoc loco Paulus pro *durè* Græcè dixit ἀποτόμως, hoc eſt *ad viuum*: ita nimirum ſignificans, quemadmodum mortua, & putreſcens caro ad viuum reſecatur; ſic grauia peruerſarum mentium vlcera non molli inungenda oleo, ſed inclementi obiurgationis ſcalpello altiusque immiſſo penitùs exſecanda? Quo ſpiritu imbutus etiam Polycarpus Pontifex, quum ei obuiam fortuitò Marcion Hæreticus Romæ factus, dixiſſet; *Cognoſcis*

a *Galat.* 3. b *Tit.* 1. c *Actor.* 13. d *Tit.* 1.

Cognoſcis nos? ſtatim, D. Hieronymo teſte, *a* reſpondit, *Cognoſco primogenitum diaboli.*

a *De Scriptor. Eccleſ. in Polycarpo.*

Num. 12. *Exempla Chriſti Domini.*

At quid ego Heliam, quid Iacobum, quid Ioannem, ant Paulum cieo? quid Prophetas, aut Apoſtolos, vel Apoſtolicos viros loquor? Ipſe ipſe Chriſtus Dominus Prophetarum, & Apoſtolorum caput, *a* ipſe, qui beatos mites, qui felices miſericordes, qui fortunatos pacificos prædicat; ipſe, qui ſummam abſolutiſſimamque lenitatis, & manſuetudinis Regulam magiſteriumque profitetur. *Diſcite à me*, inquit, *b quia mitis ſum, & humilis corde*; nihilominùs Iudæos ac Phariſæos, quibuſcum diſputat, homines inuerecundos, perfrictique oris, verbis infeſtiſſimis percellit, iamque *hypocritas*; *c* modò *duces cæcorum*; nunc *plenos rapinâ*; aliquando *filios Gehennæ*; ſubinde *occiſores Prophetarum*; interdum *ſepulchra dealbata plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ*; identidem *filios homicidarum*; aliàs *ſerpentes, & genimina viperarum*; *d* nonnunquam *generationem prauam atque adulteram*; interim *oſores Dei*; denique *ex patre diabolo natos*, non minùs acriter, quàm iuſtè vocat; ſingulari prorſus acerbitatis in flagitioſis robuſtæ inueteratæque improbitatis hominibus obiurgandis exemplo, ac documento.

a *Matth.5.* b *Matth.11.* c *Matth.23.*
d *Matth.12. Ioan.15. Ioan.8.*

§. IV.

§. IV.

Vindiciæ innocentiæ, ac veritatis triſtioribus veterum Patrum chirographis aduerſùs Ethnicos atque Hæreticos obſignatæ.

Num. 13. *Exemplum veterum Patrum.*

Verùm à Chriſto Domino, ab eius Præcurſore, ab Apoſtolis, & Prophetis ad Catholicæ Patricios Eccleſiæ, ad priſcos illos humani diuiniíque iuris conſultiſſimos Patres, proximo gradu deſcendamus, & quam ipſi normam in faſtoſis, ſuiíque opinione inflatis animis caſtigandis ſecuti fuerint, non oſcitanter inueſtigemus. At quid fruſtra molimur? quid denſam, longamque ſiluam labore ſuperuacuo ingredimur? quis tandem exitus, ſi magna illa lumina, etſi non omnia, ſed pleraque dumtaxat huc arceſſantur, reperiatur? quàm monſtroſè libellus iſte in multa & grandia volumina otioſè hîc coaceruata, cum Lectoris fraude, ac tædio neceſſariò producendus foret? Ergo ne tam inconditè ineptiamus; certi moderationis fines nobis omnino circumſcribendi ſunt, atque ex tanto monumentorum cumulo nonnulla tantummodò in rem præſentem aduocanda; neque tamen hæc quoque integra penitùs, ne eidem penè ſcopulo adhæreſcamus, hoc loco referenda, ſed carptim ſolùm, parceque libanda: quanquam neque ita ieiunè, ſtrictimque, quin ſpecimen etiam reliquorum minimè dubium palato cuiuis non inerti ex his commodè in promptu ſit.

Nnm.14. *S. Cypriani Stylus auſterus in Ethnicum.*

Poſſem verò in primis hîc longo ordine maiora, ac diriora eloquentiæ tormenta, quæ viri ſapientiſſimi Iuſtinus Martyr, Lactantius Firmianus, Minutius Felix, Septimius Tertullianus, Arnobius, Athenagoras, Theophilus, aliíque complures in Ethnicos homines idolorum inani ſuperſtitione dudum occupatos olim grauiſſimè exenterârunt, nullo negotio recenſere. Sed vicem omnium facilè vnus Cyprianus diſertiſſimus, vel breuiſſimo tractu ſermonis nobis prçſtabit. Quàm echinatâ enim facundiâ Demetriano Africæ Proconſuli bella, famem peſtemque, quibus malis terrarum Orbis tum vexabatur, Chriſtianis ad conflandum inuidiam temerè adſcribenti, crucem figit? *Non enim*, inquit, *ſicut tua falſa querimonia, & imperitia veritatis ignara iactat, & clamitat, iſta accidunt, quòd dij veſtri à nobis non colantur, ſed quòd à vobis non colatur Deus.* Quam veritatem vbi pluribus diuinus Orator amplificauit; ſpicula liberrimæ exprobrationis in ipſiuſmet Proconſulis caput actutum ſic torquet fortiſſimè. *Qui alios iudicas, aliquandò eſto & tui iudex, conſcientiæ tuæ latebras intuere; imò (quia nullus iam delinquendi vel pudor eſt, & ſic peccatur, quaſi magis per ipſa peccata placeatur) qui perſpicuus, & nudus à cunctis videris, & ipſe te reſpice. Aut enim ſuperbiâ inflatus es, aut auaritiâ rapax, aut iracundiâ ſæuus, aut aleâ prodigus, aut vinolentiâ temulentus, aut liuore liuidus, aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus; & miraris in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cùm creſcat quotidie quod puniatur?* Tum infra. *Satis non eſt, quod ipſe tu Deum non colis, adhuc inſuper eos, qui colunt, ſacrilegâ infeſtatione perſequeris. Deum nec colis, nec coli omninò permittis; & quum cæteri, qui non tantùm iſta*

inepta

inepta idola, & manu hominis facta ſimulacra, ſed & portenta quædam, & monſtra venerantur, tibi placeant; ſolus diſplicet Dei cultor. An hæc aliaque eiuſdem tenoris permulta in virum totius Africæ principem animosè iacta, Atticæ vniuerſæ melle dulciora ſunt? Imò verò fel merum longeque teterrimum, ſed væſani tenebrionis ori quàm maximè neceſſarium egregiè propinant.

Num. 15. *Origenes auſterus in Celſum.*

Inſaniam pariter decumanam Celſus, neſcio quis, de Epicureorum grege Philoſophus, in Chriſtianam religionem quondam inſanijt. Sed paulò pòſt ab Origene Adamantio, acido octo librorum Apologeticorum helleboro appotus probè, eam diluere coactus eſt. Num vel pauculas medicatæ illius potionis guttulas de calami, vt ita dicam, gutto hîc reguſtare lubet? Sic opinor. Lege ſis, quæ in ipsâ operis præfatione audaciſſimo Sophiſtæ ſtatim ingerit. Quantâ cum illis deſpicientiâ, *Ipſe verò meliore*, inquit, *conditione futurum exiſtimauerim, qui Celſi dicta, perinde vana, ac animalia ita contempſerit, vt nihil omnino ducat his reſpondendum? Quid enim poteſt aduersùm nos ille afferre, quod non ineptum, inualidum, & falſum eſſe coarguatur? præſertim quum deliramenta quædam inducat nec ratione ſubnixa, nec prudenti ſaltem homine digna.* Audi quanto cum eiuſdem probro palàm denunciet; a *Coarguendum eſſe Celſum vanitatis, & inconſtantiæ, vt qui ſibimet denique aduerſetur, & temerè multa effundat, vt criminari nos queat, & ſui animi malignitatem explere, quandoquidem alijs eius ex ſcriptis deprehendatur Epicureus eſſe, nunc verò, vt iuſtius videatur Chriſtianam doctrinam calumniari, nil prorſus, quæ Epicurei ſunt, profitetur.* Vide quanto cum

a *Lib.* 1.

to cum ſtomacho rabidi rabulæ rabiem coërceat, *a* nunc illius *inſolentiam, qui in Ieſum Prophetasq; ſtolidè intumeſcat*, explodens, nunc mendacia ſugillans, nunc calumnias reuincens, nunc audaciam refrænans, nunc alia ſcelera criminans.

a *Lib.5.*

Num. 16. *D. Baſilius Auſterus in Eunomium Hæreticum.*

Sed quàm iuſtè ſanctèque in ſtatuarum dæmonumque cultores Ethnicos antiqui excanduerint Patres, mitto iam vltra diſquirere; malimque modò reſciſcere, quâ lenitatis roſâ, tanquam culcitâ, quàm delicatâ, quàm molli refractarios Hæreticos ijdem exceperint. Id verò me, atque alios Baſilius ille magnus, de quo ſuprà mihi ſermo tam multus, cumulatè vtique condocebit. Quis enim eo in modeſtiæ omnibus articulis dinumerandis ſollertior? quis in pudoris officijs ad vnguem perſoluendis magis ſatagens? nihilominùs moderationis exemplar tam inſigne, quantâ orationis aſpredine Eunomium impudenter impudentem perfricat? *a* nónne illum *è rebus ſibiipſi turpiſſimis factum illuſtriorem, blaſphemiam prædicare auſum, hæreſis principem, ac defenſorem appellari voluiſſe* commemorat? nónne *multis* inquinatum *vitijs, mendacio, contumeliâ, ſimulatione, blaſphemiâ,* atque *ignorantiâ* ſignificat? nónne indignabundus exclamat? *O contumaciam hominis! quæ tanta eſt ſuperbia, quam iſta non excedit orationis elatio? Quomodo non furere te perſpicimus, ſi propriam cuique nominum poteſtatem ineſſe non putas?* Quàm adducto ſupercilio mendacij inſimulat? *b Quomodo aliquis faciliùs hoc homine mentietur?* Quàm caperatâ fronte impietatis arceſſit? *Videte, ac intelligite impietatem*

a *Lib. 1. aduerſus Eunomium.* b *Lib. 2.*

pietatem horribilem. Quàm validâ manu impudentiam nebulonis flagellat? a *Dicamus igitur ipſi ad hac, illa prophetica quòd frons meretricis facta eſt tibi, impudens facta es erga omnes. Illa namque ſua probra pudice viuentibus ingerunt: & hic eos, qui maieſtatem vnigeniti magnificare cupiunt, amentes, & ad impietatem audaces vocat.* Quanto ardore animi in impia atque infanda veteratoris nequiſſimi maledicta inuehitur? b *O impudentem blaſphemiam! ô abditam fraudem! ô multiplicem malitiam! quàm exactè ex ipſo diaboli artificio loquitur? An peiorem vnquam audiſtis blaſphemiam? Num aliquis ita perſpicuè in crimen ineuitabile blaſphemando in Spiritum ſanctum incidit?* Quo lixiuiæ genere ſanè præferuido malè ſanum illud caput integris quinque libris vir ſanctimoniæ prærogatiuâ ſummè admirandus, non tam abluit, quàm vrit.

a *Lib.* 1. b *Lib.* 2.

Num. 17. *Cyrillus Alex. Auſterus in Neſtorium.*

An verò Cyrillus Alexandrinus, doctrinæ ac virtute coronâ laureatus, quicquam mitius aut blandius, in Neſtorium Hæreticum ſonat? ſcilicet. Spinoſam enimuerò Apologiam horridis è ſentibus totam aduersùs illam furiam contexit, atque ad Theodoſium Imperatorem deſtinat, in quâ eandem ipſam furiam hydramque clauâ pluſquam Herculeâ ſic mactat. *Electus erat velut ouis, ſed inuentus eſt lupus: velut fidelis ac ſyncerus famulus, ſed dilexit contrarium: velut vuarum ferax vinea, ſed protulit ſpinas, ſicut ſcriptum eſt: velut induſtrius agricola, ſed inſidiatus eſt agro: velut bonus paſtor, ſed feris agreſtibus factus eſt immanior. Deinde neſcio quo modo prauis opinionibus laborans, admonitus eſt ſæpenumero, idq; à multis. Num igitur per admonitiones eſt*

emendatus? Num conſilia in melius mutauit? Num boni aliquid animo concepit? Num mendacium odio proſequutus eſt? Num veritatem dilexit? Num inſcitiæ caliginem eſt aſpernatus? Num lucem quæſiuit? Num nugari aduersus Deum deſijt? Nec minus ſinapis in illis: *Peiora adiecit, ac turpiora nugatus, contraq; Seruatoris noſtri gloriam eſt auſus, paruipendens omninò, imò prorſus nihili, commiſſum in ipſum blaſphemiæ crimen. Superat autem quamuis inquinationem blaſphemia contra Chriſtum ad calumniam probata. Sed, vt iam dixi, præcepiſtis Sacerdotibus, ac præpurgarunt vobis templum, ſanctificaueruntq; illud, imperitam, & impiam compeſcentes linguam.* Neque ſuauiora iſta; *Iam enim ferè triennio nouorum dogmatum inuentor Neſtorius blaſphemias ſuas coràm Eccleſiâ euomit.*

Num. 18. *In Ioannem Antiochenum quoque acriter ſcribit Cyrillus.*

Quanto pariter impetu idem Antiſtes ſanctiſſimus in Ioannem Antiochenæ Præſulem Eccleſiæ, Neſtorijque patronum atque fautorem ſtomachum erumpit? *Ioannes verò Antiochenæ Eccleſiæ præſulatum ſortitus, negligens quidem eſt, ſegnis ac patiens, vbi Chriſtus iniuriâ afficitur: acer verò, & auerſator malorum, vbi nugarum condemnatur is, qui illas contra Chriſtum euomit: iraq; indulgens potius, quàm ſobriæ rationi dominatum permittens, quum vix iam curru deſilijſſet, cubiculumq; ingreſſus, eſſet adhuc purulentus, ſententiam putidam & ſtultam cum ijs tulit, quos conſentientes habebat. Erant autem viri agreſtes, & Celeſtiani, depoſiti, & qui Neſtorij dementiam tuebantur, ex vehementi ſtupiditate in blaſphemia contra Chriſtum culpâ cum illo communicabant. Me verò, & Epheſiorum Sacerdotem grauiori contumeliâ inuoluit, mentiens ac dicens, quod cum impio Apollinario ſen-*

tiamus,

tiamus, Arrijq́, & Eunomij friuola, & impia dogmata approbemus. Fecit autem hoc, vt dixi, omnia mouens, & concutiens indomitis iræ impulſibus, ac veluti omnibus habenis impijs furoris, & arrogantiæ motibus permiſſis. Quantum item aceti in his? *Primùm enim ſuperciliosſus, & arrogans deprehendetur, quotquot per vniuerſum Orbem ſunt, ſanctos Sacerdotes & contumeliâ inuoluens, & eâdem virgâ feriens. Ipſe verò in eam prolapſus eſt inſolentiam, imò magis timiditatem, ac deſperationem, vt aduentum ſuum ad nos neglexerit. Quod autem animus illius ad arrogantiam, & contumeliam ſit infrenis, etiam aliunde facilè videre eſt. Quum neque temeritatem ſuam tueri auſus ſit, impia tamen ſententiâ ſuâ contumeliam intulit.* Quos autem aculeos paulò pòſt in eundem perduellem non excutit? *Sed eſto forſan offenſus eſt. Debebátne ob eam cauſſam diuinas negligere leges, Deiq́ obliuiſci dicentis: Inſontem, ac iuſtum ne occidas? Debebátne condemnare eos, qui de nulla dum abſurditate conuicti ſunt? Debebátne fratres gladio impietatis conficere? Eccleſiaſticas leges contemnere? calumniari? mentiri? idq́ in pientiſſimis veſtris auribus? Debebátne nihili facere rectitudinem fidei, eoq́ animo eſſe, vt inculpatum habeat neminem, & intereà patrocinium ei largiri, qui contra Chriſtum blaſphemias effudit, atque hoc quærere, vt mendacium erigatur, veritas verò ſubuertatur?* Parúmne id? Mox apertè fert ſe expetijſſe, *vt coram vobis contra ipſum Antiochenum Epiſcopum iure agerem, oſtenderemq́ eum ſycophantam egiſſe, & iniquè inſaniuiſſe, impotentibusq́ furijs eſſe ſuperatum, propterea quod capita blaſphemiarum Neſtorij anathematizaui.*

Num. 19. *Hilarius in Conſtantium acer.*

Sed aut ego vehementer fallor, aut certè ſtylum multò hilariorem in Conſtantium Auguſtum,

tantæ dignitatis reuerentiâ territus Hilarius, Pictauorum Epiſcopus, conformabit. hilariorem autem! fallor omninò. Longè ſeueriſſimum quippe, duriſſimumque vir ſapientiâ, morumque integritate florentiſſimus in illum Hæreticorum Mecœnatem exacuit. Prô quanto niſu hæc in eum eiaculatur! a *Nunc pugnamus contra perſequutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat: non proſcribit ad vitam, ſed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſeruitutem: non latera vexat, ſed cor occupat: non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, ſed gehennam priuatim accendit: non contendit, ne vincatur, ſed adulatur, vt dominetur. Chriſtum confitetur, vt neget: vnitatem procurat, ne pax ſit: hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint: Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint: Eccleſiæ tecta ſtruit, vt fidem deſtruat. Te in verbis, te in ore circumfert, & omnia omninò agit, ne tu vt Deus, ita Pater eſſe credaris.* Sed paulò infrà multò adhuc atrociùs. *Chriſtianum te mentiris, Chriſti nouus hoſtis es, Antichriſtum præuenis, & arcanorum myſteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem viuens: doctor prophanorum es, indoctus piorum: Epiſcopatus tuis donas: bonos malis demutas: Sacerdotes cuſtodia mandas, exercitus tuos ad terrorem Eccleſiæ diſponis: ſynodos contrahis, & occidentalium fidem ad impietatem compellis: concluſos vrbe vnà minis terres, fame debilitas, hieme conficis, diſſimulatione deprauas. Orientales autem diſſenſiones artifex nutris, blandos elicis, fautores inſtigas, veterum turbator es, prophanus nouorum es. Omnia ſæuiſſima ſine inuidia glorioſarum mortium peragis. Nouo inauditoq; ingenij triumpho de diabolo vincis, & ſine martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus. At tu omnium crudeli-*

a *Lib. contra Conſtantium Auguſtum.*

crudelitatum crudeliſsime damno maiore in nos, & veniâ minore deſæuis, ſubrepis nomine blandienti, occidis ſpecie Religionis. Impietatem peragis, Chriſti fidem Chriſti mendax prædicator extinguis. Sceleſtiſsime mortalium omnia perſecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confeſsione martyrium.

Num. 20 *Demonſtratur vlterius acrimonia Hilarij in Conſtantium.*

Quæ ſi cui nondum ſatis acria videntur; is quæ paulò pòſt idem Doctor ſanctiſſimus, ac patientiæ alioqui indefatigatæ laude glorioſiſſimus, confragoſa admodum, & prærupta adijcit, diligenter attendat. *Veſtem ouis tua, lupe rapax,* inquit, *cernimus, auro Reipublicæ Sanctum Dei honoras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris. Oſculo Sacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus: caput benedictioni ſubmittis, vt fidem calces: conuiuio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egreſſus es: cenſum capitis remittis, quem Chriſtus, ne ſcandalo eſſet, exoluit: vectigalia Cæſar donas, vt ad negotiationem Chriſtianos inuites: quæ tua ſunt, relaxas, vt quæ Dei ſunt, amittantur. Hæc tua, falſa ouis indumenta ſunt.* Quid illa, quæ protinùs ſubijcit eodem loco, an mulſum redolent, vel abſinthium? *Leuiùs te putas, ſceleſte, Iudæorum impietate peccaſſe? Effuderunt quidem illi Zachariæ ſanguinem, ſed quantum in te eſt, concorporatos Chriſto à Chriſto diſcidiſti. Hæc, Conſtantine ſi ego mentior, ouis es: ſi verò tu peragis, Antichriſtus es. Comminatus & populo per præfectum, & Epiſcopis intra palatium, per maximas Orientis ciuitates Hæreticos Epiſcopos ſubrogatos communione hæreticâ muniuit. Nihil prorſus egit aliud, quàm vt Orbem terrarum, pro quo Chriſtus paſſus eſt, diabolo condonaret.*

Num 21. *Athanaſius in Arrianos acriter pugnat.*

At enim quamdiu ego ampliſſimum Athanaſium Alexandrinæ Patrem Eccleſiæ, egregium Paſtorem animarum, Catholicæque rei robur arcemque diſſimulo? quamdiu illum tot exilijs pro Chriſtianæ religione inclytum, tot vigilijs pro veritatis patrocinio euigilatis exercitum, tot laboribus pro ſalute gregis ſui exantlatis innutritum, tot inexpugnabilis tolerantiæ exemplis ac victorijs celebrem differo? Quantam Deus immortalis, quantam impreſſionem vir ille modeſtiſſimi licet ingenij pietatisque exquiſitiſſimæ in Leontium Antiochenum, in Narciſſon Neropolitanum, in Georgium Laodicenſem, cæterosque iſtorum congerrones Arrianos facit? quâ ſententiarum grandine haſce viperas aſpidesque lethiferas in eâ, quam de fugâ ſuâ conſcripſit, Apologiâ penitùs obterit? quantâ animi præſentiâ, temeritatis, imperitiæ, ac furoris notas inurit? Audi. *Non tantâ temeritate ſcripturis refragarentur. Quem prætextum ſua temeritatis reperire poſſunt? Si enim illis timiditatem exprobrent, furunt. Sufficit mihi, quòd nihil ſecundùm Euangelium ſapiant, aut faciant, ſed pro libidine ſua id opinentur, quod velint. Iſti non videntur minorem, quàm illi, pœnam accepiſſe, nimirum bruta ſua vacordia ignorantiam. Neque eſt alia in illis ſcientia niſi maleſaciendi, & in dies peiora committiſcuntur.* Quantâ vi mendacij probrum impingit? Audi. *Ad conuicia igitur eorum, & calumnias non quippiam aliud aduersùs eos dicam, niſi Apoſtoli verbum, mendacium eſſe ex diabolo, & conuiciatores regnum Dei non poſſeſſuros eſſe.* Quâ calami libertate crudelitatis infamiam obiectat? Audi. *Quis igitur locus reliquus, qui non ipſorum ſæuitia monumenta poſſideat? Ipſorum opera declarant, oſtenduntque eorum animos*

animos feris efferatiores, & Babylonijs crudeliores eſſe. Vis modò cum immanitate tyrannidem impietatemque coniunctam? Eccillam. *En tibi impiorum audaciam, qui poſt tanta facinora ſine pudore prioris in me tyrannidis, hoc etiam pro crimine obijciunt, quod me ſubtraxerim eorum parricidalibus manibus. Qui mentem perdiderunt, impetu ad perſequendum rapiuntur, & in quærendo ad necem, ſuam impietatem non animaduertunt: Iudæorum Dominicidarum prauitatem nempe æmulantes.* An cum impietate hæreſim, inſaniam blaſphemiamque copulata quæris? Præſto ſunt. *Eo quod ab eorum impietate diſſenſimus ſemper, & perpetuò diſſenſuri ſumus, eorum hæreſim conuictam argumentis traducentes. Vereor, ne iſti non intra conuicia hominum, ſuam exprobrandi libidinem ſiſtant, ſed vlteriùs inſaniá ſuá euecti, etiam Domino Deo timiditatem obijciant. Domini enim verba vitam æternam habent: quæ autem ab iſtis proferuntur, dolis, & ſanguine plena ſunt. Et hæc quidem ſatis magna ſunt, quæ eorum inſaniam ſubruant, & declarent eos nihil aliud ſtudere, quàm id ſolùm, vt conuicijs, & blaſphemijs debacchentur.* Quibus conſequens eſt, vt ex dæmone flagitioſiſſimi huiuſmodi natrices proſeminati videantur, quod diuinus Antiſtes minimè tacuit, *Quia ipſi ſecundùm ſuum patrem diabolum mollibus ſermocinatiunculis ſe fucant.*

Num. 22. *Auſterus Athanaſij ſtylus in Hæreticos, adhuc copioſiùs ante oculos ponitur.*

Sed áge, quæ denique ſummâ cum iſtorum ignominiâ idem inuictiſſimus Præſul abſciſſo orationis genere monumentis ſub Apologiæ finem conſignauit, intentis oculis contemplemur. *Iſti, ut apparet*, inquit, *nullum audaciæ genus, quantumcunque illicitum, intactum, inauſumque relinquunt, nihilque*

hilq́; eorum omittent in quibus malitiam ſuam oſtende- re poſſunt, vt vita eorum cum ſententijs verbiſq́; probè congruat. Neque ſi ipſis ſua tanta taliaq́; facinora obieceris, pudeſiunt. Leontius enim accuſatus de commercio cuiuſdam iuuenculæ mulieris, iuſſuſq́; proinde ab Euſtatio, vt ab eius contubernio abſtineret, ſeipſum caſtrandum dedit, quo ita liberè eius commercio vti poſſet: neque tamen vel ita ſuſpicionem abluere potuit, quo minùs, quum presbyter eſſet, deponeretur. Narciſſus verò præter alia multa vitia, quibus in quinatiſſimus eſt, iam tertio ab ordine ſuo reiectus eſt. Georgius, & ipſe quoque presbyter à ſuo ordine ſummotus fuit, nec profuit ei, quod ſe Epiſcopum nominârat, quo minùs Sardicæ in magno Concilio deponeretur. Habet ille & hoc iam vitijs ſuis auctarium, quod quum nepotanter viuat, nec diſſimulare queat, etiam apud ſuos infamiâ laboret. Singuli igitur ſingulis vitijs excellunt, vna tamen omnibus in genere, & communis macula eſt, quòd pro hæreſi ſuâ, belloq́; in Chriſtum, non Chriſtiani ampliùs, ſed Arriani appellentur. Quum igitur hoc ſint animo, & profeſſione, & innumeris, teterrimiſq́; vitijs ſcateant, quid miri eſt, aut inexpectati, ſi eos, qui in eorum ſententiam non concedunt, neque Arrianam hæreſim plauſibus proſequuntur, ad necem quærant? Hæc, & plura alia tum in eâdem Apologiâ, tum in Epiſtolâ *ad Orthodoxos in perſecutione*, in Arrianorum Hęreticorum deteſtationem Athanaſius acerbiſſimè, ſed meritiſſimò.

Num. 23. *Gregorius Nazianzenus in Iulianum acriter ſcribit.*

Verùm enimuerò Gregorius Nazianzenus, Sol ille Græciæ, ſapientiæ ac ſanctimoniæ radijs vndique coruſcans, tantam acerbitatem (ille nempe, qui nimiæ erga *Apollinariſtas* comitatis reum, vt ſupra vidimus, vltro ſe prodit) haud parum credo,

do, leniet ac temperabit. Fabulæ. Non tam crebris ſanè ignibus æther ipſe micat, quàm frequentibus incenſæ orationis, & quidem non vnius, ſed geminæ, fulgetris eloquentiſſimus ille Patriarcha Iulianum Imperatorem, eiuratæ Catholicæ Religionis propudio fœdatum inuadit, ac ſternit. Quantâ enim mole ſtatim ipſo dicendi initio eum obruit? *Tyrannus extinctus atque oppreſſus eſt,* inquit, *a non Seon ille Rex Amorrhæorum, neque Og rex Baſan, principes exigui, atque Iſraëlem, hoc eſt, paruam Orbis partem vexantes: verùm draco ille, apoſtata ille, magna illa mens. Aſſyrius ille, ille communis omnium inimicus atque hoſtis, cum multo furore in terrâ debacchatus, & comminatus, tum multam iniquitatem in Excelſum locutus, atque meditatus.* Quid illa, quæ deinceps addit? *Nobiliſſimum ſe ex impietate reddidit, nouoq; modo cum eo, à quo Imperator creatus fuerat, certauit. Nam quum illum virtute rebusq; præclaris ſuperare non poſſet, contrario modo ſibi nominis ſplendorem conciliare obnixus eſt, nimirum per profuſam, & effrenatam impietatem, peruicaxq; vitij ſtudium.* Quid illa? *Quò tum impietatis, tum furoris progreditur? O miram illius animæ vaſaniam! Quodnam hoc pertinax mali ſtudium! Qui tantus impietatis amor? Quis tam effuſus ad exitium curſus? Vnde tam infeſtus Chriſti hoſtis, qui ſe Chriſti diſcipulum profeſſus fuerat? Vix enim imperij hæreditatem adire cœperat, quum impietatem palàm libereq; profitetur, perinde, atque hoc quoque nomine erubeſcens, quòd Chriſtianus aliquando fuiſſet.* Quid illa? *Homo ſtultiſſime, & impiiſſime, & in magnis rebus imperitiſſime, túne aduersùs Chriſti ſacrificium cum tuis piaculis, & execrationibus? Túne aduersùs eum cruorem, quo mundus purgatus eſt, cum tuis cruoribus? Túne bellum aduersùs pacem ſuſpicere? Túne manum aduersùs eam tollere, quæ & pro te, & propter te clauis transfixa*

a *Orat. 47. in Iulianum 1.*

fixa eſt? Tune aduersùs fel guſtum tuum? aduersùs crucem trophæum? aduersùs mortem oppreſſionem? aduersus reſurrectionem inſurrectionem & rebellionem? aduersùs martyrem ne martyres quidem? poſt Herodem perſecutor, & poſt Iudam proditor (niſi quod nequaquàm laqueo, vt ille, pœnitentis animi ſigna edidiſti) & poſt Pilatum Chriſticida, & poſt Iudæos Dei hoſtis. Sed quo tendimus? ſi cuncta, quæ hoc eodem exemplo vir conſummatæ doctrinæ, & virtutis, in ſæuam illam excetram congerit, perſequamur: vtraque ea oratio in ipſam illam edita, hîc nobis neceſſariò iuxta atque intempeſtiuè tota regerenda eſt. Sed fruſtra.

Num. 24. *Aliorum quoque Patrum in malos acrimonia.*

Haud ſecus quoque & plurimæ aliæ, aſperioris obiurgationis, ac refutationis formulæ, tabulæque tum ex Tertulliano aduersùs Marcionem, tum ex Paulino *a* in Elipandum, tum ex Ionâ in Claudium, tum ex Petro Damiano *b* in Cadaloum Pſeudopontificem, tum ex cæteris Sanctioribus Doctoribus in Chriſtianæ Religionis transfugas vel corruptores in hanc diſceptationem cogi nullo negotio poſſent. Sed quæ hactenus ad ſpecimen à me ſunt recitatæ, ſat locupletem fidem faciunt, veteres Eccleſiæ Patres in Hæreticis caſtigandis repellendiſque auſteros valde ac vehementes, quemadmodum à Carpenſi Principe Alberto Pio animaduerſum ſupra indicaui, extra omnem controuerſiam fuiſſe, quod mihi hoc loco docendum initio ſumpſeram.

a *Tom. 4. Biblioth. PP.*
b *Lib. 1. Epiſt. 12.*

§ V.

§. V.

Alia vehementis, incitatiq́ue Spiritus Apologetica à Sanctis Patribus aduersùs detractores, & calumniatores è cœtu Catholicorum literis conſignata.

Num. 25. *In procaces Catholicos calumniatores; acerbus ſtylus exerendus.*

At neſcio quis, calamum mihi in præſens ſufflaminat, amiceq́ue aurem peruellens, haud mirum, ait, ſi Hæretici duro fuſtuario ab antiquis Patribus vapulent, pulſenturq́ue. Quum enim bipedum flagitioſiſſimi, atque impudentiſſimi, illi ſint, meritas eos luere ex parte pœnas, fas iusq́ue eſſe, habereq́ue ſibi, & veſci, quam ſibi teterrimi intritam veneni tam pertinaci nequitiâ intriuerunt; dignum eſſe patellâ operculum, & elephantino improbitatis, quo circumtecti ſunt corio, dentatam vtique ſtrigilem eſſe pernecesſariam; tum maſtigijs tam effrænibus lora nonniſi probè neruoſa, atque echinata congruere; cæterum Catholicorum hominum etſi licentiùs inſanientium longè diuerſam eſſe rationem, multoq́ue aliter eiuſdem ſacramenti conſortes, leniter nempe atque pacatè eſſe tractandos. Ne plura. Terriculamentum ingens. Scilicet. Fulgura ex vitro. quaſi verò in Chriſtianâ Repub. deſint fraudes, calumniæ, doli, ſacrilegia, cædes, ſcelera multijuga, quæ ſcutica & laqueo plectenda ſint, ne dum ſpinoſo ſtylo: quaſi verò nullus inter Catholicos cancer ſerpat, qui ſcalpellum requirat: quaſi verò quotquot Chriſtum in Eccleſiâ profitentur, ab omni labe integri, cenſuræ

omnis immunes ſint. Lepida nugonum commenta. Imò ſi nobiſmetipſis ſuppalpari volupe non eſt, quemadmodum flagitium Virginis, olim pudicæ, longè turpius eſt, quàm ſcorti, proſtratæ dudum pudicitiæ vulgatiq́ue corporis; ita qui incorruptam Chriſti fidem ſequioribus dictis vel factis dehoneſtant, virgineamq́ue ſacri fontis gratiam delictis polluũt, multò fœdiore ignominiâ, quàm Hæretici, qui fidem ſuam ſcelerum omnium concubinam faciunt, publicantq́ue, ſapientum omnium ſuffragijs notantur, ac proinde multò etiam hinc vberiorem virgindemiam merentur: quanquàm aliàs eo minùs nocentes, minusq́ue pœnæ obnoxij, quod ipſi diuinæ fidei iniurij minimè ſunt.

Num. 26. *Exemplum S. Athanaſij.*

Verùm quid argumentis opus, ad id ſuadendum, quum tot Patrum grauiſſimorum, qui contumaces, petulcosq́ue è Catholico grege homines ſeuerâ admodum oratione feriunt, exempla ſuppetant? Prodeat in arenam omnium primus, Antiſtitum ſpectatiſſimus Athanaſius, iam anteà laudatus, qui quum ſe ad Conſtantium Auguſtum, quòd ápud eiuſdem fratrem Conſtantem maledicta in illum congeſſiſſet, per calumniam delatum inaudijſſet; Apologiam extemplo ad eundem Conſtantium adornauit, in quâ eiuſmodi fraudis auctores, non veluti hæreſis manifeſtos, ſed tanquam calumniatores, afflictorumq́ue ſibi criminum architectos acerrimâ ſermocinatione percellit. Quæ enim iuſtiſſimæ indignationis ſtricturæ ex igneſcente viri fortiſſimi calamo non diſſiliunt? *Perſpicit*, inquit, *a tua pietas, aduerſarios noſtros calumniatores eſſe.* Rurſum: *Nec vnquam fratri tuo ſcripſi, niſi vbi Euſebiani calumnioſas de me literas*

a *In Apologia ad Conſtan.*

literas ad eum miſiſſent. Iterum: *Magnitudo calumniæ ſenſus meos obſtupefacit.* Mox calumnijs mendacia, tanquam gemina, eodemq́ edita malo coruo ſuccenturiat. *Sæpe mecum perpendi, an credibile eſſet; quenquam ita inſanire, vt talia mentiri non vereretur. Miror q́, cur nos ita circumſpectè cautèq́ verba faciamus, illi contra ita effrontes ſint, vt etiam regi mentiantur.* Deinde magis adhuc ſugillans: *Miror tamen interim,* ait, *eos ſine vlla abominatione, & horrore mendacij, ita falſa ad tuas præſertim aures potuiſſe dicere, quum mendacia patrem diabolum habeant.* Sed num à calumnijs atque mendacijs temeritas, ſycophantia, malignitas abeſſe poſſunt? Quî tandem? Hæc certè omnia ſui calumniatoribus Athanaſius in faciem ingerit. *Confido fore, vt eorum temeritatem condemnes. Admiraberis ſycophantias meorum apud te calumniatorum. Tua manſuetudo libertatem defenſioni meæ tribuit ad conuincendas vitilitigatorum ſycophantias. Illi vt inimici ex malignitate rem agunt.* Demum imperitiam, inſaniam, moresque Tartareos iiſdem obiectat. *Ne mihi talia oblatrarent rudes, inſcitiáq́ homines. Perſuaſit ſibi homo vecors & inſcitus. Diaboli moribus vtitur.* Hæc vir ille incomparabilis, quibuſcunque aduerſariorum machinationibus atque turbinibus ſemper inuictus, valde duriter aſpereque.

Num. 27. *S. Io. Chryſoſtomi exemplum.*

Nunc pandat quoque os ſuum, ipſum aureæ eloquentiæ flumen Ioannes cognomento Chryſoſtomus, morum innocentiâ clariſſimus, virtutum opibus locupletiſſimus, modeſtiæque in primis nitore fulgentiſſimus, qui quum *Monaſticam* vitam à profanis hominibus, etſi Chriſtiano infucatis nomine, fœdè traduci, agitari, explodi, verberarique

berariſque comperiſſet, tres integros libros ad illam ab iſtorum iniurijs ac furoribus vindicandam ſapientiâ planè diuinâ elucubratus eſt; in quorum primò exertè denuncians, quibuſcum certamen indictum ſibi vellet; *Ipſi illi, inquit, qui iſta peragunt, & pios ſe videri volunt, & Chriſtianos appellari.* Et lanienam quidem ſacrorum virorum non in ſolitudine aliquâ, ſed in Catholicis oppidis laniſtæ illi lanijque exercebant *Itaque vehemens me tenet haſitatio*, addit eodem loco vir diſertiſſimus, *quòd regibus ſub pietate degentibus hæc tam nefaria ſcelera medijs in ciuitatibus fieri aſſeru*. Sed quo tandem charactere dicendi patrocinium huiuſmodi Orator prudentiſſimus atque excellentiſſimus elimauit? priſco omnino ac tetrico. Vide ſis, quo modo ipſo in limine proludat. *Tum verò ſummo dolore affectus, atque acriùs ingemiſcens; iſta, inquam, profectò tanto ſceleratiora eis ſunt, quàm Mithridates, illiq́ omnes peccauerunt: quanto templum hoc noſtrum illo eſt purius, honeſtius, ſanctius.* Et paulò pòſt: *Audiui ego ex his quendam diabolico ſpiritu vehementer inſtigatum, qui linguâ ſuâ iniquiſsimâ, atque nefariâ ſe à fide receſſurum, & idolis immolaturum dicere ſe auderet: dirumpi enim ſe, ac pene ſuffocari iracundiâ intuentem homines liberos, nobiles, copijsq́ omnibus locupletes, vitamq́ delicijs plenam degere valentes, ad hanc ſeueritatem vitæ duritiamq́ propoſiti abduci.* Poſthæc à Sodali, quem ibi loquentem facit, rogatus, vt tot malis arrepto ſtylo obuiam ire ne grauaretur, id muneris in ſpeciem detrectans, vereri ſe, ne Ethnici homines eiuſmodi lucubratione, noſtra Chriſtianorum mala doceantur, modeſtè cauſſatur, illicoque ſubdit. *Nam ſi qui ex illis fortè perſenſerint, eſſe apud Chriſtianos quoque genus hominum adeò virtuti ac philoſophiæ inimicum, vt non modò eius gratia laborare negligant, verùm ne vllum quidem verbum de his fieri ſinent; nec*

iſto ſaltem inſania furore contenti, ſi quis hæc conſulere, vel loqui perrexerit, hunc exagitent, hunc vndique exturbent. Hæc, inquam, illi ſi compererint, vereor, ne tandem homines quidem nos eſſe exiſtiment, ſed feras beluas, ac portenta horrenda, humana forma lineamentis adumbrata, dæmonesq; iniquiſſimos, atque naturæ communis inimicos; nec de his modò, qui rei ſunt, verùm de vniuerſa gente noſtra hanc profectò ſententiam ferent. Quibus ſcommatis etſi iuſtiſſimis, ac veriſſimis quid amarius, aut probroſius?

Num. 28. *S. Chryſoſtomus in vituperatores Religioſæ vitæ excandeſcit.*

Hæc vbi ſtomachabundus, Antiſtes conſummatiſſimus acerbè admodum præfatus eſt, denuntiat nihilominùs, ſe peramanter cum illis blateronibus, quos ipſe puſionum inſtar habet, ſermocinaturum. *Blandiſſimè,* inquit, *a ſummaq; cum lenitate, ac manſuetudine pueros iſtos alloquemur.* Sed qui tandem hanc lenitatis pollicitationem exſoluat? age, periclitemur. Num hæc placida & ſuauia? *Duabus ex partibus ſæuum illum, atque immanem diuitem crudelitate viciſtis, quod & alios prohibeatis famem reſtinguere; quodq;, quum animam ſuffocari videatis, tamen oſtenditis immanitatis indicia, vt ne alijs quidem opem ferre volentibus liberè id per vos fieri liceat. Eiuſmodi ſcelus aliquando Iudæi quoque admittere auſi ſunt, quum Apoſtolos, ne viam ſalutis homines docerent, vehementer perterrere vellent: quos tamen ipſos iniquitate tranſcenditis. Illi enim, quum ſe palàm profiterentur inimicos vniuerſa illa gerebant; vos amicorum perſonam quandam, atque adumbratam aſſumentes imaginem, inimicis omnibus deteriora molimini.* An hæc mellea & ſaccharo adſperſa? *Vereor nimium, ne dum illos patriæ, ac parentibus reddere ſtudeo,*

a *Lib. 1. aduerſ. vituperatores vitæ Monaſticæ.*

deo, nequiſsimorum dæmonum manibus tradam. Si enim peccata propria negligere, quin etiam ſine doloris ſenſu quotidie peccare extremus malitiæ terminus eſſe pro confeſſo habetur: vbi tandem iſtos nouos, noua huius, atque iniquiſsimæ ferendæ legis auctores ſtatuemus, qui maiori conſtantiâ, atque fiducia fugant, ac propulſant virtutum magiſtros, quàm faciunt malitiæ, ac vitiorum alteri; eosq́; multo ampliùs, & violentiùs oppugnant, qui peccata emendare pergunt, quàm qui ipſi peccauerunt? Num iſta aliquanto molliora? a *At verò qui genuerunt, qui educauerunt, qui diebus ſingulis natos ſuos proficere, ſibiq́; ipſis & ad virtutem, & ad gloriam præcellere & cupiunt, & optant; qui proptereà cuncta & patiuntur, & faciunt, eos quadam veluti ebrietate correptos repentè mutari, angiq́; ac dolere vehementius, quum ab ſe liberi ad philoſophiam abducuntur; hoc profectò eſt, quod vnum omnium ego maximè admiror, quodq́; omnia iam corrupta ſint & perdita, ſatis firmum, & validum argumentum eſſe duco. At hi & fideles, & in bene inſtitutis ciuitatibus, ac ſub optimis legibus degentes, liberisq́; ſuis conſultum cupientes, ea de ſanctis viris loqui audent, quæ ne tyrannus quidem de his, quibus dominaretur, auderet; nec erubeſcunt. Itaque horum gratia magis indignandum, ac ferendum moleſtè erat.* Quid, obſecro, id genus aculeis, muricibusq́ue infeſtius?

a *Lib. 2. ibid.*

Num. 29. *In Catholicos parentes excandeſcit Chryſoſtomus.*

At enim vir ſanctus rurſum lenitatem, & comitatem principio libri 2. ſyncerè ſpondet. *Idcircò & ego*, inquit, a *illos miſſos faciens, iſtos, qui in primis curam filiorum gerunt, loquar veriùs, qui curam gerere debuerant, non autem gerunt, leniter & ſumma cum moderatione alloquar.* Sed quis, rogo, tot

a *Lib. 2.*

ſentibus

ſentibus poſt illa manſuetudinis promiſſa paulò ante recenſitis egregiè obſitus, ampliùs credat? Tranſeo, quæ illic in Ethnicos genitores fusè diſputat, ea dumtaxat, quæ in Catholicos parentes deinceps præualidè intorquet, excerpere contentus. Remiſsáne iſta, & moderata? a *Illorum enim atrocitas & feritas vſque ad ſeruitium dumtaxat, & captiuitatem, & vaſtitatem patriæ, corporisq; incommoda, & mala ſæuit: vos autem animum in ſeruitutem abducitis, & veluti captiuum quendam vincientes, ita demum nequiſſimis, & ferociſſimis dæmonibus traditis, eorumq; libidinibus, & ludibrijs exponitis.* Hæccíne blanda, & mitia? *Itaque nullâ aliâ ex ratione, peruerſi vt fiant liberi, contingit, niſi quòd eorum patres circa vitæ præſentis commoda æquo ampliùs incumbunt, & ferè dixerim inſaniunt. Quum enim illa ſolummodò inquirunt, nihilq; illis præferendum cenſent, & ſuam pariter & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres, quod nemo tamen me commotiùs dicere, quàm veriùs exiſtimet, parricidis ipſis immaniores, ſceleratioresq; dixerim. Non enim ita crudele facinus videtur, gladium acuere, & armare dexteram, atque in ipſum filij guttur immergere, vt animam perimere, atque corrumpere.* Quid vbi exinde præpoſteræ nefandæque veneris infamiâ totam ferè vrbem contaminatam non minùs apertè, quàm copiosè acideque criminatur? iſtáne muſtulenta, inſtarque nectaris? *Periclitatur iam ſuperfluo effectus eſſe ſexus muliebris, adoleſcentibus vices eius omnes implentibus. Quod quum per ſe eſt acerbiſſimum; facit id profectò, vt deterius & tetrius ſit: quod tantum ſcelus, tam nefarium facinus incredibili audaciâ, ſummaq; iam cum libertate admittitur, flagitiúmque lex factum eſt. Nemo iam metuit, nemo perhorreſcit, nullus verecundiâ continetur, nullus rubore ſuffunditur. Cæterùm iſta impudentiâ ſe ornari putant, & faceti videri ex ſcelere volunt.* Quid vbi tam exe-

a *Lib.* 3.

crabili,

erabili, propudioſæque libidini inflictas diuinitus pœnas, incendia ſempiterna commemorat? Hæc nempe opobalſamo delibuta ſunt. *Quocirca complures audiui, quum ſe mirari ducerent, quod nondum hodieq; imber alius igneus eruperit, quòd non ſimilia Sodomis vrbs veſtra paſſa ſit: tanto ſanè grauiore digna cruciatu, quanto ne aliorum quidem cladibus emendata corrigitur. Verùm quanquam ipsâ quoque regione, iam poſt duo annorum millia ipsâ ſuâ facie clarius clamante, quàm ſi voce loqueretur, atque Orbem vniuerſum admonente, ne quid eiuſmodi præſumat, non modo timidiores aut ſegniores ad hoc audendum facinus facti non ſunt, verùm longè impudentiores, tanquam profectò aduersùs Deum contendentes atque operibus ipſis oſtendere ſtudentes, tanto ſe cumulatiùs his malis adiecturos, quanto maiora ille intentauerit ſupplicia. Cur ergo nihil factum eſt eiuſmodi, ſed quum admittantur Sodomorum ſcelera, non tamen contingunt Sodomorum clades? Quia manet iſtos ignis alius longè iſto grauior, cruciatusq; finem nullum habens.* Quid denique vbi hanc ipſam flagitij turpitudinem pleriſque alijs comitatam probris, ac piaculis oſtendit? *Quam enim barbarorum feritatem iſti non ſuâ improbitate tranſcenderunt? Quod beluarum genus congreſſu ſuo impuriſſimo non ſuperârunt? Eſt in quibuſdam mutarum animantium à natura inſitus libidinis ardor incredibilis, ardorq; intolerabilis, & nullo ab inſania differens: qua tamen amorem hunc nefarium non nôrunt, ſed intra leges à natura præſtitas permanſerunt, neque ſi millies libidine vrantur, natura vnquam præterlabuntur legem. At iſti & rationales conditi, diuinoq; magiſterio potiti, quidue agendum ſit, vel non, alÿs quoque annunciare iuſſi, non ita licentiosè, ac ſine metu meretricibus, vt adoleſcentibus congrediuntur Et quaſi homines non ſint, non prouidentia vlla res humanas agat, aut moderetur, & ea, quæ fiunt, iudicet, ac tenebræ cuncta occupauerint; nullusq; ſit,*

qui

qui iſta videat, vel audiat, ita cuncta flagitia admittunt inſaniâ ac furore incredibili. Liberorum verò, qui eiuſmodi contumelijs afficiuntur, patres hac taciti ferunt, nec ſecum vnà filios terrâ obruunt, neque tantæ cladi vllum remedium aut ſolatium inquirunt. Et paulò infra: *Nunc verò quum tam immanis peſtis cuncta compleuerit, non ſolùm ipſi liberos noſtros ad hæc prærupta pertrahimus: verùm ſi qui illos eripere, ac liberare voluerint, eos tanquam perditos & corruptores vndique exagitamus. Quam iſta igitur ingenti iracundiâ, quanto furore, quantiſq; fulminibus digna ſunt, quandoquidem vt linguæ acumen, ac nitorem habeant per exteriorem ſapientiam, omni ſtudio curamus: animam verò in ipſo cœno ſpurcitiæ iacentem, atque in dies putreſcentem non modò deſpicimus, verùm exſurgere quoque cupientem prohibemus* Et quicquámne tam fœdâ, tam tetrâ, tam longâ exaggerataque vitij obſcœniſſimi exprobratione deformius, quicquam horridius ſcribi ingerique poteſt? Quî iſtæc omnia adeò triſtia, atque hiſpida cum illis lenitatis ſemel iterumque promiſſæ blandimentis conſentiunt? Num vir integerrimus, atque ſanctiſſimus oppigneratâ initio ac poſtea fidem prudens, vel ſui immemor fallit? Deteſtabile id omen auertat Deus. Quid ergo eſt? abſoluam verbo. Recitata ſuprà è Chryſoſtomo verba, ſi ſuâpte naturâ ſpectentur, acerba ſunt, dura ſunt, atrocia ſunt, mordent, feriunt, vrunt. Sin autem cum facinorum improborum peruerſitate, turpitudine, immanitate componantur; lenia, iucunda, placida exiſtimanda ſunt; quando ad tam nocentes damnoſaſque peſtes compeſcendas eliminandaſque nullius nouaculæ acies ſatis acuta eſt, nullum ferrum ſatis candens, ſubulæ omnes obtuſæ, cuncti nerui enerues, dentes omnes edentuli: quo videlicet Præſul ſapientiſſimus, quum lenis orationis ſpem fecit, rectè ſua dicta collineauit.

Num.

Num. 30. *S. Thomæ documentum.*

Quod ſanè Doctoris eminentiſſimi exemplum magnus Aquinas poſtmodum imitatus, geminoque opuſculo, altero *a* contra retrahentes ab ingreſſu Religionis, altero *b* contra impugnantes Religionem elaborato, quàm fortiter obtrectatorum, & calumniatorum maxillas edentauerit, probeque comminuerit, ex ſecundæ lucubrationis epilogo documentum minimè fallax præ manibus habemus, vbi vir ſanctiſſimus ita coronidem diſceptationi imponit. *Sic igitur diuinâ auxiliante gratiâ malignorum detractionibus expreſſis euidenter apparet, quòd nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed crucem Domini baiulantes, operibus ſpiritualibus inſiſtunt, carnalia deſideria contemnentes. Pateret ſiquidem locus multa replicandi contra prædictos detractores, ſed eos diuino iudicio reſeruamus, quum eorum nequitia poſſit eſſe omnibus manifeſta, ex his, quæ ex corde ſuo nequiſſimè protulerunt, ſecundùm ſententiam Domini dicentis, Matth* 12. Quomodo poteſtis bona loqui, quum ſitis mali? Ex abundantiâ enim cordis os loquitur. *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, vt habetur* 2.*Timoth.*2. *eorum ſcilicet iniquitati non conſentiens, erit vas in honorem ſanſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Qui verò eis conſentiunt, cæci cæcos ſequentes ſimul cum eis in foueam cadent.* Hæc Theologiæ coryphæus Angelicus, in quo non minùs cœleſtis modeſtiæ hyacinthi, quàm diuinæ lilia doctrinæ mirè vernabant, non ſine ſpinis, & ſpiculis.

Num.

a *Opuſ* 17. b *Opuſ.* 19.

Num. 31. *S. Bonauenturæ imitamento, Catholici procaces, acriter ſunt arguendi.*

Thomæ luculentiſſimi compar quoque Bonauentura, ſapientiâ, infulâ, purpurâque clariſſimus, quum Gyraldus quidam de Abbatis Villâ Pariſienſis Doctor in Franciſcanum Ordinem impotenter fuiſſet inuectus, atrocem iniuriam enimuerò tacitus minimè tulit, ſed pauperum vulgatâ Apologiâ, vt ei inſcribere illam placuit, iuſtas præcipitis veſanæque temeritatis pœnas ab obtrectatore repetijt. At quo tandem ſcribendi charactere? quâ lenitudinis illecebrâ? quâ placabilitatis indulgentiâ? Valeat intempeſtiua comitas. Faceſſat animi, ne dum corporis, inconſulta mollitudo, nec tam lenitas, quàm lentitudo. Vir ille vndique probatiſſimus, quanquam Religionis, & ſanctimoniæ decus inſigne, etſi modeſtiæ flos delibatus, tamen calumniatoris audaciam, rubido ſcabroque ſtylo ſcalpendam vrendamque meritò exiſtimauit, quique in ipſomet operis veſtibulo, vt ſuprà memoraui, *procacis hominis erectam ceruicem durâ increpatione ſibi feriendam*, expreſsè denunciauit, prolixè omnino datam initio fidem exinde præſtitit. Num verò per aliquot eiuſmodi Apologetici pagellas ſpatiari animi gratiâ lubet, nonnullasque dictorum formulas, ad experimentum capiendum, carptim iuuat enotare? Nullus dubito, rumpoque moras.

Num. 32 *Libertas Bonauenturæ in calumniatorem Catholicum.*

Quàm enim liberè confeſtim *a libellum illum calumnioſum cum æmulatione non ſecundùm ſcientiam fuiſſe*

a *In prima reſponſ. 1. particula, art. 1.*

fuiſſe conſcriptum; neque ſanam continere doctrinam, ſed in defenſionem alterius libri erronei non abſque nota rebellionis fuiſſe editum conqueritur? quàm grauiter addit? *ſi quis libri totalis continentiam vigili circumſpectione conſideret, non ſanam; ſed potius inſanam, & impiam diſſeminare doctrinam oculata fide perpendet.* Quàm contentè appingit? *Quàm peruerſi fuerit zeli amaritudine motus, qui prædictum edidit librum, & libri declarat titulus, progreſſus, & terminus; in quo oſtendit vel impium, vel ignarum, dum vel ſcienter innocenti falſum impingit crimen, vel ex inconſideratione propria non aduertit, &c.* quàm deſtrictâ cenſurâ ſubijcit? *Liber ipſe totalis trahit originem ab eo, qui eſt mendacij pater, & in veritate non ſtetit, qui homicida fuit ab initio, & accuſator eſt fratrum; vt qui legit, intelligat, quòd libelli huius conſcriptor, vt detractor loquitur, non vt doctor Ideò peruerſi huius dogmatis cultor ſemper, dum ſcribit, in peius proficit, & tanquam cæcus in foueam ruit* Tum etiam *Regis æterni condeſcenſiuam clementiam impiè blaſphemat.* Hæc ipſo in limine diſputationis Articulo 1.

Num. 33. *Inſignis vehementia Diui Bonauenturæ.*

Quid deinde in reliquis? Feruet æſtus arenis. Et falsò allucinor ego nimio opere, ſi hæc aceto acrem linguam calamumque non produnt. a *Nunquam tot contra Chriſti condeſcenſionem protuliſſet. ineptias.* b *Sic & peruerſi eius dogmatis caput propriæ aſſertionis mucro detruncat, dum idem perfectionis Euangelicæ oppugnator, impijs ſenſibus inuertendo ſcripturas, & imperitis ſermonibus inuoluendo ſententias, non ſolùm à veritate diſſentit, verùm etiam ſibi ipſi contradicit.* Præterea *oſtendit ſe non ſolùm veritatis intelligentia vacuum, ſed etiam verbis veritatis egenum.*

a *Ibid. art. 2.* b *Partic. 2. art. 1.*

num. Tum ad maiorem quoque imperitia ſua declarationem paulò poſt ſubdit. Inſuper *huic quoque dementia aliam non minorem adiungit. Verum nec his contentus ſtultitijs, ſubiungit & alias. Si igitur non ſuam, ſed egregij Doctoris vult ſequi ſententiam, ne in foueam cadat erroris, deſinat imperfectionem deſcribere per diſtortionem, & claudicationem, vt non compellatur ex hoc tanquam diſtortus, & claudus, à veritatis tramite deuiare* Mentior etiam, niſi iſta auſterè prorſus, ac Stoicè ſunt exarata. a *In quos* (nempe errores) *is, cui reſpondere incœpimus, incidit, quia conſiderare prædeterminata vel ex ruditate non valuit, vel ex proteruitate contempſit Quartum autem exemplum,* b *quod poſuit de Chriſto horrendam in pijs auribus includit blaſphemiam Quiſquis igitur hoc pertinaciter ſenſerit, tradendus eſt ſatanæ, vt diſcat non blaſphemare. In his ſatis Hieronymus* c *Iouiniani, & noui ſectatoris ipſius os obſtruit, ne inſtar ſepulchri patentis ſuorum carnalitate ſermonum tanquam exhalationibus fœtidis fidelium mentes ſobrias, & pudicas inficiat, moresq́ corrumpat.* Amens pariter ſim, niſi hinc quoque horridæ planè ſententiæ vibrantur. d *Ecce quot exempla patrum veteris teſtamenti introducit ad abſtinentiæ laudem, qua is tanquam carnaliter ſapiens trahere nititur ad carnem Nunquam enim Iouinianus, quanquam ſit omninò deteſtandus, in hanc, quam hic ſingit, amentiam incidit, vt guloſitatem æquaret abſtinentiæ. Hic autem longè ampliùs deſipit, quàm ille Iouinianus, tanquam proficiens in errorũ doctrina diſcipulus. Inſuper contra vires ſanctos blaſphemare conuincitur. Corrigat igitur ſui mendoſitatem codicis, vel potiùs à malignitate reſipiſcat erroris. Addit, quod Chriſtus his tribus modis abſtinuit; in quo non ſolùm aberrat, ſed ſolito more blaſphemat. In quo dum vno deſtruit breui ſermone, quicquid ſuprà conſtruxerat,*

M

a *Partic.* 3. *art.* 3. b *Secunda Reſponſ. Partis.* 1. *art.* 2. c *Partic.* 2. *art.* 2. d *Ibid.*

ſtruxerat, manifeſtè declarat, quòd qui ſtudio contentionis deſeruit, dum arcu tenſo doloſo per ſagittam ſermonis emiſſam, alterum vulnerare ſatagit, iuſto Dei iudicio ſemetipſum prius ipſe configit. O ſenticoſum præfractæ orationis ſpicilegium! quantum in eo vrticarum! aculeorum quantum!

Num. 34. *Alia quoque exempla D. Bonauenturæ.*

Sed quò me impetus rapit? Num tota mihi iſta Apologia deartuanda eſt, totque ac tam infeſtis fragmentis paginæ hîc fruſtra referciendæ atque onerandæ? Sat ſuperque ad cernendum ſpecimen, quæ hactenus libaui, ſunto, ſpondeoque Lectori, vniuerſam eam ſanctiſſimi Doctoris propugnationem iiſdem ſeueritudinis filis, nodiſque adſtrictam eſſe atque pertextam, è quâ demum hæc auctarij vice lecta hoc loco diſſimulare non licet. a *Hoc ſi voluiſſet calumniator aduertere, varios, in quos incidit, falſorum dogmatum declinaſſet errores. Nam ſuper falſum primò ſe fundans, falſi criminis impoſitione, Catholici Doctoris verba deprauat, ſed & veriſimili quadam diſtinctione modorum ieiunandi, erroris ſui verſutias, tandem fraudulenta commendatione ſolutionis ieiunij, carnalis laſciuiæ venena propinat.* Et paulò pòſt: *Huius autem Sophiſticæ ratiocinationis proceſſus auctorem ſuum & ignorantem demonſtrat, & impium* Tum infra: *Neſtorij ſimul & Arrij erroneam ſapit impietatem.* Quid ampliùs? *Sed huic ex aduerſo veraciter dicitur: O præſumptio nequiſſima, vnde creata es, operire terram malitia? Præſumptuoſè enim atque malignè alienum iudicat ſeruum, qui dicenti verum, impingit mendacium, ſicut hic agit.* Poſtremò b *Deſinat igitur perſecutor hic pauperum, à malignis calumnijs, & verbis maledicis, ne Balaam tranſcendendo malitiam, illis malè dicat, quibus Do-* *minus*

a *Partic.4. art.1.*
b *Reſponſ.4. Partic 3. art.2. in fine.*

minus benedixit, ne benedictionem perdens cælitus repromiſſam, maledictionem incurrat æternam. Hæc atque alia innumera ſcrupoſis obruta cotibus, contortuliſque denſata concluſiunculis in virum Catholicum Gyraldum & quidem Doctoris Parisienſis dignitate præſtantem Bonauentura (tametſi genij alioqui pacatiſſimi, & morum ſuauiſſimorum) manifeſto acrimoniæ maximæ documento, ſine vllâ fraude modeſtiæ, rectiſſimè exonerauit. Vſqueadeò ſcilicet vel mitiſſima religioſiſſimi Patris ſanctimonia, calumniatoris effrani impudentiâ proritata, iuſtâ tandem indignatione efferbuit, & dentato ſtylo malè pexam cerebroſi hominis inſaniam probè admodũ pexuit. I nunc, & ſomnia, aut peiera, acerbi ſcribendi generis, & modeſti, ſanctique viri, diuiduum eſſe contubernium, neque illud huic vnquam congruere.

Num. 35. *B. Petri Damiani Exempla.*

Hinc molli flexu ad B. Petrum Damiani è ſacrâ D. Benedicti familiâ admirabilem Monachum diuerto. Ad eum nempe virum, quem quum Religioſæ virtutes omnes, tum cætera ſapientiæ, animique honeſtamenta terris iam pridem ſubduxerant, cœloque inſeruerant; ad eum, qui Chriſtianæ demiſſioni, ſuique generoſo contemptui tam arctè & mordicus addictus fuit, vt Vaticanâ donatus purpurâ, geſtiſque egregiâ cum laude ſummis magiſtratibus, quanquã inter *Cardinales* diu ſplenduit, tanto nihilominùs honore Chriſti Domini gratiâ ſponte ſe abdicauerit, huiuſmodi tamen repudiatione eo maior, quò minor ipſe videri voluit; ad eum, qui tam ante, quàm poſt tam altum faſtigium, ſolemne illud perpetuò ſeruauit, vt Epiſtolas ſuas omnes, quibuſcunque illas exarabat, ſinguleri

gulari modeſtiæ argumento ita inſcripſerit: *Petrus Peccator Monachus ſalutem*. Hic enim, opinor, ſi quis alius, fines contentioſæ orationis in Apologeticis vſurpandæ, extra quos ſaluo pudore egredi nefas ſit, exploratâ moderationis decempedâ nobis metietur.

Num. 36. *Acerrimè ſui calumniatores perſtringit Petrus Damiani.*

Quid ſi is ipſe, qui ſe vbique & omnibus *peccatorem Monachum* denunciat, tantæque demiſſionis exemplis Orbi vniuerſo prælucet; orationem tamen, quum opus eſt, incenſam valde, abſciſſamque in obtrectatores adamat, atque eiaculat? Teſtor vnicam ex cunctis viri ſanctiſſimi doctiſſimique Epiſtolis ad litem omnem dirimendam compertiſſimæ fidei teſſeram, in quâ, quum certam ſententiam à ſe de ſuggeſtu in concione pronuntiatam per calumniam aliorum trahi, atque in inuidiam adduci intellexiſſet, in calumniatores ipſos immane quantum excandeſcit, & quamuis per inualetudinem affixus lecto, præualida tamen & grauia tela iacit. Aciem & pondus iſtorum periclitari cupis? Oculos, aures, ac manus admoue. Ruſticos illos, literarumque imperitos vocat, tum ceu ſtolidos, & caprimulgos traducit. Sic enim *ad Archipresbyteros Andream, V. & C. lib. 5. epiſt.* 1. ſcribit diſertiſſimè.

Num. 37. *Scommata probroſa iacit in calumniatores Petrus Damiani.*

Dum ego non minimo languore depreſſus in lectulo iaceam, & quod dicto, alter frater excipiat, non ſit mirum, ſi non luculentum, ſiue politum digero languidi ſermonis articulum: imò quia contra ruſticos, & imperitos

peritos, ac literarum prorſus ignaros loquor, dignum eſt, vt eis congruens, ruſticè proloquar: & , vt ipſi dicunt, quicquid in buccam venerit, negligenter effundam. Verum tamen antequam ad rem veniam, quod mens ſuggerit, compendiosè præmittam. Philoſophus a *quidam nocte, dum ſtellarum curſus, & meatus ſiderum ſubtiliter rimaretur, in puteum repentè corruit, & hianti, ſicut dicitur, immanitate profundum, & obſcœni ſordium ſqualoris plenum. Cui nimirum Philoſopho domeſtica erat ancilla nomine Iambi, quæ in Dominum ſuum liberè, ac prudenter inuecta, per metrum Iambicum, quod ex ea poſtmodum tale nomen accepit, ſuper eo plauſibiliter dixit: Dominus meus ignorabat ſtercora, quæ ſub pedibus eius erant, & nôſſe tentabat ſidera. Hoc itaque modo fit in diebus noſtris, vt ruſtici, & inſipientes quiq, qui nil penè nouerunt, niſi vomeribus arua proſcindere, porcos, ac diuerſorum pecorum captabula cuſtodire, nunc in compitis, ac triuijs ante mulierculas, & combubulcos ſuos, non erubeſcant de ſcripturarum ſententijs diſputare: imò, quod turpe eſt dicere, in tota nocte ſubant inter femora mulierum, die non verentur tractare de ſermonibus Angelorum; & hoc modo ſanctorum dijudicant verba doctorum.*

a *Thales Philoſophus, de quo Diogenes lib.* 1. *de vitis Philoſoph.*

Nm. 38. *Intorquet ſpicula varia in detractores Petrus Damiani.*

Hæc vbi tam acerbis ſcommatibus Petrus ille *Peccator Monachus*, reapſe ſapientiſſimus & ſanctiſſimus vir, præfatus eſt, aggreditur mox ipſam detractorum imperitiam tum neruis rationum, tum flagris dictorum, perpetuâ quadam virgindemiâ, nec ſine vibicibus, animosè, ac fortiter euerberare. Vide, vt eos nunc tenebriones, nunc cœcos, nunc arrogantes nuncupat. *Sapien-*

tes, inquit, *iſtius terræ & diuinarum voluminum tenebroſiſſimi, ac profundiſſimi ſcrutatores. Tanquam nocturni viatores oberrant, & more cæcutientium manu parietem palpant. Quibus in hac ſoluenda quæſtione nos volumus eſſe magiſtri, quia illi per arrogantiam cordis dedignantur eſſe diſcipuli.* Satiſne hæc acidè, ac vehementer? Vide, vt illos prætereà cauillationis, & mordacitatis accuſat. *Poterunt enim à te ſecundum prudentiam ſuam verſuta mordacitate requirere. Sicq; timendum eſt, ne ſyllogiſmorum ſuorum verſuta te argumentatione concludant, & Auctorem ſapientiæ, caſibus captioſæ cauillationis innoluant.* Vide, vt eos liuore, felle, ignique refertos carpit. *Hic Cenſores alienorum operum, hic detractores fratrum, hic planè dentes exacuant. Filij enim hominum, vt ait Dauid, a dentes eorum arma & ſagitta; lingua eorum machæra acuta. Hic, inquam, crepantibus buccis Ætneas flammas eructent, intimi fellis amaritudinem euomant, clamoribus ſuis cœlum, terramq; confundant.* Hinc iracundiæ væſaniam, ac rabiem iiſdem exprobrat: *Vt iſti rabidioris iracundiæ furore væſaniant.* Hinc eoſdem vt rabidos canes, & ſcabioſos inſimulat. *Iam ergo deſinant paruulum hominem mordaciter perſequi. & in me non tantam verbi velint inuidiam concitari. Gregorium lacerent, Gregorium mordeant, & in eum dentes amariſſimi liuoris infligant. Illum legant, & hoc apud illum inueniant, atque ſuper illum cenſoriam iudicij virgam tenentes, damnationis, quam meretur, in eum decreta retorqueant. Atque vt rabidiores in eum dentes exacuant, eumq; velut ſcabioſi canes tanquam mordicus apprehendant.* Quid quod eoſdem calumniatores non contentus tot probris dehoneſtâſſe, illoſque inter cœcos, arrogantes, verſutos, mordaces, liuidos, ignifluos, iracundos, furioſos, væſanos ac rabidos cauillatores atque obtrectatores; tum demum ſcabioſos inter canes retuliſſe; multo adhuc tur-

piore atque execrabiliore hæreſeos infamiâ palàm inuſtâ dedecorat? *Si eos*, inquit, *hæreticos eſſe delectat, nunquid in tantum amici mei diligunt, vt ſine me in hæreſim tranſire non poſſint? Nunquid enim diuinorum eloquiorum ſtrenui ſcrutatores, quam plures per diuinarum ſcripturarum campos non poſſunt ſententias reperire, quibus, vt hæretici fiant, valeant ſibi muſcipulas pedicaſq́; ſubſtruere?* Hactenus Petrus Damiani. Vnde eruditi quique viri & Religioſi præcipuè luculentam habent, pertriſti aculeatoque ſtylo refellendi agitandique obtrectatores, imaginem, & quidem à ſanctiſſimo Monacho, atque è ſtudio modeſtiæ *peccatorem* ſe vbique vociferante, depictam ſibique ipſis ab illo ante oculos ad imitandum, citra audaciæ, aut licentiæ diſcrimen propoſitam.

§. VI.

Alia Sanctorum Patrum monumenta rubida atque aſpera in Catholicos Deoque ſacros viros edita.

Num. 39. *Sacri etiam viri abſciſſo dicendi genere agitati.*

Verùm enimuerò quæ ad id locorum ex antiquis Patribus, virisque ſanctiſſimis exempla corraſimus, ſolos Hæreticos, profanosque Catholicos oppugnant, ac petunt; at viros ſacros, Deoque ritè deuinctos minimè tangunt; vel ſi fortè hos quoque perſtringunt, indiſcriminatim vnà cum profanis illis inuoluunt, ac feriunt. Nunc verò de iſtis dumtaxat ſermonem inſtituere in præſentiâ lubet, quos etiam à graui tetricâque veterum Patrum, nec non aliorum quoque Doctorum cenſurâ immunes non abiiſſe omnes, eorumdem co-

dices & volumina, quæ adhuc ſuperant, ſatis vincunt.

Num. 40. *Exempla Patrum, & aliorum.*

Omitto hic, quæ D. Ioannes Chryſoſtomus in flagitioſos Sacerdotes, tum in libris *de Sacerdotio*, tum in alijs Tragico ore tonat. Taceo, quæ S. Cyprianus *Sermone de Lapſis*, in prauos Clericos acerbè perorat. Diſſimulo, quæ S. Auguſtinus *Sermone* 49. *in Euangelium Ioannis*, alibique in ijſdem ſeuerè reprehendit. Prætereo, quæ S. Hieronymus *Epiſtola ad Nepotianum*, alijsque locis, in ſacros miniſtros nequitiâ ſordidatos horridè ſcribit. Tranſeo, quæ Summus Pontifex Gregorius tam *homilia* 47. *in Euangelia*, quàm alibi frequenter, ſemperque acidè ijſdem vitio vertit. Sileo, quæ S. Bernardus & *Sermone* 1. *de Conuerſione S Pauli*, & *Sermone de tribus Ordinibus Eccleſiæ*, & *Sermone* in illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, & *Epiſtola* 42. *ad Senonenſem Archiepiſcopum*, & *Epiſtola* 78 *ad Suggerium Abbatem S Dionyſij*, & aliàs ſæpenumero in eoſdem atrociter declamat. Tranſſilio, quæ B Petrus Damiani tum *lib.* 1. *Epiſt.* 6. *ad Nicolaum Romanum Pontificem*, tum *lib.* 4. *Epiſt.* 3. *ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum*, de Eccleſiaſticorum virorum laſciuiâ petulantique viuendi licentiâ amariſſimè conqueritur. Prætermitto denique reliqua omnia, quæ cæteri Patrum ijſdem in hominibus paſſim, atque implacabiliter criminantur. A Patribus verò ſi ad alios diuertere etiam placet, quem Gildæ Sapientis Presbyteri *in Eccleſiaſticum Ordinem acris correptio*, Tomo 5. Bibliothecæ Patrum inſerta, fugit? Cui Ludouici Creſollij *Myſtagogus*, in quo deſides, vitioſique Hierophantæ liberè, conteneque ſugillantur, ignotus? Quàm pridem quoque plerique alij id genus libri, tum

alij

alij etiam peruerſorum itidem Religioſorum piacula labesque auſterè obiurgantes, in lucem emiſſi ſunt, tum Ioannis Tritemij *de Ruina Ordinis Benedictini*, tum Dionyſij Carthuſiani *de Reformatione Clauſtralium*, tum Ioannis Nider *de Reformatione Religioſorum*, tum Seruatij Layrelz *Optica Regularium*, tum Roberti Bellarmini *de Gemitu Columbæ*, tum demum Auctoris *Cauea Turturis*, in quibus omnibus eorum ſcelera, qui fidem Deo, Ordiniq́ue proprio ſolemni ritu datam vitâ improbâ fallunt, polluuntque, deſtrictis rigidisq́ue ſententijs multantur?

Num. 41. *Nonnullorum exempla tantùm ad ſpecimen hic carpenda.*

At ſi ex cunctis his etſi non omnia, ſed aliqua tantùm carptim libare, atque huc deriuare coner, vereor equidem, ne Iſthmum planè imprudens fodiam, aut certè Ilias noua multo ſpiſſior illâ Homericâ mihi ordienda ſit. Quare, vt ſuperuacuo parcam labori, neque meo, Lectorisq́ue abutar otio, ex nonnullis dumtaxat perexiguos ramos, ſurculosq́ue defringam.

Num. 42. *Theodoreti in primis, Viri clariſſimi feruor.*

Ac primò quidem in theatrum do Theodoretum, & Cyrillum, vtrumque infulatum, atque Epiſcopum, illum Cyri, hunc Alexandriæ, vt compertum eſt, viros vndique doctiſſimos, mutuò contendentes, mutuò pugnantes, mutuò calamis ſeſe incurſantes, vt veteres teſtantur Annales. Erat Theodoretus in ſacris codicibus ac monumentis diu multumq́ue volutatus, atque in ijs interpretandis D. Ioanni Chryſoſtomo, præcipuo quodam addictus ſtudio; Catholicæ autem Religionis ſar-

tæ tectæ conſeruandæ cupiditate apprimè flagrans, proptereaque in Hæreticis ſuo à grege arcendis, vel ad Chriſti caulam reuocandis adeò ſtrenuus, vt ex Marcioniſtis decem millia & ampliùs, tum ex Eunomij quoque atque Arrij impijs ſectatoribus plerosque alios, vt ex Epiſtolâ eiuſdem Theodoreti 81. & 146. obſeruat Baronius, *a* impietatem dedocuerit, inſtumque volumen aduersùs hęreſes omnes ediderit, ac pro tuendâ Catholicâ fide labores incredibiles alacriter exantlârit; nec non etiam caput cunctis periculis animosè obiectans, ſæpe lapidibus pulſatus ſit, ſæpe ſanguinem etiam fuderit, ſæpe quoque ipſas mortis atque inferorum portas, vt idem Baronius *b* iam laudatus tradit, attigerit. Quantum porrò operæ in profligandis Hæreticis gloriosè poſuit, tantundem etiam curæ in ſanctorum virorum cultu propagando impendit, quà ſacris illorum reliquijs officioſè vndique conquirendis, quà ad eorumdem honorem templis magnificè ædificandis, quà rebus geſtis ac vitis illorum diligenter præclareque ſcribendis. Nec denatos iam viros ſanctos tantùm, ſed viuos quoque eximiè idem veneratus eſt, Monachos famoſâ virtute celebres crebrò inuiſens, ære ac ſtipe liberaliter alens, atque in conſuetudinem anteſignanorum Simonis Stilitæ, Iacobi Nizibeni, aliorumque complurium penitùs immerſus. Quibus tam amplis prærogatiuis, alijsque permultis non diſſimilibus Theodoretus conſequutus meritò eſt, vt illius nomen, Beati decoratum titulo, in Chriſtianâ Republicâ circumferatur. *c* Eâdem verò tempeſtate eminebat pariter Cyrillus Alexandrinus, non

tantùm

a *Tom* 5. *Anno Domini* 42?. *pag* 485. *&* 487.

b *Ibid* c *Ita Theodoreti tum vita, tum Opera Coloniæ impreſſa Anno* 1567. *tum in ſcripto Reprehenſionum apud Cyrillum.*

tantùm doctrinâ abundans, ac literatè peritus, ſed, quod caput eſt, ſanctitatis etiam patrimonio ſupra reliquorum conditionem inſignitè opulentus: qui vbi Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, nouum perfidiæ atque Hæreſis monſtrum parturire, ac peperiſſe demum animaduertit, continuò vulgatis vindicijs eum compeſcuit, ac damnauit; damnatoriamque ſententiam in duodecim, vt ipſemet vocat, a *Anathematiſmos*, ſeu in totidem Neſtorianæ amentiæ capita, partitus eſt, additâque ſolemni execrationis ac dirarum formulâ in eum, cui quodcunque illorum probaretur, probè muniuit, nec non etiam adiectâ breui explicatione illuſtrauit.

a *Tom.4.pag.*133.

Num.43 *Theodoretus in S.Cyrillum diram impreſſionem facit.*

Verùm Theodoretus neſcio quo repugnandi contradicendique ſpiritu abductus, eiuſmodi *Anathematiſmos*, & capita palàm improbare, refellere, euerberare, tum rogatu quoque Ioannis Antiocheni Epiſcopi publicatâ multiplici cenſurâ, acriter reprehendere. Ego ſanè ægrè admodum mihi perſuaderem tam inſectanter vehementerque Epiſcopum in Epiſcopum dicere, niſi hæc ipſa illius chirographa id manifeſtò teſtarentur. *Valde*, inquit, a *dolui, dum anathemata legiſſem, quæ direxiſti, deſtruere ea nobis ex ſcripto præcipiens, & hæreticum eorum ſenſum omnibus nudum intimare. Dolui autem, quia vir paſcendi ſortitus officium, cui grex tantus eſt creditus, & oues infirmas curare præceptum, languet quidem ipſe, oues autem ægritudine implere vehementer nititur, & agreſtibus beſtijs ſæuius ea; quæ ſunt*

a *Apud Cyrillum Tom. 4, ad Euoptium, Anathematiſmo* 1. *pag.*189.

ſunt paſcenda, diſcerpit. Illa namq; ea, quæ ſunt diſperſa, & à grege diuiſa rapientes dilacerant, hic autem in medio eius exiſtens, & Saluator eſſe deputatus, & cuſtos, latentem læſionem introducit obedientibus. Quod enim apertè rebellat, obſeruare facile eſt: quod verò ſub amicitiarum figuris inſidias parat, inuenit id, contra quod pugnat, incautum, eiq; infert facilè læſionem, vnde obſidentibus hoſtibus interiores ſauiores ſunt proditores. Hoc ergo multos contriſtat, quod ſub pietatis nomine, atque figurâ, & ſub paſtoris dignitate conſtitutus in hæreticas, & blaſphemas voces erumpit, & dudum extinctam Apollinaris inanem ſimul impiamq; doctrinam renouat. Super hac autem non ſolùm talia diſpenſare, ſed & non conſentientem ſuis blaſphemijs anathematizare præſumpſit. Hactenus ille in ſanctiſſimum Cyrillum verbis longè triſtiſſimis; quem etiam velut obſcurum, iueptum, imperitumque explodere penſi non habet. *Tenebricoſa quidem, & caliginoſa eſt,* ait, *a dictorum intelligentia, pijs autem manifeſta eſt ipſorum ineptia.* Et paulò infrà: *Sapientiſſimus iſtorum verborum pater, quaſi contraria poſuerit ea, quæ non pugnant; non oportet, inquit, copulatione ſubſiſtentias coniungere, ſed conuentu, & conuentu naturali, vel ignorans fortè, quod dicit, vel cognita blaſphemans.* Quibus dicterijs nihil amarius. Nihilò verò minus fellis, ni fallor, & certè non fallor, in iſtis: b *Hic manifeſtè anathematizare præſumpſit non eos modò, qui nunc piè ſentiunt, ſed & eos, qui olim veritatis fuêre præcones, atque adeo Euangeliorum ſcriptores, Sanctorumq; Apoſtolorum Chorum, & Gabrielem Archangelum.* Rurſumque paulò pòſt: *Non enim Prophetas ſolos, neque Archangelum Gabrielem ſolum anathematizauit diligens iſte diuinarum doctrinarum examinator, ſed blaſphemiam in ipſum etiam Saluatorem produxit.* Ita Theodoretus

a *Ibid. Anathem 5 pag. 194.*
b *Ibid. Anathem 9 pag. 105. & 106.*

zetus Epiſcopus, aliaque multa ad hanc normam in Epiſcopum Cyrillum aſperitate ſummâ.

Num. 44. *S. Cyrillus vehementiſſimè repellit, impreſſionem Theodoreti.*

Quid autem ad hæc Cyrillus ille fortiſſimus, ſanctimoniæ, ac modeſtiæ lęuiſſimum nitidiſſimumque ſpeculum? num inerti defixus ſilentio obmutuit? num obſtrepentium verborum terriculis conſternatus eſt? num vnà cum linguâ calamum quoque elinguem reddidit? num conniuendum, num diſſimulandum putauit? diſſimulandum? Imò verò aduerſarium ferociter oblatrantem prompto ſolidiſſimæ doctrinæ venabulo ſtatim excepit, inuaſit, compreſſit, vulnerauit, peremit. At quo mucrone, quâ cuſpide? nempe duro ex chalybe acutiſsimâ, atque infeſtiſsimâ. Quod ſi quis fidem abnuit, mecum non oſcitanter periclitetur. Quâ præfationis gratiâ illum ſibi primò deuinciat, attendat. *Libro*, inquit, a *mihi exhibito, quem compoſuiſſe dicitur Theodoretus Cyri. Ita enim ciuitatulam vocant. Lectis autem his, quæ in eo habentur, gratias Deo cum hymnis offerebam, tantùm non & illud dicens: Domine, libera me à labijs iniuſtis, & à lingua doloſa. Sentiebam enim me vbique calumnijs impeti, idq; per ſingula capita.* Deinde, *Oportebat ſanè & ipſum, vtpote in ſacris exercitatum ſcripturis, ſiquidem mens eius erat de diuinis myſterijs nobiſcum miſcere ſermones, de ſolis ſacris literis nobiſcum commentari, narrationemq;, vt ſacra decet, contexere, neque veteres nobis fabulas cum ſalibus in medium adferre. Meos enim ſermones pomo Eridis confert, fortaſsis vt oſtentet, quantum ſibi ſapientiæ peculium comparârit, vnde & nos dictorum ſuorum multo maximi admiratores fieremus. Nam & eloquen-*

a *Ad Euoptium loc. laud. in Præfat.*

tiſſimum ſe declarat, & multifariam eruditum, vtpote qui pomum Eridos non ignoret, atque adeo neque Priami Paridem.

Num.44. *Demonſtratur vlterius vehementia S.Cyrilli.*

Vbi ita ſapientiſsimus præſul certamini non ſine piperatæ ironiæ ludibrio proluſit, mox collato pede illum aggreditur, cæſimque, ac punctim hoc pacto ferit. a *Quid agis, vir clare? Duras, & reſonantes eructas voces? Quid aduerſus veritatis dogmata iuueniliter dimicas? neque rectè, neque aptè dicta noſtra perſtringere præſumis, imò cum ſacris ſcripturis omnibus impudenter depugnas. Temerè loqueris homo, contendisq; ſenſu odibili, etiam nobis.* Satiſne hæc ſenticoſa? Imò molles violæ ac roſæ, præut alios ſentes, vrticos ac rubos plurimos identidem infligit. Nam imprudentiæ, mendacij, calumniæ, loquacitatis, ignorantiæ ac ſuperbiæ probris hominem liberaliter impertit. Quæris illius autographa? Eccilla. b *En clarus ille vir iterum ex fortuito occaſionem ſuæ contra nos impudentiæ corripiens. Sermonibus diſertus, & contemplationibus valens, verbum definiuit eſſe temperamenti ſignificatiuum, & dicere audet, & affert iniurias, quæ ex contemplatione fieri ſolent, quaſi nos ignoraremus, vel fortaſsis ſibiipſi placet, & verborum ornatu gaudet. Nihilq; aliud aſſequitur, quàm opinionem, quod poſſit prolixè loqui, & quòd nullum ab alio dictum tanquam verum recipiat, vt aliquis eſſe videatur apud eos, qui rectè dijudicare neſciunt, quiſnam fabuletur, & mentiatur, aut quis rectâ veritatis viâ incedat, & ſermonibus ſapientibus, & neceſſarijs vtatur. Nam & initio, fateor, credebam eum ſenſum ignorare capitulorum, fingere autem quaſi videatur*

a *Ibidem Anathem.1. Antitheti Cyrilli.*
b *Anathem 2 oppoſ. Cyrilli.*

vidiatur ignorare, & in hoc quibuſdam morem gerere; atqui nunc verè illum ea ignorare comperio. Et eodem ferè tenore paulò poſt a *Vide, obſecro, quomodo callidiſſimus iſte, qui obſcuritatem in dictis calumniatur; nimirum ipſe mentem non fulgidam, ſed tenebricoſam afferens. Ego verò cum admiratione deprehendo eius mentem ſubtili valere conſilio Solus enim nouit, vt videtur, quod à nullo, qui vſpiam ſit, ignoratur, & ſic protritum eſt, vt etiam his eluceſcat, qui nihil vel mundanæ, vel ſcholaſticæ ſapientiæ tenent, vel audiendo mediocriter, & negligenter didicerunt. Admiratus igitur eruditionem eius, illud dictum mecum repeto: Paulùm euigilans quaſi ex ſomno, & crapulâ, is, qui amplum os contra nos dilatat. Quid igitur nobis mendacium, tanquam murum inexpugnabilem, & inuictum opponit, & putria problemata tractat? Verùm illi non tanta cura eſt de veritatis dogmatibus, noſſe autem, quid in rebus vtendis neceſſarium ſit, non mediocriter ſtudet, vt ſi quid ad iniurias natum ſit, mendacijs illud veriſimiliter adornet, ſatis etiam ad calumniandum inſtructus, audiat à nobis: quid gloriaris in malitia, potens iniquitate? totâ die iniuſtitiam cogitauit lingua tua.*

a *Anathem. 3. contra d Cyrilli.*

Num. 46. *Auctarium acrimoniæ S Cyrilli.*

Ad hæc quanto etiam abſinthite imbuta, ac referta ſunt iſta, quæ vir ſanctiſſimus eidem Theodoreto impingit? *Vnde non blaſphemauimus*, inquit, a *in ſanctos Angelos, neque in Prophetas, ſicut ille nihil præter calumnias ſciens, auſus eſt dicere. Quia vero mens eius, & ſociorum eius eſt, vt vnum in duos Chriſtos diuidant, & illum quidem, vt glorificetur, & operandi vim recipiat, hunc verò, vt glorificet, & operetur:*

a *Anathemat. 9. oppoſ. Cyrilli.*

operetur: itaque carpunt inſipienter omnem ſermonem ſa-pium, ſeq; in partem tam malè ſentientium conſtituunt. Eapropter licet pietatis multum ſibi affingentes, vnum dicant eſſe Chriſtum, verè tamen duos eſſe putantes, audiant à nobis: Vſquequo claudicatis in duos poplites? Quemadmodum dicere auſi ſunt Neſtorianæ impietatis paraſiti. a *Sic impudenter & atrociter, imò vltra omnium impietatem currens laboribus virtutis conſummatum eſſe dicis, profeciſſeq; paulatim ad ſacerdotij dignitatem. O vocem audaciſſimam, & ſceleſtiſſimam! Quales ſufficient lacrymæ ad abluenda peccata his, qui talia ſentire volunt? Si recipis vnionem quomodo ignoraſti, quod ſermo tibi de Deo fuerit incarnato? Humiliauit ſemetipſum propter te, & irreligiosè exclamas: Propitius eſto tibi Domine, ne fiat tibi hoc. Igitur audias dicentem: Vade poſt me, ſatana, offendiculum mihi es.* Adeò contentè, inflammanterque Cyrillus hoſtilem omnem ſoluit obſidionem.

a *Anathem.* 10. *oppoſ. B. Cyrilli.*

Num. 47. *Theodoretus allucinatus eſt, in certamine cum S. Cyrillo.*

Ex quibus liquidò conſtat, quàm abſciſſo præfractoque ſcribendi genere duo illi magni omninò Antiſtites, alter in alterum ierint, ac pugnauerint. At fatendum neceſſariò eſt, Theodoretum eo tempore, quo illa Cyrilli capita refutare ac conuellere conatus eſt, apud ſe minimè habitâſſe, ſed perniciali amicitiæ cum Neſtorianis conglutinatæ abreptum turbine, ad inſanæ doctrinæ ſcopulos, comparatæ dudum virtutis nauem, vt Baronius a planum facit, temerè, miſereque fregiſſe, eiuſdemque in Cyrillum ſcripta Quintæ Synodi calculo fuiſſe damnata. Quanquam poſteà idem Theodoretus ex animo prorſus reſipuit, priſtinæq; religio-

a *Tom.* 5. *ad annum Domini* 431. *cap.* 13.

religionis ac ſanctitudinis documenta complura dedit, & cumulatè etiam redintegrauit, ob quæ deinde Chalcedonenſe Concilium, *a* ſexcentorum & ampliùs Epiſcoporum frequentiâ celeberrimum, cui & ipſe interfuit, grauiſſimo illum teſtimonio cohoneſtauit, vbi eum fauſtis honorificiſque acclamationibus excipiens, Catholicum, & Orthodoxum Eccleſiæ paſtorem, doctoremque appellauit.

a *Actione* 8.

Num. 48. *Pugnant quoque V. Petrus, & D. Bernardus, alter in alterum: D. Petri prærogatiuæ.*

Duos Græcos Epiſcopos acri diſceptatione inter ſe præliantes paulò antè ſpectauimus. Quid ſi iam duos etiam Latinos *Abbates*, geminoſque Religioſorum hominum Ordines in arenam deſcendentes, mutuoque ſibi publicatis Apologeticis dicam liberè incensèque ſcribentes oſtendo? En vltro obuiam ipſimet veniunt, hinc Petrus cognomento venerabilis, illinc Bernardus Claræ Vallis ſplendor; hinc Cluniacenſes, illinc Ciſtercienſes Monachi, vtrique ſub D. Benedicti ſignis æternæ vitæ ſtipendia merentes. De Petri illius exaggeratâ virtute & ſanctitate haud opus eſt plura congerere, quum ipſemet D. Bernardus, vir tantus, ad Eugenium Romanum Pontificem ſcribens, *a Vas electionis, plenum gratia & veritatis, plurimiſq; refertum bonis* eum eſſe, exertè teſtetur; quem *conuerſatione deuotum ac laudabilem*, nec non *regularis obſeruantia zelatorem* Ioannes Thritemius *b Benedictina* Alumnus familiæ memorat; quem *plenum virtutum ſcientiaq;* Cluniaci obijſſe Antonius Poſſeuinus

a *Epiſt* 277.
b *Lib de ſcriptor. Eccl ſ.*

ſeuinus *a* refert; quem inter Sanctos ſacri *Benedi-cti* Ordinis faſti VIII. Kalend Ianuarij recitant; quem Summi Pontifices Innocentius II. & Eugenius III. *venerabilis* titulo in varijs diplomatis decorant; quem literaria illius monimenta, quæ S. Petri venerabilis inſcriptione obſignata cernuntur multò magis diuino, quem efflant atque afflant, ſpiritu, quàm nomine, Sanctum vociferantur; quem denique grauiſſimus Purpuratorum Cæſar Baronius *b virum planè religioſiſſimum, Sanctoq; Bernardo (quantum humano iudicio ex ſcriptis, magisq; ex rebus ab eo præclarè geſtis intelligi poteſt) caritate non imparem* expreſsè pronuntiat.

a *In Apparatu ſacro Tom.3.* b *Tom. 12. ad annum Domini 1126. pag. 173.*

Num. 49. *Cluniacenſium Monachorum prærogatiua.*

Neque degeneres animos tam probato ſub ductore Monachi Cluniacenſes gerebant in pectore, aut deſides Religioſæ perfectionis opibus augendis velificabant; quorum maiores quum paulo ſuperiore ætate B. Petrus Damiani, Vaticanæ lux purpuræ, inuiſiſſet, penitusque introſpexiſſet, tantâ virentis excreſcentisque in illis Dei famulis virtutis admiratione captus, temperare ſibi non potuit, quin laudibus in aſtra illos extolleret, atque ampla hæc de ipſis præconia in tabulas quoque ad poſterorum memoriam teſtis oculatus inferret: *a Porrò autem, dum tam diſtrictum, tanquam frequentem ſanctæ veſtræ conuerſationis Ordinem recolo, non adinuentionis humanæ ſtudium, ſed ſancti Spiritûs magiſterium ineſſe perpendo. Nam tanta erat in ſeruandi Ordinis continuâ iugitate prolixitas: tanta præſertim in Eccleſiaſticis officijs protelabatur inſtantia, vt in*

a *Lib.6. Epiſt.5. ad Monachos Cluniacenſis Monaſterij.*

in ipſo cancri, ſiue leonis aſtu, quum longiores ſunt dies vix per totum diem vnius ſaltem vacaret hora dimidium, quo fratribus in clauſtro licuiſſet miſcere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc eſt, vt reor, ſolerti ſatu, ac prouidâ magiſterij arte prouiſum, vt leuium, atque infirmorum fratrum fragilitatem reprimat, & delinquendi propemodum occaſionem tollat, quatenus, etiamſi velint, præter cogitationem, peccare vix poſſint. Ne quis vero fortè cauſſetur, à Petri Damiani obitu Religioſorum Cluniacenſium diſciplinam ipſo temporum lapſu fuiſſe poſteà collapſam, atque ab auitâ illâ ſeueritate ſub D. Bernardi æuum longè deſciuiſſe; ipſemet venerabilis Petrus, trecentorum & amplius Monachorum moderator, ſuâ virtute intercedit, omnemque huiuſmodi exceptionem ſua vigilantiâ, doctrinâ, prudentiâ, vitæque admirabilitate perimit. Quis enim in gregarijs militibus ſocordiæ locus, vbi tanta in duce alacritas? quis in filijs torpori locus, vbi tantus in parente feruor? quis licentiæ aut luxui in ſubditis, vbi in Præſule tantum abſtinentiæ, demiſſionis ac reliquarum virtutum exemplum? Quod ſi qui forſan ex illis quoque ſuo inſtituto minùs congruenter degentes, colendo Numini, excolendoque animo ſegniùs ac languidiùs operabantur; vix diuinus ille vir pedem in ſacra illa clauſtra intulit, quum omnia, quæ fortaſſe dilapſa iam diffluxerant, arctioribus cœpit vincire legibus, ſeneſcentemque in nonnullis diſciplinam ad priſtinos mores paulatim reduxit, ideoque S. Bernardus Eugenio Summo Pontifici fidem facere non dubitauit eundem Petrum a *penè ab introitu ſuo in multis Ordinem ſuum melioraſſe; verbi gratiâ in obſeruantia ieiuniorum, ſilentij, indumentorum pretioſorum, & curioſorum.*

Num.

a *Epiſt.* 277.

Num. 50. *Ven. Petrus priſtina diſciplina reſtituit Cluniacenſes.*

Imò idemmet venerandus Antiſtes, refloreſcentis ſuo in *Cœnobio* religioſæ inſtitutionis Sator, atque Spectator, ſuos Monachos tam luculento nitori reſtitutos auctosque vidit, vt egregias illorum prærogatiuas ſingulari elogio explicare, & prædicare operæ pretium duxerit, quod ego hîc bonâ fide totidem planè verbis reddo. *Eſt autem*, inquit, *a Cluniacenſe Monaſterium religione, diſciplinâ, ſeueritate, fratrum numeroſitate, omniq; monaſtici Ordinis obſeruatione, toto penè Orbe notiſſimum, ſingulare, ac commune peccatorum refugium: per quod multa inferis damna illata, & regnis cœleſtibus quàm plurima lucra collata ſunt. Ibi innumera hominum multitudines graues mundi ſarcinas ab humeris ſuis abijcientes, ſuaui Chriſti iugo colla ſubmiſerunt. Ibi omnium profeſſionum, dignitatum, & Ordinum perſonæ faſtum, luxumq; ſecularem in humilem & pauperem Monachorum vitam commutauerunt. Ibi ipſarum Eccleſiarum venerabiles patres, etiam Eccleſiaſticorum negotiorum onera fugientes, tutiùs quietiùsq; viuere, magisq; ſubeſſe, quàm praeeſſe elegerunt. Ibi contra ſpirituales nequitias indefeſſum luctamen & implacabile, quotidianas victoriarum palmas Chriſti militibus praſtat. Huius loci habitatoribus continuâ concertatione carnem ſpiritui ſubijcientibus verè ſecundum Apoſtolum, a* Chriſtus viuere eſt, & mori lucrū. Vnde & venerabilis Petri, & Cluniacenſium Monachorum ſanctitudo ſatis dilucet.

a *Lib. 1. de miraculis cap. 9.* b *Phil. 1.*

Num. 51. *D. Bernardi, & Ciſtercienſium prærogatiua.*

Sed nihilo inferior Bernardi quoque, & Ciſtercienſium ſub eo militantium, innocentiæ, ac vitæ candor.

candor In illo admiranda virtutum omnium prodigia cum miraculorum portentis prope infinitis; pellaciſſima morum ſuauitas, cum imiciti pœnitentis viri ſibimet ſemper infenſi carnificinâ; vexandi corpuſculi pia conſtansque ſæuitia cum animi in libertatem ſpiritus aſſerendi extremo perenníque conatu perpetuo certârunt: fruſtraque ego hîc eum dilaudem, cuius famigerata ſanctitas iam totius Eccleſiæ ore populorumque omnium linguis vbique perſonat. De iſtis verò quid aliud exiſtimare poſſumus, niſi filios tanto parente dignos fuiſſe, cum illo virtutum omnium luminibus radiâſſe; cum illo aſſiduorum laborum tolerantiâ, diuina licitos eſſe ſolatia; cum illo religioſæ penſa diſciplinæ accurâſſe, atque abſoluiſſe? Vitam ab his miraculi inſtar, non humanam, ſed cœleſtem exactam, ipſemet D. Bernardus narrat, ac demiratur. *Quod maius*, inquit, *a miraculum, quando tot iuuenes, tot adoleſcentes tot nobiles; vniuerſi denique, quos hîc video, veluti in carcere aperto tenentur ſine vinculis, ſolo Dei timore confixi, quod in tanta perſeuerant afflictione pœnitentiæ vltra virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem? Ipſi, credo, videtis, quanta iam poſſemus inuenire miracula, ſi perſcrutari ſingillatim liceret ſingulorum exitum de Ægypto, & deſerti viam, id eſt abrenunciationem ſeculi, introitum monaſterij, in monaſterio conuerſationem. Quid verò ſunt hæc, niſi manifeſta inhabitantis in vobis Spiritûs ſancti argumenta?*

Num. 52 *Ciſtercienſes & Cluniacenſes mutuò colliduntur: S. Bernardus, & V. Petrus ſimul committuntur.*

Iam quis credat duos inter hos ſanctiſſimos Ordines, Ciſtercienſem & Cluniacenſem; tum inter vtriuſque familiæ Præſides item ſanctiſſimos

Bernar-

Bernardum, & Petrum venerabilem quicquam diſſenſionis, vllam litis, aut querelarum fibram oriri potuiſſe? exortas tamen has fuiſſe, atque vtrinque reciprocatas, indubitatum eſt, explicatèque Baronius ad annum Chriſti Domini cıↄcxxvı. commemorat. Diſcolores quippe vtriuſque Ordinis veſtes, Ciſtercienſium albæ, Cluniacenſium nigræ, anſam, neſcio quo improbo Dæmone, diſcordiarum omnium architecto, fabricante, præbuerunt, & concolores dudũ animos mutuò committendi; & ſimul, niſi incolumis atque inuicta ſemper mutua caritas obſtitiſſet, diuidendi. Vterque Ordo alterum religioſæ diſciplinæ inſuper habitæ ac temeratæ non ſemel poſtulare cœpit, vterque alteri legum ſanctiores à D. Benedicto olim fixas, deinde refixas euerſaſque exprobrare, plerique hinc, atque illinc, dum ſinguli acriter tuentur ſua, eodem ſtudio arietare aliena. Ita ex tenui ſcintillâ, vt fit, non modicum excitatur incendium, rumores crebri calent, atque adoleſcunt, ſermones frequentes per ora hominum etiam profanorum dantur, ac propagantur. Nec controuerſia ſolis verbis vnà cum aurâ euaneſcentibus circumſcribitur, ſed in tabulas quoque & libros, acutis armata calamis, it, lateque porrigitur. Nam venerabilis Petrus, vbi complures ſuo de Ordine, ac Monachis conqueſtiones, vel criminationes à Ciſtercienſibus vulgatas quotidie gliſcere animaduertit, è Republicâ demum exiſtimat illas ſcriptâ Apologiâ tempeſtiuè refellere ac comprimere. Mox omnia accuſationis, & querelarum capita ordine recenſet diligenter, cuncta tum generatim, tum ſingillatim ſuorum Monachorum nomine, diluit, totamque lucubrationem ipſimet D. Bernardo ſibi amiciſſimo ac familiariſſimo inſcribit & priſcâ fide curriculò etiam mittit. Quid porrò ad hanc Bernardus? num ſe Harpocratem

præſtat?

præſtat? an ad ſilentium obſtinatur? num regerere aliquid aut reponere, religioni habet? an obuiam calamo ire modeſtiæ dehoneſtamentum putat? Scilicet. Suſcipit ipſe quoque ſui patrocinium Ordinis, acceptæque Apologiæ aliam rependit Apologiam. Et ecce tibi duos ſanctiſſimos *Abbates* pro ſuis quemque Monachis ſanctimoniâ pariter inclytis inter ſe dimicantes. Sed quâ lege? quo modo? quo exemplo? Si vtramque illam concertationem luſtres, extemplo agnoſces à viris ſanctis eam amicè ſeri, & ſanctitatis radijs, etiam dum inuicem pugnant, micare; caritatem mutuam ſemper integram dictis bellè moderari, hanc eiuſmodi amicis velitationibus, vt *Cardinalis* Baronius notauit, minimè diſciſſam, ſed arctiùs ac tenaciùs ferruminatam. Nihilominùs huic quoque & caritati, & modeſtiæ, & ſanctitudini ſuam non deeſſe vehementiam, ſuum acetum, ſuoſque aculeos, faxo iam quilibet mecum deprehendat.

a *Ad annum Domini* 1126.

Num. 53. *Ciſtercienſes acriter à Cluniacenſibus percelluntur.*

Nunc finge, quæſo, à me aduocationem Cluniacenſibus commodante, Ciſtercienſes liberè nouos Phariſæos, vt aliorum contemptores, ita ſui oſtentatores appellari; arrogantiæ, & ſuperbiæ palàm inſimulari, quod cæteros Monachos omnes perditos, ſe ſolos cœli ſecuros arbitrentur, grauiter carpi. Sat ſcio notam petulantis dicacitatis hinc mihi de ſubito inurendam. Verùm hanc omninò delent, aut potiùs arcent ipſamet Petri ſanctiſſimi verba, quæ poſt enumerata cuncta accuſationum capita à Ciſtercienſibus edita ita ſubjicit. *a Adhuc noſtri. O, ô Phariſæorum nouum genus,*

a *Lib.* 1 *Epiſtol.* 28.

nus, rurſus mundo redditum! qui ſe à cæteris diuidentes, omnibus præferentes, dicunt, quod Propheta dicturos eos prædixit: Noli me tangere, quoniam mundus ego ſum. *Sed vt his, quæ in vltimis poſuiſtis, in primis reſpondeamus: dicite veri obſeruatores regulæ, quomodo vos eam tenere iactatis, qui nec breue illud capitulum, vt ipſis veſtris verbis oſtenditur, ſeruare curatis, quo dicitur, vt monachus omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm ſuâ linguâ pronuntiet, ſed etiam intimo cordis credat affectu? Hóccine eſt inferiorem ſe credere & pronuntiare, aliorum facta deprimere, ſua extollere, contemnere alios, ſibi magnum videri: quum Scriptura præcipiat;* a Quum feceritis omnia, quæ vobis præcepta ſunt, dicite: Serui inutiles ſumus? Non iuſtificabitur, *inquit Propheta,* b in conſpectu tuo omnis viuens. *Et Eſaias:* c Velut pannus menſtruatæ, omnes iuſtificationes noſtræ. *Et vos ſancti, vos ſingulares, vos in vniuerſo orbe verè Monachi, alijs omnibus falſis & perditis, ſecundùm nominis interpretationem, ſolos vos inter omnes conſtituitis: vnde & habitum inſoliti coloris prætenditis, & ad diſtinctionem cunctorum totius ferè mundi monachorum, inter nigros vos candidos oſtentatis. Et certè hæc veſtium nigredo, antiquitus humilitatis cauſſa à Patribus inuenta, quum à vobis reijcitur, meliores vos ipſis, candorem inuſitatũ præferendo iudicatis. De magno tamen illo, & admirabili, vereq; Monacho Martino non legitur, quòd albo & curto, ſed quòd nigro & pendulo pallio proceſſerit. Inde quoque & regulam, cuius defenſores magis, quàm obſeruatores videri vultis, valde tranſgredimini: qua iubente didiciſtis vt de veſtium colore aut groſſitudine non cauſſentur Monachi. Cuius manifeſtiſſimi præuaricatores eſſe conuincimini, qui colorem humilitati & abiectioni magis competentem abijcitis, & illum,*

a *Matth.*17. b *Pſal.*142. d *Eſai.*64.

illum, quo etiam in ſcripturis gaudium, & ſolemnitas figuratur, album ſcilicet, contra iam dicta regulæ mandata aſſumitis. Quumq́; in valle lacrymarum poſitos, quibus præcipitur, vt ſemper luctui, nunquam lætitiæ intendant, deceant veſtimenta luctum, & pœnitentiam deſignantia, vos è contra in miſerijs felicitatem, in mœrore gaudium, in luctu lætitiam, veſtium candore monſtratis.

Num. 54. *Ciſtercienſes etiam aliarum noxiarum aſperè poſtulantur à Cluniacenſibus.*

Quid ſi iam alius inconſultum conſilium atque inhumanitatem; iniuſtas reprehenſiones, & calumniarum machinationes, præpoſterum Phariſæorum morem; camelum deuorantium & culicem euiſcerantium, neglectum maiorum legum, leuiorum reuerentiam in ijſdem Ciſtercienſibus vituperet? vituperauit iam pridem Petrus ille ſanctimoniâ venerabilis. *Quod de tunica,* inquit, a *& cucullâ ſubſequitur, quàm diſcretè, quàm prouidè, quàm caritatiuè dixerit, quantumq́; à veſtra indiſcretionis inhumanitate diſcordauerit, ſi non perpendiſtis, tandem animaduertite.* b *Eapropter quoniam argui de præuaricatione non poſſumus: iniuſtè reprehendentes de non recta reprehenſione, rectius reprehendere poſſumus.* c *Ecce qui de iota vno, aut vno regulæ apice calumnias machinamini; inſurgite, irruite: inueniſtis, quid dicatis, quid obijciatis* d *Verè liquantes culicem, & camelum glutientes, decimantes mentham, & anetum, & ciminum:* e *& relinquentes, quæ ſunt grauiora legis, iudicium, & iuſtitiam, & veritatem. Sic quippe ſentientes quid aliud, quàm Deum verborum venatorem magis, quàm cordium ſcrutatorem eſſe, videri*

a *Ibidem pag.*1065. b *Pag.*1066. c *Ibidem.*
d *Pag.*1067. e *Matth.*22.

vultis? At ecce alius in iiſdem Ciſtercienſibus fortè vellicabit nouum contra totius Orbis fidem Euangelium, inſulſam interrogationem, expertem iudicij puerilitatem, iniurias D. Benedicto temerè irrogatas, ſuperbam ſuperſtitionem, caritatis & ſalutis animarum curam expectoratam, Sed hæc omnia iam dudum priùs idem ille Petrus ſanctiſſimus vellicauit. *Miramur,* inquit, *a valde miramur, vnde iſtud nouum Euangelium ortum eſt, quod contra totius Orbis fidem dimicat, & ſpem veniæ peccatoribus interdicit.* b *Sed dicite, qui hæc opponitis: vtrum ludo, an ſeriò hoc dicatis. Nam ſi ludo, frater à fratre deludi non debuit. Si ſeriò, inſulſa interrogatio deberet magis ſilentio contemni, niſi putaretur ei non poſſe reſponderi.* c *Et, ô homines puerorum more papiliones ſequentes! pugnantes, ſed non nos, ſed aërem verberantes: inania opponentes, diſcretionis matris virtutem ſemitam non ſequentes, & ideò à rectitudine itineris deuiantes.* d *Optimos certè B. Benedicti vos defenſores oſtenditis, cui defendendo maiores iniurias irrogatis. Iniurias verò irrogatis, quando ſic eum tentatis laudare, vti laudi aliorum Sanctorum videamini detrahere* e *Superbâ ſuperſtitione ſalutaribus monitis obtemperare dedignantur: nec contenti à iure caritatis ſe ſolùm ſubducere, alios ei parere cupientes, quâ valent inſtantiâ, ſua tentant tranſgreſſioni ſociare. Sic vos, ô Ciſtercienſes, agere, ſic caritati reſiſtere: ſic nec regulam, pro quâ vos certamini obieceratis, probamini tenere.* f *Nónne animorum ſalutem, atque idcircò caritatem negligitis, quando fratribus neceſſaria negatis, quando eos frigore, vſu pellicearum negato, affligitis, quando hac violentiâ (nam multi veſtrum hoc inuiti ſuſtinent) eos vel ad murmurationem, vel ad fugam compellitis? Sed & ſi ſunt aliqui, qui hoc quoque modo ſuſtineant, procedente*

a *Pag.* 1068. b *Pag.* 1071. c *Ibid.*
d *Pag.* 1088. e *Pag.* 1091. f *Pag.* 1093.

dente tempore corrupti morbis, ſanitatem frigore perdunt, & languidi ſæpe perpetuo facti, Deo ſeruire nequeunt.

Num. 54. *Alijs quoque nominibus vituperantur Ciſtercienſes à Cluniacenſibus.*

Hæc & alia permulta vir ſanctiſſimus eàdem ſpiritûs libertate atque acrimoniâ in Monachis Ciſtercienſibus illâ *Epiſtolâ* 28, iam laudatâ, & rurſum *Epiſtolâ* 17. *lib.* 4. perſtringit. Imò non tantum de *Benedictina* Regulæ ſitu ac torpore, ſed de negatâ quoque cuiuſdam debiti ſolutione eoſdem Ciſtercienſes *Epiſtolâ* 36 *lib.* 1. grauiter arguit; *Maledicis detrahendi occaſionem* eorum culpâ *datam, famam læſam, caritatemq́ue periclitari* apertè expoſtulat; *vno verbo, velut vno iaculo amicorum pariter & æmulorum pectora* ab eis *terebrata, Epiſcopos, Clericos, Abbates, Monachos, ipſos etiam Laicos aduersùm eos* agmine facto *concitatos* feriò denuntiat. *Nec potuit ſatanas nequitia ſua vtilius inuenire conſilium* (ſubdit) *quàm vt eos, quos mundus admirabitur, ne admirans imitaretur, notâ cupiditatis inureret: & alios læſionis ſuæ dolore ſtimulatos, ab eorum amore reuocaret.* Quid quòd integerrimus Præſul non ſolos Ciſtercienſes Monachos, ſed Cluniacenſes quoque, hoc eſt, ſuos, vtroſque ſimul de mutuo inter eos diſſidio ſeuerè obiurgat? *Quum ſis igitur ſub vno Paſtore Ieſu Chriſto,* inquit, a *quum habites in vno ouili Eccleſia, quum ex vna viuas æternorum fide, & ſpe: tam tu albe, quàm tu niger Monache, quid de varijs velleribus, vt parum auſteriùs loquar, ſtultiſſimæ oues cauſſamini? Quid tam nulla, imò tam ſtultâ de cauſâ contra vos ad inuicem mouemini? Cur tam puerili occaſione primam illam ſtolam caritatis ſcindi-*

a *Lib.* 4. *Epiſt.* 17.

tis? Cur ipſa habitacula ſeparatis? Cur vos ipſos non ium ouino, ſed lupino dente mordetis? Cur detrahitis? cur laceratis? Videte, cauete, ne hoc nomen innocentiæ, quo oues nuncupemini, non de illis vos faciat, quas poſiturus eſt Summus Paſtor à dextris, & de quibus ipſe ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus agnoſco eas, & ſequentur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribit in æternum. *Sed, quod abſit, inter illas vos conſtituet, de quibus legitur, & cantatur* Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. *Cernitis adhuc ſtultam eſſe cauſſam, de colore diſputare? Damnabilem, fratrem pro colore odire? Peſſimam, fratri pro colore detrahere? &c.*

Num. 56. *S. Bernardi libera ac piperata Apologia, generatim culpans laxatam Cluniacenſium diſciplinam.*

Nunc equidem honeſtiſſimâ quadam curioſitate reſciſcendi titillor, cuiuſmodi tandem vices hiſce atque alijs tanto cum pipere à D. Petro Cluniacenſi exaratis S. Bernardus ille melligenus, atque è mulſo totus, reddiderit. Apologiam apologiâ repercuſſam iam anteà præmonui. Sed quali, placidáne, an acidâ; leni, an triſti; miti, an auſterâ, nunc quæro. At non opus multis. ipſámet manſuetiſſimi ſimulque feruentiſſimi Antiſtitis oratio liberam ſe, acrem, deſtrictámque prodit, dubiumque omne atque hæſitationem ita de medio tollit. *Abſit*, inquit, *a vt credam tantas eos* (nempe Sanctos Patres) *quantos video in pleriſque monaſterijs, vanitates, ac ſuperfluitates præcepiſſe, vel conceſſiſſe. Miror enim, vnde inter Monachos tanta intemperantia in comeſſationibus, & potationibus, in veſtimentis,*

a *Apologia ad Gulielmum Abbatem S. Theodorici.*

ſtimentis, & lectiſternis, & equitaturis, & conſtruendis ædificijs inoleſcere potuit, quatenus vbi hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius fiunt, ibi Ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. E contra remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities veſtimentorum, & equorum faſtus honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus munditia. Cumq; hæc alterutrum impendimus, caritas appellatur. Iſta caritas deſtruit caritatem, hac diſcretio diſcretionem confundit, talis miſericordia crudelitate plena eſt, qua videlicet ita corpori ſeruitur, vt anima ſuguletur. Quæ enim caritas eſt, carnem diligere, & ſpiritum negligere? Quæue diſcretio, totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò miſericordia, ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiuſmodi miſericordia ſperet ſe conſequi miſericordiam, quæ miſericordibus promittitur in Euangelio, veritatis ore dicentis: a Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; *ſed certiſſimè potiùs pœnam expectet, quam tali (vt ita dicam) impio miſericordi ſanctus Iob, magis prophetizando, quàm affectando, imprecatur:* Non ſit, *inquiens*, b in recordatione, ſed conteratur, quaſi lignum infructuoſum.

a *Matth.* 5. b *Iob.* 24.

Num. 57. *Gulæ irritamenta exprobrat Cluniacenſibus Bernardus: item ſomni torporem, & veſtium luxum.*

Multus deinde Bernardus eſt in gulæ irritamentis, prandijque corruptelis, quæ in iiſdem Cluniacenſibus culpat, explodendis. *Nihil*, ait, *de Scripturis, nibil de ſalute agitur animarum, ſed*

nuga, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantùm aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum neſcias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur. Ipſa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, vt non minùs aſpectus, quàm guſtus delectetur; & quum iam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, nec tum tamen curioſitas ſatiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum ſaporibus illiciuntur, infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur, quàm reficitur. Pudet dicere, ſed magis pudeat actitari: & ſi pudet audiri, non pudeat emendari. Videas vno in prandio ter vel quater ſemiplenum calicem reportari, quatenus diuerſis vinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam hauſtis, quàm attactis, ſagaci probatione, & celeri cognitione vnum tandem è pluribus, quod fortius ſit, eligatur. Quale eſt autem illud, quod nonnulla monaſteria ex more obſeruare dicuntur, in magnis videlicet feſtis delibuta melle, pigmentorum reſperſa pulueribus, in conuentu bibere? Pergit poſteà alia in faciem iiſdem ingerere. *Quid hoc ignauiæ eſt, ô boni milites? Socijs in ſanguine, & cæde verſantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut ſomnos capitis matutinos? Alijs, inquam, nocte, & die curâ peruigili feſtinantibus, redimere tempus, quoniam dies mali ſunt; vos è contrario & longas noctes dormitanda conſumitis, & dies fabulando ducitis ocioſos? An dicitis pax, & non eſt pax? Cur non verecundamini ad exprobrationem Apoſtolicæ indignationis,* Nondum enim, *ais*, a reſtitiſtis vſq; ad ſanguinem. *Imò iam ad eiuſdem terribilis valde comminationis tonitruum, cur non expergiſcimini?* Quum dixerint, *inquit*, b pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habens

a *Hebraeor.* 12. b 1. *Theſſal.* 5.

habentis, & non effugient. *Delicata nimis medicina eſt priùs alligari, quàm vulnerari: membrum non percuſſum plangere, & needum ſuſcepto ictu admouere manum, fouere vnguento vbi non dolet; emplaſtrum adhibere, vbi caſura non eſt. Ad diſcernendum deinde inter ſanos, & malè habentes, baculos in manibus portare iubentur ægrotantes, planè neceſſarios, vt quam pallor in vultu, macieſq; non indicat, baculus ſuſtentans mentiatur inualetudinem. Ridendas, an lugendas dixerim huiuſmodi ineptias? ſic Macarius vixit? ſic Baſilius docuit? ſic Antonius inſtituit? ſic Patres in Ægypto conuerſati ſunt? ſic denique Sancti Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos ſe ſui vtique Ordinis principes, & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri cenſuerunt? ſed hi omnes ſi Sancti, imò quia Sancti fuerunt, à ſancto Apoſtolo non diſſenſerunt, qui nimirum ita loquitur:* a Habentes victum, & veſtitũ, his contenti ſim' s. *Nobis autem eſt pro victu ſatietas, nec veſtitum appetimus, ſed ornatum. Quæritur ad induendum, non quod vtilius, ſed quod ſubtilius inuenitur: non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat; non denique (iuxta regulam) quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtiùs, imò vaniùs oſtentari.*

a 1. *Timoth.* 6.

Num. 58. *Pleraque alia exprobrat Cluniacenſibus Bernardus.*

Hæc, vt liquet, non ex Ambroſiâ ſunt hauſta, ſed multo aceto reſperſa; quibus nihilo dulciora, quæ paulò pòſt non molli agitat brachio. *Fuſi ſumus exteriùs, & de regno Dei (quod intra nos eſt) redictis veris, ac perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolationem de vanitatibus, & inſaniis falſis, ac iam religionis antiquæ non ſolùm virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus. Ecce enim habitus noſter (quod*

& dolens dico) qui humilitatis eſſe ſolebat inſigne, à Monachis temporis noſtri in ſignum geſtatur ſuperbia. Vix iam in noſtris prouincijs inuenimus, quo veſtiri dignemur. Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur ſibi cucullam, & chlamydem. Quiuis de ſeculo quantumlibet honoratus, etiamſi ſit Rex, etiamſi Imperator ille fuerit, non tamen noſtra horrebit ille indumenta, ſi ſuo ſibi modo præparata fuerint, & aptata. Dicam dicã, præſumptuoſus dicar, ſed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata eſt? Quomodo ſal terræ infatuatum eſt? Quorum nobis vita, vita vitæ debuit eſſe; dum exemplum in actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt, duces cæcorum. Quod enim (vt cætera taceam) ſpecimen humilitatis eſt cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum ſtipari obſequijs, quatenus duobus Epiſcopis vnius Abbatis multitudo ſufficiat? Mentior, ſi non vidi Abbatem ſexaginta equos & eo ampliùs in ſuo ducere comitatu. Dicas, ſi videas eos tranſeuntes, non patres eſſe monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum; non rectores animarum, ſed principes prouinciarum. Tum deinde geſtari iubentur mappulæ, ſcyphi, bacini, candelabra, & manticæ ſuffarcinatæ, non ſtramentis, ſed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à ſua quiſpiam domo recedit, niſi cum tota ſupellectili ſua, tanquam ſi vel iturus ad exercitum, vel tranſiturus per deſertum, vbi non valeant inueniri neceſſaria. An non poſſet eodem vaſculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi? An non poſſet ardens lucere lucerna, niſi in tuo, quod portas, candelabro, & hoc aureo, vel argenteo? An non poſſet dormire, niſi ſuper varium ſtratum, aut ſub peregrino coopertorio? Quo ſanè ſtylo, abſciſſo nempe ac Stoico, Bernardus nonnullos è Cluniacenſibus Monachis à cæterorum adultâ virtute tum fortè deuios, ac Dei in obſequio dormitantes validè ad finem vſque operis fodicat, ignaueque ſtertentes deſide è veterno contentè excitat, & iure quidẽ optimo.

Num.

Num. 59. *Animaduerſio in duas commemoratas Apologias, Bernardi & Petri.*

Ex quibus teſſeris mutuò collatis abundè, vt reor, perſpectum iam eſt, duos ſanctos Præſules, duosque ſanctos Ordines, Dei famulis pariter Sanctis refertos, etſi caritate ſimul arctè fœderatos, nihiloſecius dictis, & calamis, amicis quidem, at vnà quoque præacutis, & rigidis inter ſe eſſe præliatos. Quanquam verò alij alijs pleraſque, vt vidimus, vitioſitates obijciút, & caritatis vel euerſæ, vel lapſabundæ, vel luxatæ ſeſe viciſſim inſimulant, tantum tamen abeſt, vt hæc ab eis diſſuta ſit, vt eiuſmodi turbellis multo etiam magis inter illos, quemadmodum rectè Baronius antè laudatus admonuit, coaluerit, ac perennârit. Nec mirum profectò, in Religioſis quoq; familijs quamuis ſanctiſſimis non omnia tamen ab omnibus ſanctiſſimè peragi, ſed nunquam ferè deeſſe aliquos à cæterorum caſtigatiſſimis moribus diſcrepantes, qui vt cenſurâ digni, ita monitore, atque obiurgatore opus habeant. Quocirca tam D. Bernardus in aliquibus Cluniacenſium, quam Petrus Venerabilis in nonnullis Ciſtercienſium, quæ Religioſæ vitæ profeſſionem dedecere videbantur, non minùs iuſtè, ſanctèque, quàm acriter, & ſeuerè reprehenderunt, vt ex Apologiâ eiuſdem Bernardi integrè perlectâ, nec non ex libatis iam ſuprà eiuſdem Petri Epiſtolis 17. ac 28. non quidem laciniatim, vt hîc, ſed continenter ad calcem vſque luſtratis, facilè cuiuis conſtare poteſt.

§. VII.

Idem vſus Ruffini ac Hieronymi documentis illuſtratus.

Num. 60. *Ruffinus præſtans Vir.*

Duobus Epiſcopis geminiſque *Abbatibus* hactenus in arenâ mutuò luctatis, placet modò duos quoque *Presbyteros* Ruffinum Aquileienſem, & Hieronymum Stridonenſem, mutuis etiam concertationibus Orbi dudum conſpicuos, ſimili in palæſtrâ ſuccenturiare. Erat Ruffinus *a* non ſolùm *Presbyter*, ſed etiam, vt ex Hieronymo docet Baronius, *b* inſignis Monachus, ipſi quoque Hieronymo amicitiâ, vt ex Epiſtola 41. eiuſdem Hieronymi *c* paret, traditque idem Baronius, *d* coniunctiſſimus, tum virtutum exemplis, vt refert Palladius, adeò diues, vt in Palæſtina luſtris ampliùs quinque cum Melaniâ præclarè exactis, cætera vitæ honeſtamenta illo quoque locupletârit auctario, vt quingentos Monachos Paulini Epiſcopi Antiocheni factione ab Eccleſiâ auulſos, ab errore retraxerit, nec non plurimos alios peruerſarum ſectarum pediſequos in veritatis ſemitam reuocârit.

a *In Chronico.* b *Anno Domini 372.*
c *Ibidem.* d *Apud Baronium anno Domini 393.*

Num. 61. *Ruffinus derepente ſæuit in D. Hieronymum.*

At in Italiam redux iam planè ſenex, neſcio quas graues offenſas à Hieronymo acceptas falsò, vt reuincit ex D. Epiphanio Baronius, *a* cauſſatus, veterem amicitiam tam ſolidè priùs cohærentem ſenſim diduxit, tandemque, ternis in eum libris,

a *Ibid.*

quos

quos Apologiæ fucauit nomine, reapſe totidem peracerbis *inuectiuis*, vt hodie etiamnum duo illa, quæ reſtant, volumina inſcripta habemus, conceptis, clanculumque editis, omninò præcidit. Quàm turbinatis verò mucronibus, quàm ſæuis contis ac ſudibus inexpectatus hic hoſtis in Diuum Hieronymum cùm ſibi cariſſimum incurrerit, hæc, quæ ex illius monumentis leui manu decerpo, ſcommata, ac dicteria, manifeſtò oſtendunt. Sic initio ferè ille proludit. a *Quod ait ſe non reddere maledictum pro maledicto, hoc ſatis verum eſt: non enim pro maledictis, ſed pro benedictis, & laudibus conuicia & maledicta reſtituit. Neque, vt ait, verberanti dexteram maxillam, offert alteram; ſed palpanti, & lauiganti maxillam, morſum improuiſi dentis infigit.* Poſt hæc nimbum aculeorum in canum ac venerandum, illum ſenem effundit. *Imò verò*, inquit, *vt in me deſæuiat, nec inſtitutori ſuo parcit, dum putat ſe ex his, quos interpretatus ſum, libellis eius, poſſe in me aliquid calumniæ retorquere. Hoc ſi in foro poſitus, vel negotijs ſecularibus commiſiſſet iſte, qui de monaſterio Romam, quaſi calumniandi peritiſsimus, miſſus eſt; nôrunt omnes, quid conſequeretur ex legibus publicis, eiuſmodi criminis reus. Nunc verò, quia ſecularem vitam reliquit, & à tergiuerſatione illâ actuum publicorum ad monaſteriū conuerſus eſt, & adhæſit magiſtro nobili, ab ipſo edocetur iterum pro modeſtiâ furere, inſanire; pro quiete, ſeditiones mouere; pro pace mouere bellum; pro concordiâ, mouere diſſidia; perfidus eſſe pro fide, pro veritate falſarius. Crede mihi, quòd huius ſceleris nequitia etiam verum fuiſſet exemplar, niſi Iezabel tibi illa occurriſſet. Mulieres tamen illæ, quas tam indignis, & inhoneſtis contumelijs laceràſti, exhibebunt ante tribunal Chriſti & hæc, quæ in his commentarijs doces, & illa, quæ oblitus tui, rurſum cum contu-*

a *Lib. 1. Inuectiu. ad Apronianum Tom. 4. vel. 9. apud Hieronymum.*

melijs ſcribis, & ibi vtraque recitabuntur, vbi ceſſabit iam fauor hominum, & redempti laudibus plauſus ſilebunt, & tecum pro his vel dictis, vel geſtis tuis iudicabuntur apud iuſtum iudicem Christum. Hinc emittit inceſſabiliter canes ſuos, qui me per vrbes, per vicos, per iter quoque tranſeuntem calumniarum latratibus inſectentur, & fanda aduerſum me omnia, atque infanda tentantur.

Num. 62. *Amaram ironiam in Hieronymum vibrat Ruffinus.*

Quid prætereà? obſerua immitem, quam per felleam ironiam fingit, indulgentiam. *Sed parcamus,* ait, *iam deferendum eſt literis, &, vt ipſe ait, operi magno ſomnus non eſt aſcribendus; quanquam ipſe parcat nemini, & non tam ratione dictorum, quàm flagello linguæ, quos libitum fuerit; & ſi quis minùs adulabitur, continuò hæreticus & ſcriptis, & miſſis per diuerſa centum codicibus deſignetur. Demus ergo veniam ei, qui dare veniam neſcit, qui ſine vllo humanitatis reſpectu de dictis alterius iudicat, & interim educamus eum de ſpelunca, vſquequo ad illam incidat, de qua etiam ſi omnes conemur, & cupiamus, exire non poſſit.* Neque hilo blandiora pœnitentiæ ludibria, quæ multo poſt addit. *Vides,* inquit, *quia totum cum irriſione agis, & pœnitere te ideò dicis, vt fallas eos, quibus ſcribis? Nam & ſi verè te pœniteat, vt debet, quid facies propter omnes illas animas, quas per tot annos hac tua tam venenata (vt ipſe ais) doctrina decepiſti? Denique quis vnquam per tuam pœnitentiam emendabitur, quam iſte ipſe libellus, in quo & pœnitens, & accuſator, & iudex es, auditores tuos rurſum ad hæc ipſa & legenda, & tenenda tranſmittat.* Hæc, & compluria alia in priore illâ *inuectiua* deridicula quouis mœrore triſtiora, ad viri ſanctiſſimi ludificationem adornata leguntur.

Num. 63. *Alia aſperiora quoque intorquet Ruffinus.*

An verò lenius quicquam, aut moderatius in poſteriore? ſcilicet. Omnia iocis, omnia ſarcaſmis, omnia Sardonico riſu, omnia Rhinocerotis naſo farta, fœta, fœcunda ſunt. Quid enim hæc ſonant? quid ingerunt? *Ego autem qualiter apud iſtum ſacratiſsima ſit huius non dogmatis, ſed fœdiſsimi, & veriſsimi vitÿ obſeruantia, iterum ex ſcriptis eius probabo. Doleo frater, ſi credis; & ſi non credis, doleo te ſuſpiciones alieni periurÿ in antiquis, & veterulis chartulis perſcrutari, quum in tuo ore ingis, ac ſine fine periurÿ inexplicabile ſacrilegium perſeueret. Nónne rectè tibi conueniet dici, quod Apoſtolus dicit:* a *Tu autem, qui Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege. & gloriaris in Deo, inſtructus per legem, confidis teipſum ducem eſſe cæcorum: lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo doces alium, teipſum non doces? Qui dicis non mœchandum mœcharis? Qui prædicas non furandum furaris? Qui abominaris idola, ſacrilegium periurij committis? Et quod eſt vltimum, & grauiſsimum, nomen Dei per te, & φιλονεικίαν tuam blaſphematur inter gentes.* Quaſi verò iſta parum adhuc acida forent, vide, quid infrà ſubdat. *Illud eſt reuerà,* inquit, *vnde te defendere, aut excuſare non poſſum; quòd non ſolùm gentiliter, verùm & ſuper omnem gentilitatem, imò impietatem à te dictum probatur; quod in hoc ipſo libello, cuius ſuperiùs fecimus mentionem; Deum ſocrum habere dixiſti.* At allucinatur Ruffinus. Scilicet Poëtæ, qui Deos ſuos adulteros, & mulieroſos palàm venditant, religioni habebunt, ſocrum alicui eorum affingere. Iuno certè apud Virgilium Æn. 1. Iouis & *Soror* & *Coniux* dicitur.

N. 7 Et

a *Rom. 2.*

Et quid tam impium, vel profanum à quoquam gentilium poëtarum ſaltem dici potuit? Stultum eſt enim, ſi requiram de te, vbi hoc in Scripturis ſanctis legeris. Quaro, ſi vel Flaccus tuus, aut Maro, ſi Plautus Comicus, aut Terentius certè, ſi vel Satyricus quis inter omnia ſpurca ſua, & impudica iſtud nefas in Deum ex ore ſuo protulerit. Sed tu, dum non Paulum, ſed Porphyrium introductorem te habere gloriaris, ipſum Porphyrium ſequendo, qui aduersùm Chriſtum, & aduersùm Deum libros impios & ſacrilegos ſcripſit, & ab ipſo, vt ais, introductus in iſtud blaſphemiæ barathrum decidiſti. Quod ſi verè pro maledictis tuis vis agere pœnitentiam, ſi non irrides iſta dicendo; ſi non mente φιλόνεικ@· *& contentioſus propter hoc ſolùm etiam te infamare non refugis, dummodo alium decolores: ſi non arte, ſed fide dictorum tuorum pœnitudinem egeris, pro hac tam graui, turpiq; blaſphemiâ age pœnitentiam. hinc enim in Deum blaſphemaſti.* Et quid, obſecro, hiſce ſpiculis nocentius, aut atrocius?

Num. 64. *Infanda Hieronymo, vitio vertere non dubitauit Ruffinus.*

Neque tamen hic finis. Quàm præfracta etiam, ac tetrica illâ, quæ actutum euomit! *Vides, quia nuſquam cura veritatis, ac fidei,* inquit, *nuſquam religionis, ac iudicij contemplatio; ſed ſola malè loquendi & lacerandi fratres exercitata libido verſatur in lingua; ſola in corde humana contentio; ſola inuidia, & liuor in mente; in tantum, vt cum odiorum tibi cauſſa non eſſet, cognominatum te à me fratrem & collegam, licet cum præconio, indignanter acciperes. Ignoſce mihi, quod neſciebam te* ακατωνόμαςον *dici, & incompellabilem nominari. Nunc verò ſciens, quia ſi legantur ea, quæ reprehendis, nota retorquebitur in eum, qui culpat iniuſtè; ea quidem, quæ reprehendis non profero; tua autem illa cenſoriâ virgula, & arroganti*

auctori-

ſeritate decernis: ille arceatur à bibliothecis, ille recipiatur; & iterum iſte ipſe, qui hodie receptus eſt, craſtino, ſi eum alius præter me laudauerit, eijciatur. & cum illo ipſe; qui laudauit. Hic autem Catholicus habeatur, etiamſi aliquando videatur erraſſe: illi erroris venia non detur, etiamſi ea dicat, quæ ego dixi; & neque interpretetur quis eum, neque legat, ne quis mea furta cognoſcat. Hic Hæreticus quidem, ſed magiſter. Et hic, licet Iudæus ſit, & de Synagoga ſatanæ conductus verba vendat ad pretium: tamen magiſter eſt, & præferatur omnibus, quia apud ipſos ſolùm Scripturarum veritas permanet. Tuum igitur, frater, tuum iſtud eſt factum, nec quenquam nunc te in hoc comitem, vel ſocium in Eccleſia habuiſſe certum eſt, niſi iſtum ſolum, quem frequenter commemoras, Barrabam. Quis enim alius auderet ab Apoſtolis tradita Eccleſiæ inſtrumenta temerare, niſi Iudaicus ſpiritus? Illi te, ô mi frater, antequam à Iudæis capereris, cariſſime, illi te in hæc mala præcipitant. Illi te libellis editis, notas infligere Chriſtianis, illi te nec martyribus parcere faciunt: & de omni Chriſtianorum ordine fanda atque nefanda ſcribere, turbare pacem noſtram, ſcandala Eccleſiæ generare. Illi etiam aduerſùm teipſum, & ſcripta tua, quæ quaſi Chriſtianus aliquando locutus ſis, cogunt ferre ſententiam. Et ideò tibi omnes ſordemus, dum illi peſſimis ſuis artibus tibi nimium placent. Atque plura. Specimen nimio certius iſtis ex lœdorijs, quàm Tragico furore Ruffinus in D. Hieronymum debacchatus ſit, ſuppetit.

Num. 65. *Patientiæ ſilentis rationes D. Hieronymo indicantur.*

Nunc quæ tuæ partes erunt, Doctorum omnium eloquentiſſime! Vbi hæc à Ruffino in te ſcripta intelliges, quid tecum decernes? quid molieris? Noui equidem genium tibi à naturâ inditum no-

vſque-

vſque adeò delicatum & mollem, ſed virilem ac fortem, non ſtupidum, ſed vegetum; non aquaticum, ſed igneum. At noui etiam religionis, pietatis, temperantiæ, ac tui demiſſionis ſtudia, tuo pectori impreſſa medullitus. Quare vide etiam atque etiam, quid agas; quid aggrediaris, expende. Sacerdos es, Monachus es. Luculenta Chriſtianæ diſciplinæ monita, & conſilia ad virgines, ad viduas, ad cœlibes, ad *Clericos*, ad Præſules, ad Monachos, ad omne hominum genus præclarè ſcripſiſti; ſacroſanctis literis vertendis, verſandis, volutandiſque conſenuiſti; plurimis religioſæ vitæ exemplis toto Orbe, vel ab ipsâ tuâ ſolitudine hactenus ſpectatiſſimus, edecumatæ virtutis vir ſemper audijſti. Quid ergo mortales à te in præſens niſi rara tolerantiæ documenta præſtolentur? quos quantoſque in Chriſti interiore philoſophiâ proceſſus effeceris, vigilatè, curioſèque obſeruabunt cuncti, quidúe bonæ frugis ex tam diuite diuinæ tuæ ſapientiæ gazâ tuos in mores deriuâris; hocce occaſionis articulo tanquam decretorio, certò exploratum iri, quiſque ſibi perſuadebit. Quàm illuſtri proinde patientiæ non oſtentatione, ſed exercitatione Orbem tibi demereres, ſi cuncta iſta in te vulgata probra interrito atque imperturbato ore ſorberes, ſi ſurdis auribus excuteres, ſi multâ linguâ calamoque exciperes, atque in Chriſti Domini latere, eiuſdem gratiâ, probè concoqueres? Quòd ſi fortè tantum à te impetrare nequeo, & neſcio quæ maioris boni ratio ad tui patrocinium te ſolicitat, vel etiam adigit: At ſaltem accuratè diſquire, quâ tandem orationis formâ in tui propugnatione tibi vtendum ſit. Satage verò in primis, vt modeſtiæ ſcita tibi vbique antiqua ſint, nuſpiam antiquata. Verborum lenitas ac ſuauitas vinciat aduerſarium, eoque ſimul vincat, & ſubigat; non acerbitas ac vehementia

magis exaſperet, atque in furorem agat præcipitem.

Num. 66. *Iure reijciuntur ab Hieronymo, ſilendi rationes allatæ.*

At cui ego has affanias oggero? cui has nænias & ſomnia intempeſtiuè garrio? Hieronymo illi, ſenili etiam in corpore tam erectos maſculosque virtutis ſpiritus gerenti atque alenti? Atqui iam illum intercedentem, grauiterque ſic reclamantem exaudio: faceſſant iſtæc ignaua, & pernicioſa ſilentia, valeat adulterinæ larua modeſtiæ, abeat noxiæ indulgentiæ, ac tolerantiæ fucatus obtentus. In ferreæ quippe frontis obtrectatorem non molles lento de vimine calathi, lilijs violiſue onuſti, ſed dura ſtrigilis ac nouacula expedienda. Modeſtiæ enim tum litatur maximè, quum immodeſtia nauiter, acriterque euerberatur. Quamobrem vbi ſanctiſſimus Doctor, quid contra ſe à Ruffino elucubratum, ex Pauliniano alijsque primùm, deinde ex ipſiſmet illis Satyris ad ſe miſſis cognoſcit; duos confeſtim Apologiæ libros in illum conflat, acceptisque principio illis rumoribus reponit: poſteà verò inſpectis iam ipſiſmet criminationibus addit & tertium; in quibus quanto ſtyli ardore, quanto dictionis impetu, quanta Scripturæ incitatione ac vi audacem eum inſanumque accuſatorem feriat, planèque frangat, nolo ego, fidem, lector, niſi ipſiſſimis viri ſanctiſſimi verbis habeas.

Num. 67. *D. Hieronymus in Ruffinum ſtylum acuit.*

Ineptiæne primùm atque inſcitiæ notas deſideras? *Neſcio* (inquit) *quomodo homo acutus, & prudens ad has ineptias deuolwaris.* *Imperitiam autem*

a *Lib. 3.*

tuam,

tuam, non tam ſtultus eram, vt reprehenderem, quam nemo poteſt fortiùs accuſare, quàm tu ipſe, dum ſcribis. Et infrà; *a Sed maiore impudentiâ, quàm imperitiâ dicis me negare.* Vis inuidiæ & calumniæ flagitia? in promptu ſunt. *Præter te nemo nec inuidet, nec calumniatur.* Rurſumque: *b Et miramur, ſi me homunculum parui pretij Origenis laudatorem velis, quum martyrij calumniam feceris.* Quibus & illa conſentiunt: *c In defenſionem ſui mihi rurſum calumniam ſtruit, tantumq́; me diligit, vt raptus turbine, & in profunda demerſus, meum potiſſimùm inuadat pedem.* Et paulò pòſt: *Ne more ſolito mihi & in his calumniam ſtruas.* Adde etiam temeritatis & mendacij vitia acerbè perſtricta. Temeritatis in his: *d Ego per tot annos tam multa conuertens nunquam ſcandalo fui: tu ad primum & ſolum opus, ignotus priùs, temeritate factus es nobilis.* Nec minùs acidè poſteà: *e Quo non perueniet ſemel effrænata temeritas. f Simulq́; admiror, quâ temeritate audeas dicere.* Iam mendaciorum labem ei adſitam cape. *Habet licentiam*, inquit; *g quicquid voluerit mentiendi.* Deinde: *h Obſecro te vt verecundiam, & pudorem, quem à me exigis, prior ipſe exhibeas, & qui mendacij alterum criminaris, deſinas ipſe mentiri.* Et paucis interiectis verſibus; *i Vſque adeóne obdurâſti frontem tuam, vt mendacium ponas ſpem tuam?* Et mox; *Ex quo appàret te voluntatem habere mentiendi, artem fingendi non habere.*

a *Lib.2.* b *Lib.1.* c *Lib.2.* d *Lib.1.*
e *Lib.2.* f *Lib.3.* g *Lib.2.* h *Lib.3.*
i *Iſai 28.*

Num. 68. *Stomachum quoque erumpit in Ruffinum Hieronymus.*

Eodem quoque modo non mendacijs ſolùm, ſed inſaniæ etiam, atque impudentiæ maculis ipſum deturpat; *Intellexi*, inquit, *a illud Salomonis*

in te

in te eſſe completum. In ore ſtulti baculus contumeliæ. *Et Eſaias*; Fatuus, *inquit*, fatua loquetur, & cor eius vana intelliget, vt compleat iniquitates, & loquatur contra Deum mendacium. Quibus affinia leges infra: *a Vt dum ſtultos Lectores putas, te ſtultum eſſe demonſtres.* Et ſtatim pòſt; *Iuſta in me odia recognoſco, & vera in nos debacchetur inſania.* De impudentiâ iam ſpecimen dedi; integrum nunc manipulum accipe. *O impudentiam,* ait, *ſingularem!* Rurſum; *Si res ad probationem venerit, & impudentiam frontis oppreſſerint teſtimonia plurimorum.* Cum quibus & illa concinunt: *Ea, quæ nunc impudenter ſcribis, mentiebaris & eâdem licentiâ, imò impudentiâ mentiendi addis.* Pari quoque ſtylo furorem illi exprobrat. *b Nunc quoque, quia renui laudatorem, dicitur furere. Per illius ſtultitiam tua in me malitia debacchata eſt.* Et ſub finem; *c Toſt multa, in quibus furibundus exultas.*

a *Lib.3.* b *Lib.1.* c *Lib.3.*

Num.69. *Multò magis adhuc orationem exaſperat in Ruffinum Hieronymus.*

Satiſne hæc feruida, atque vrentia? At ecce tibi alios caperatæ obiurgationis modios. Fraudis eum defert, ſceleris reum agit, perfidiæ notat, infamiâ onerat. Ordior à fraude. *Fraudem,* inquit, *a tuam errori meo imputare non debes.* Et iterum: *b Vt cætera ſileam, ex vno capitulo comprobabo ferream frontem te poſſidere fallaciæ.* Scelus annecto: *De tuo codice, quaſi Pamphili exemplar accepimus: credidi Chriſtiano, credidi Monacho: non putaui tantum ſceleris à te poſſe confingi.* Oſtendo perfidiam; *Verſo ſtylo, quem*

a *Lib.1.* b *Lib.3.*

quem dicaueras, quia conſortem putabas, accuſas, quoniam perfidia tua cernis inimicum. Infamiam prodo: *Liber tuus*, inquit, *incipit ab infamia.* Quid iam præterea rugoſæ frontis reſtat, quid ſupercilij? Illum in obtrectatoris grauem inuidiam vocat. *Non tibi*, ait, a *ſufficit paſſim contra omnes detractio, niſi ſpecialiter contra beatum, & inſignem Eccleſiæ Sacerdotem ſtyli tui lanceam dirigas* Paulò infrà: b *Qui canino dente me rodunt in publico detrahentes. Et audes dicere te non ad oſtentationem, ſed ad ædificationem quaſi Chriſtianum loqui, qui de ſene ſenex tanta confingis, quanta non diceret de latrone homicida, de ſcorto meretrix, ſcurra de mimo?* Quid ampliùs? Tamquam Iudæ, & proditoris ſocium eundem Monachum non obſcurè ſugillat. *Cur enim*, inquit, *illud veriùs ſit, quòd te primum monuerit? quòd noluerit emendare, & ad rectum iter reducere, vt Iuda oſculum non refutaret, vt proditorem fidei frangeret patientiâ?* Adijce etiam canis amara Scommata: c *Audiant quapropter canes mei.* Adijce carnificis probroſam appellationem: d *Hoc eſt verum dilemma tuum, non ex Dialectica arte, quam neſcis, ſed ex carnificum officina, & meditatione prolatum. Si tacuero, criminoſus ero ſi reſpondero, maledicus.* Adijce ſycophantæ dicterium: *Qui me criminatur ſtultum, ſe ſycophantam probat.* Adijce inſuper complura alia vno faſce inuoluta, & colligata piacula. *Sordidiſſima*, inquit, e *elocutionis* περισσολογία. *Tantùm ſenſibus reſpondebo, & te in omnibus nequaquam ſolœciſtam, ac barbarum, ſed mendacem, ſubdolum, impudentem eſſe conuincam.* Adijce quoque hæreſis patrocinium eidem obiectum: *Perſpicuum eſt*, ait, f *te idcirco librum hunc diſſeminare voluiſſe, vt ſub perſona Martyris hæreſim introduceres.* Adijce alias atque alias obſcœnita-

tes

a *Lib.* 2. b *Lib.* 3. c *Lib.* 3. d *Lib.* 2.
e *Lib.* 3. f *Lib.* 2.

tes eidem turpiter ingeſtas. *Et indignaris*, inquit, *ſi putidè te loqui arguam, quum Comœdiarum turpitudines & ſcortorum, amatorumq́; ludicra Eccleſiaſticus ſcriptor aſſumas.* Adijce poſtremò inſigne illud, palmareq́ue dehoneſtamentum: *a Tua hoc bonitati, tuaq́; manſuetudini, & ſimplicitati conuenit, quod de vno pectoris ſterquilinio & odorem roſarum, & fœtorem profers cadauerum.*

a *Lib.3.*

Num. 70. *Defenſionis tantùm gratiâ, aſper eſt Hieronymus, citra immodeſtiæ notam: & cautio, in Ruffini opprobramenta.*

Ne quis porrò hoc ſcribendi refellendiq́ue exemplum à re propoſitâ abludere, ac recitata dedecora accuſatorio potiùs animo, quàm defenſionis nomine à viro in Romanæ eloquentiæ ſcholâ exercitatiſsimo, nec non acceptæ iniuriæ dolori, ac fortè etiam iræ nonnihil indulgente fuiſſe exarata cauſſetur, ipſemet D. Hieronymus manifeſtò intercedit, atque illa omnia non incuſandi libidine, ſed ſui dumtaxat tuendi gratiâ, ſine cuiuſquã iniuriâ à ſe ſcripta, vel potiùs reſcripta ſanctè teſtatur. *Non enim alterum*, inquit, *a accuſo, ſed me nitor defendere.* Quod deinceps etiam ita repetit: *b In quo vtrumque moderabor, vt & obiecta diluam, & ab iniuria temperem.* Tantumq́ue abeſt, vt viro conſummatæ ſanctitudinis in modò allatis, alijsq́ue iocis ac formulis ſui patrocinij, quicquam maledicentiæ exciderit, aut modeſtiæ fines ab eo migrati ſint, vt moneat ille expreſsè, complura à ſe, quo maledici ſuſpectionem, notamq́ue vitaret, de induſtriâ fuiſſe ſuppreſſa: *Hoc vnum*, inquit, *c denuncio,*

a *Lib.1.* b *Lib.2.* c *Lib.1.*

cio, & repetens iterum iterumq; monebo: cornupetam beſtiam petis: & niſi cauerem illud Apoſtoli: a Maledici regnum Dei non poſſidebunt: *&c.* b Mordentes inuicem conſumpti eſtis ab inuicem: *iam nunc ſentires de paruula, ſubdelaq; concordiá magnam tibi in mundo ortam eſſe diſcordiam.* Nec deſtitit ſapientiſſimus Pater petulcum Moloſſum vertagumque anteſtari, quanto cunctorum offendiculo, ſe ad pugnam laceſſeret, mutuaſque diſcordias foueret. *Quæ enim eſt*, inquit, c *audientium ædificatio, duos ſenes inter ſe propter Hæreticos digladiari, præſertim quum ambo Catholicos ſe videri velint?* Cæterùm Hieronymus, vt Ruffinum ad perfidiam obſtinatum & contumacem animaduertit, his alijſque compluribus aculeatæ orationis fulminibus iure optimo illum vſſit, mactauit, ac funditus euertit. Calumnias verò illas, conuicia & probra ſuprà iam recenſita, quibus malignus ille obtrectator virum innocentiſſimum flagitioſiſſimè lacerauit, idemmet integerrimus Doctor nullo negotio difflauit, diluit, ac peremit, vt eiuſdem triplicem Apologiam, tum Baronium ad annum Domini CCCCII. accuratè legenti omnino liquet. Et cauſsâ quidem cecidiſſe Ruffinum, quippe qui honeſtâ in ſpeciem præſcriptione rem turpiſſimam ac ſceleſtiſſimam tegebat, ineluctabili documento illud eſt, quòd ea propter ab Anaſtaſio Summo Pontifice damnatus eſt, & eiuſdem ſcripta poſteà à Gelaſio item Pontifice Maximo in Romano Concilio cenſoriæ animaduerſioni à Diuo Hieronymo decretæ ſubiecta, vt ex eodem Baronio d apertè perſpectum.

a *1.Cor.6.* b *Gal.5.* c *Lib.2.* d *Eodem anno.*

Num,

Num. 71. *Clauſula diſceptationis: Qui Apologetica acriore ſtylo perſcripta temerè adhuc ſugillant, exploduntur.*

Hæc quum ita ſe habeant; euidenter, opinor, tam ſpiſsâ operosâque diſceptatione à me confectum eſt, fas vtique eſſe, imò impensè etiam expedire, non ſolùm ad Hæreticorum amentiam, ac furorem refrænandum, ſed ad multorum etiam Catholicorum, interdum etiam ſacrorum, ne dum profanorum, ventoſorum nempe, & contumelioſorum arrogantiam atque licentiam (quam præſertim nullis caritatis, ac manſuetudinis lenocinijs mitigare poſſis) compeſcendam, Apologetica abſciſſo auſteroque ſtylo contexta atque ſuccincta, quæ candentis laminæ inſtar rigentisque nouaculę in modum, maledici oris puſtulas amburant, reſecentque, in lucem emittere. Qui verò in alia omnia adhuc abeunt, & quicquid in contentioſo hoc ſcriptionis genere paulo vehementiùs, aſperiusque vibratur, ſtatim, indictâ cauſsâ, opinioſiſſimi homines, mordacitatis arceſſunt, audaciæ condemnant, tolerandum negant, expungendum clamant; eos hîc ego paucis conuentos volo, ſerioque admonitos cupio, ſecum etiam atque etiam ſuum hoc refractarium iudicium expendant, excutiantque, ne dum alios inconſultâ præcipitatione immodeſtiæ arguunt, ipſi ſeſe propudioſis temeritatis, inſaniæ, atque impietatis notis adſpergant. Quid enim? poſsúntne iſti generatim cunctis Vindicijs tetricis, incenſisque diem dicere, quin ſimul eodem calculo & pleroſque veterum Patrum, qui ſimiles paris acrimoniæ codices euulgârunt, ſenatu moueant, ac delirâſſe fateantur? ſed quæ dementior temeritas? poſsúntne

hoc

hoc ſuum tueri placitum, quin etiam antiquos illos diuinorum interpretes oraculorum, entheatos Vates, quorum in improbos oratio ſeueriſſima fuit, atque triſtiſſima, tacito ſaltem cogitationis conuicio diuerberent; At quæ inſania immanior? Poſſúntne omnes increpandi ac refellendi horridiores formas carpere, quin vnà quoque & viros ſanctiſſimos tot ac tantos, omnis pudoris ac pietatis magiſtros, qui eaſdem tamen vſurpârunt, reprehendant? ſed quæ execrabilior impietas? an vt iſtos lenitatis intempeſtiuos patronos ſolos ſapere arbitremur, ſapientiſſimos quoſque priſcorum Doctorum, qui ſecus longè & dictis,& exemplis nos inſtituerunt, deſipuiſſe cenſebimus? Infandum dictu. Num Apoſtolos ipſos cœleſtis doctrinæ radijs vndique collucentes, quos mortalibus non tam concionum, quàm tonitruum fragore terrori fuiſſe, durisque capitonibus ſalutarem incuſſiſſe timorem nouimus, vt blandis iſtis ſuauitatis mellarijs gratificemur, allucinatos fuiſſe comminiſcemur! O impudentiam! an denique ne Chriſtus quidem ipſe à probris iſtorum immunis abibit, ſed quod ſæpenumero Phariſæos infeſtis nominibus pulſabat, pinſebatque, in modeſtiæ leges eum deliquiſſe, vt ineptis hiſce manſuetudinis inſtitoribus aſſentemur, infrunito ore aſſeuerabimus? ô deteſtabiles, ô ſacrilegas, ô teterrimas voces, non humano ex pectore, ſed imò ex Tartaro ductas! Itáne verò? *a O miſeras aures meas* (exclamare cogor cum D. Hilario) *quæ tam funeſta vocis ſonum audierunt!* Sed reuoco ipſe me, atque vt cætera in pauca conferam, vitilitigatores iſtos ego quidem impietatis abſoluo, at imperitiâ admodum iurulentâ ac benè adipatâ, vt placidiſſimè loquar, liberare non poſſum, ſiquidem quod ipſi neſciunt, quod ipſi non legerunt, quod ipſi minimè obſeruârunt, etſi à doctiſſimis viris probatum, etſi

ab

ab antiquis Doctoribus laudatum, etſi à ſanctis Patribus frequentatum, etſi à Prophetis, ab Apoſtolis, ab Aſſertore Orbis factitatum ſit, tamen inconſideratè, inſubidè, ac ſtultè vellicant, culpant, inſectantur, exagitant. Exuant igitur aliquando cum ignoratione temeritatem, diſcantque honeſtiſſimæ conſuetudinis, viris etiam ſanctiſſimis vſitatæ, reuerentiam, ne alioqui perpetuo doctiſſimorum hominum ludibrio ac deridiculo obnoxij pœnas inſcitiæ ac præcipitantiæ, quas ridendo merentur, iure irriſi, abundè perſoluant.

§. VIII.

Apologeticorum acerbâ Oratione aceſcentium contubernium à conuicijs, & contumelijs omnino diuiduum.

Num. 72. *An acria dicta à conuicijs diſtinguantur?*

Verùm antequàm huic diſputationi coronidem impono, vnus adhuc nodus, qui pleroſque ludificat, agitque tranſuerſos, mihi enodandus reſtat, an ſcilicet aculeata dicteria à libris Apologeticis intorta, vllo ſtipite, vel lapide à conuicijs, & contumelijs diſterminentur; an verò hæc, ſine vllâ diſcrepantiâ, eadem illis prorſus ſint. Nam ſi quis mutuas Ruffini, ac D. Hieronymi pugnas (vt facili exemplo quæſtio dilucefcat) ad calculos vocet, mutuoque componat, næ ille nihilo mitiorem dicendi acrimoniam, ac vehementiam in Hieronymo, quàm in Ruffino reperiet; & ſcommata, & ioca, & ironias, & deridicula, & ludibria, & opprobramenta æquè præfracta in vtroque offendet. Cur igitur ſolus Ruffinus conuiciator, & contumelioſus habendus, non item Hieronymus, etiamſi

eâdem oberret chordâ? Res planè vulgò ignota, eoque valde digna, quæ non tralatitiâ operâ, ſed cogitatè, meditataque commentatione enucleetur, cuius ignoratione plerique facilè labuntur, & quæ magnâ intercapedine diſiuncta ſunt, in vnum conflata exiſtimantes, improbant fœdè, quod non percipiunt.

Num. 73. *Iuſta cauſſa, ſanumq; conſilium, diſcriminat acria dicta à conuicijs.*

In quam dubitationem vbi ego animum non ſegniter intendi, poſt variam mentis agitationem, cum demum ad portum volens lubensque appellor, vt totius quæſtionis ſtirpem duobus tantùm verticibus ſubnixam, iuſtâ nimirum cauſsâ, & honeſto animi conſilio, eſſe iudicem. Nam etiamſi verba duriſſima, atque aſperrima in effrænatum calumniatorem iacias; ſi tamen ijs vteris, non vt odio, iræ, vel inuidiæ indulgeas, ſed vt grauiſſimum damnum Reipublicæ illius calumnijs importatum reſarcias, atque ipſe calumniator deinceps calumniari, & nocere deſinat; & quæ tu criminaris, omni fuco & fallaciâ relegatâ, vera ſunt; tuum huiuſmodi patrocinium conuiciorum, aut calumniarum notari non poteſt. Sin autem ijſdem ipſiſſimis verbis virum innocentiſſimum ex merâ animi impotentiâ, ex libidine vitionis, ex inſaniâ ac furore, per ſtropham, per fraudem, per mendacium deformas, illico conuiciatoris, & contumelioſi nomen, atque infamiam tibi afferis. Nec ſecus in pleriſque alijs quoque vſuuenire cernimus, vt vna eademque res, vel actio vno reſpectu virtutem deſignet, altero vitium. Si enim abditum Sacerdotis, alioqui honeſtiſſimæ exiſtimationis, enorme ſcelus, nullâ neceſſitate impellente,

neque

neque maiori aliquo emolumento inuitante, detegis, ac ſermonibus vulgas; vel certè tu ipſe ex inuidentia inſonti affingis, atque in circulis publicas, haud dubium, quin alienæ famæ turpiſſimè dehoneſtatæ reus ſis, ſacer planè detractor, atque inteſtabilis obtrectator. Quod ſi idem ſcelus, inciſâ omni melioris frugis ex priuatâ admonitione ſpe, eiuſdem Sacerdotis Antiſtiti, ceu Patri, quò is illi medeatur, errabundamque ouem lucretur, ſecreto aperis; caritatis officio probè defunctus Theologorum omnium ſuffragijs cenſeris. Rurſum ſi quis integris viribus, carnes die Veneris vetitas edit, animaduertitque ſuo prauo exemplo aliquammultos ex domeſticis ineſcatos idem facinus auſuros; certum eſt, illum præter propriam gulæ culpam, delicto inſuper noxij exempli proditi, & quidem tam multiplici, quod ipſe à ſe præbitum prouidit, onerari. At ſi alius inteſtino dumtaxat morbo, externam faciem neque decolorante, neque emaciante, grauiter implicitus, imbecillas vires ijſdem carnium dapibus, etiam quadragenarij ieiunij diebus, ad tuendam vitam, alioque certò interituram, ex medicorum præſcripto, facultateque Præſidum, refocillet, cauſſamque iuſtam eiuſmodi cibi, tum aliàs interdicti, à ſe adhibiti, familiaribus, ne alioqui fortè offendantur, pandat; culpæ omnis expers planè eſt, vt liquet; ac ſi qui nihilominùs carnium eo illicio titillati, ijs ſeſe eodem tempore ſine vllâ neceſſitate ingurgitent, non illi, ſed iſtis ſolis totum hæret peccatum. Quare tota ratio offenſæ, ſeu *ſcandali*, vt appellant Theologi, à legitimâ cauſsâ pendet, quæ ſi adſit, *ſcandalum* tollitur, neque datur, ſed accipitur, vt aiunt, at ſine eius noxiâ, quam æqua cauſſa à ſcelere redimit; ſin abſit, *ſcandalum* illico erumpit, ac datur. Vnde fit, vt eadem prorſus actio, vt carnium eſus, die Veneris, ſi cauſsâ iuſtâ hone-

honeſtetur, nulli flagitio ſit obnoxia, neque *ſcandalum* gignat; ſin verò eâ deſtituatur, delictum ſubitò admittat, *ſcandalum*que proſeminet, quemadmodum ſollertiſſimi conſcientiarum magiſtri, Siluester, *a* Valentia, *b* Sanchez, *c* alijque plerique omnes enucleatè decernunt. Idem quoque in ſubeundo mortis ſupplicio contingit, quo ſi ob latrocinium plecteris à carnifice, id te nebulonem criminoſum prodit; ſin pro Catholicâ Religione mordicus retinendâ eodem damnaris, *Martyris* Christi nobiliſſimâ palmâ potitum. Liceret porrò complura quoque alia id genus exempla pari facilitate hîc percenſere: ſed hæc ſat ſuperque ſunt, vt, quod hoc loco contendo, ratum fixumque ſit, acria verba, & Stoica dicta, vbi iuſtâ cauſsâ proboque conſilio ſunt comitata, longè à conuicijs, & contumelijs diſiungi, vbi verò alterutro carent, in totidem contumelias, & conuicia migrare: atque adeò ſicut idem eſus carnis, eadem ſceleris patefactio, idem mortis ſupplicium, ſi iuſtâ cauſsâ, atque intentione nituntur, honeſtæ actiones ſunt; ſin autem nullâ, vel carioſâ, inhoneſtæ, vt explanatum eſt; ita etiam aſpera verba, & dicta, ad cauſſæ atque intentionis legitimæ, vel adulterinæ, ſeu ſpuriæ nutum, nunc in laudata Apologetica concedere, nunc in propudioſa conuicia, & contumelias diſcedere.

a Verbo, *Infidelitas, quæſt.* 4. b 2.2. *diſp.* 1. *qu.* 10. *punct* 5. *in fine.* c *Lib.* 1. *in Decal. cap* 6. *num.* 11.

Num 47. *Virtus cum vitio neceſſariè confunditur, niſi diſcriminentur acria dicta à conuitijs.*

Quamobrem vt vitium à virtute ſecernas, non ipſe eſus carnis, non ipſa ſceleris patefactio, non ipſum mortis ſupplicium, ita ſolida, & materialia, neque

neque ipſa verba horrida ita nuda, atque à cunctis attributis diuulſa contemplanda ſunt, ſed eorum potiùs vſus, cauſſa, intentio, conſilium, & reliqua adiuncta ſimul ſpectanda: alioquin ſi iſta ſeorſum ab illis dimoueas, ac ſeducas; virtutem vnà cum vitio, ceu æs Corinthium, coagmentabis, neque ampliùs integrum erit, caritatem ab obtrectatione, temperantiam à gulâ, Martyrem à latrone, neceſſarium ſui patrocinium à conuicio, & contumeliâ diſcriminare, quod ſanè perabſurdum eſt, vt manifeſtò conſtat. Imò verò ſi hanc ipſam inſiſtas ſemitam, ineluctabili conſecutione etiam extorquebis, vt cunctos quoque ſanctos Patres, quin ipſas etiam ſacroſanctas ſcripturas conuicijs, & contumelijs effartas fateri neceſſum ſit. Quid enim? ſi quis Monachum, & Sacerdotem, ineptum atque inſcitum, ſi inuidum, ſi temerarium, atque mendacem vocaret; ſi impudentem, ſi fraudulentum, ſi ſtultum appellaret; ſi perfidum, ſi ſycophantam, ſi infamem, ſi canem, & Iudæ ſocium nuncuparet; nónne eum inſigni ignominiâ fœdaret? In confeſſo eſt. Atque hiſce omnibus & pluribus alijs opprobramentis Diuus Hieronymus Ruffinum, vt ſuprà vidimus, deformauit. Quid ſi alius alterum væſanum, ac faſcinatum affirmet? quid ſi pigrum ventrem, malamque beſtiam pronuntiet? quid ſi plenum dolo & omni fallaciâ, filiumque diaboli rotundo ore aſſeueret? nónne eum graui admodum ludibrio traducet? Negari non poteſt. Atqui Apoſtolus Paulus totidem omninò maculas Galatis, Cretenſibus, Elymæque Mago, vt antè oſtendimus, inuſſit. Finge quoque Præſulem aliquem Antiſtitemque à nonnemine *hypocritam, cæcorum ducem, plenum omni rapinâ, Gehennæ filium, generationem adulteram,* viperarum prolem, ſicarij fœtum, atque *ex patre diabolo natum* percieri. Quanto ille dedecore mox vrgeretur?

Res extra controuerſiam exploratiſſima. Atqui ipſemet Chriſtus Dominus cunctis hiſce acerbiſſimis nominibus Phariſæos, & Scribas, ſui temporis viros Eccleſiaſticos, primores etiam, & ſumma capita liberrimè, vt ſuprà docuimus, perſtrinxit. Quid igitur? num D. Hieronymum contumeliarum promum condum dicemus? perdelirum eſt. Num Paulum Apoſtolum inter conuiciatores referemus? impium eſt. Num Orbis Redemptorem quoque, obtrectatorum albo adſcribemus? execrabilis impuratiſſimi oris ructus eſt. At enim, ſi ſola ipſa verba auſtera, vtcunq; materiata, cæteris omnibus attributionibus ſepoſitis, inſpicienda ſemel ponimus, in has infelices anguſtias, ſceleſtasque voces neceſſariò compellimur, vt D. Hieronymum, Gentiumque Doctorem Paulum, parique iure cæteros quoque Apoſtolos & Patres, tum Chriſtum etiam ipſum in maledicorum nebulonum cenſu habendos ſacrilegâ linguâ annuamus. Quæ omnia quàm à veritate, ſanâque doctrinâ toto cœlo diſtent, apertamque impietatem, atque amentiam egerant, ingerantque, ſatis perſpectum eſt, atque vt tam flagitioſi, horrendique ſcopuli declinentur, cuiuis Catholicorum neceſſariò fatendum eſt, conuiciorum & contumeliarum probra non à ſolis nudiſque verbis quamuis triſtiſſimis, atque atrociſſimis æſtimanda, ſed multò magis à cauſsâ, ab intentione, à conſilio, ab vſu, ab antecedentibus, & conſequentibus, à reliquis denique omnibus appendicibus, & circumſtantibus diſcernenda. Quibus accuratè expenſis, quoniam Chriſtus Dominus, Apoſtoli, Prophetæ, ac Patres acida illa & peracria verba, quæ ſuprà libauimus, mente ſanctiſſimâ, ac ratione iuſtiſſimâ ad fines ſemper longè honeſtiſſimos ſeu vtilitatis, ſeu neceſſitatis quà priuatæ, quà publicæ, ſeu alterius cuiuſcunque generis verè vſurpârunt, ea omnia ac

ſimilia, à quauis conuicij, contumeliæ atque iniuriæ labe procul omnino habuerunt.

Num. 65. *Conſtat ex D. Hilario D. Auguſtino, & D. Bernardo, acria dicta à conuitijs diſcriminanda.*

Quam ego eximiam Philoſophiam à magno illo Galliarum oraculo Hilario Pictauorum Epiſcopo didici, qui quum Conſtantium Auguſtum, edito aduersùs eum libro, infeſtiſsimis dictis, quorum ſpecimen aliquod anteà dedimus, inceſsiſſet, conuicij maledictiue ſuſpicionem veritatis ac neceſſitatis clypeo depellit, nihilque à ſe in modeſtiæ leges peccatum, diſertè indicat. At ſyngraphum ipſum illius, Lector, poſtulas. non abnuo. recitetur. *Ceſſet itaque*, inquit, *a maledictorum opinio, & mendacij ſuſpicio. Veritatis enim miniſtros decet vera proferre. Si falſa dicimus, infamis ſit ſermo maledicus: ſi verò vniuerſa hæc manifeſta eſſe oſtendimus, non ſumus extra Apoſtolicam libertatem, & modeſtiam* (erige oculos & aures ad hanc clauſulam, quam repetere operæ pretium eſt) *non ſumus extra Apoſtolicam libertatem & modeſtiam, poſt longum hæc ſilentium arguentes. Sed temerarium me fortè quiſquam putabit, quia dicam Conſtantium Antichriſtum eſſe. Quiſquis petulantiam iſtud magis, quàm conſtantiam indicabit, relegat primùm Ioannem dixiſſe ad Herodem: Non tibi licet facere iſtud.* In quam ſententiam vbi multa coëgit, mox ſubdit: *Non eſt iſtud temeritas, ſed fides; neque inconſideratio, ſed ratio; neque furor, ſed fiducia.* Concinit prorſus & immortalis Africæ gloria Auguſtinus, qui Creſconij Gramatici oblatrantis procacitatem coërcens, explicatè monet, b non poſſe *iuſtè reprehendi miniſte-*

O 4

a *In libro contra Conſtantium.*

b *Lib. 1. contra Creſconium, cap. 7.*

miniſterium noſtrum, ſi contra quoslibet aduerſarios feruenti ſpiritu pro veritate certemus. Eodemquoque modo & fulgentiſſimum Claræ Vallis Sidus Bernardus, quum ſuâ in Apologiâ pleraque nonnullis Cluniacenſium Monachorum, vt ſuprà memorauimus, vitio vertiſſet; vt ea omnia ab omni conuicij, vel contumeliæ ſpecie vindicet, in fine dilucidè iuſtam cauſſam ſperatæ emendationis, imperantem caritatem ablegatamque detractionem profert. *Quæ*, ait, *in veſtris laudabilia ſunt, laudo, & prædico: ſi qua reprehendenda ſunt, vt emendentur, vobis, & alijs amicis meis ſuadere ſoleo. Hoc non eſt detractio, ſed attractio.*

Num. 76. *Ex D. Thomâ quoque probatur, acrium dictorum & conuitiorum diſcrimen.*

Verùm multo accuratius adhuc magisque ex profeſſo anteſignanus Theologorum Aquinas hanc ipſam Spartam adornauit, præclareque contumelias & conuicia materialia à formalibus, vt vocat, eo diſparauit, quòd ea in ſolis verbis eſſe poſſint, hæc minimè, ſed ab alijs quoque adiunctis, præcipuè autem ab animo verba ipſa enunciantis, tum à cauſsâ iniquâ ea enunciandi, neceſſariò dependeant. At præſtat ſcitiſſimum hoc ſcitum ex ore ipſius ſanctiſſimi Doctoris audire. *In peccatis verborum*, inqnit, *a maximè conſiderandum videtur, ex quo affectu verba proferat.* Et infrà nominatim de conuicij crimine; *Quum peccatum conuicij vel contumelia ex animo dicentis dependeat.* Hinc quid formale conuicium ſit, & quo modo confletur, explicat. *Quum ergo conuicium, vel contumelia de ſui ratione*, ait, *importet quandam dehonorationem; ſi intentio proferentis ad hoc feratur, vt aliquis*

a 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 1. *ad* 3.

aliquis per verba, quæ profert, honorem auferat; hoc propriè, & per ſe eſt dicere conuicium, vel contumeliam, & hoc eſt peccatum mortale. At ſecus omnino, quum conuicium eſt tantùm materiale ſine animo dehoneſtandi, & nobili aliquo fine honeſtatum: *Si verò aliquis*, pergit ſtatim poſt S. Thomas, *verbum conuicij, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, ſed fortè per correptionem, vel propter aliquid huiuſmodi, non dicit conuitium, vel contumeliam formaliter, & per ſe, ſed per accidens, & materialiter, in quantum ſcilicet dicit id, quod poteſt eſſe conuicium, vel contumelia: Vnde hoc poteſt eſſe aliquando peccatum veniale* (quando ſcilicet modus in eo exceditur) *quandoque autem abſque omni peccato*, quum nempe nulli immoderationi aditus patet. Hinc paulò poſt, *Sicut licitum eſt*, addit, *a aliquem verberare, vel in rebus damnificare cauſſâ diſciplinæ; ita etiam cauſſâ diſciplinæ poteſt aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conuicioſum dicere; & hoc modo Dominus diſcipulos vocauit ſtultos, & Apoſtolus Galatas inſenſatos* Hinc Iacobus *b* Apoſtolus quoque omnes, qui terga Deo obuertentes, mundi illecebris ſe mancipant, *Adulteros* vocare non dubitat. Quæ ſanè nomenclatura ſi velut probrum alicui ad eum dedecorandum adſpergeretur, conuitium vtique eſſet, vt rectè illic Cornelius à Lapide obſeruat: at quum corripiendi obiurgandiq; cauſſâ, quò ij, qui delinquunt, reſipiſcant, vſurpatur, ſicut fit à Iacobo; non conuicium, ſed probatæ diſciplinæ, non ex odio, ſed ex amore profectæ officium geminum eſt, vt idem Cornelius eodem loco ſapienter monet. Quam conſummati magiſtri doctrinam non omnis Theologorum ſchola, ſed vniuerſa etiam natio tam interpretum ſacrorum canonum quàm iuris ciuilis conſultorum amplectitur, dum hi

a *Ad 2.* b *Cap. 2.*

omnes apud Proſperum Farinacium *quaſt.* 105. *num.*3. & *conſil.*30. *num.* 46. iniuriam ſine animo prauo exiſtere poſſe inficiantur. Omnis quippe contumelia, & conuicium iniuria, vt conſtat, eſt, atque adeò ſicut hæc ſine animo prauo nequit contingere, ita neque illa.

Num. 77. *S. Hieronymus, & S. Cyrillus à conuiciorum probro longè abfuerunt, aliįq; ſimiles: Contrà verò Ruffinus & Theodoretus fuerunt conuiciatores; & ſic de reliquis.*

Ex quibus penſiculatè, concluſèque definitis nonnulla mihi conſectaria emolumenti non exigui nunc elicienda ſuperant. Nam primò hinc perſpicuè efficitur, etſi fortè D. Hieronymus acrioribus verbis Ruffinum, quàm Ruffinus Hieronymum; neque mitiùs S Cyrillus Theodoretum, quàm Theodoretus Cyrillum, agitârunt, tamen Hieronymum, & Cyrillum, quippe qui & ſanctiſſimo conſilio ducebantur, & cauſſam veritatis iuſtiſſimam propugnabant; ac proinde materiatis tantùm conuicijs vſi ſunt; extra omnem contumeliarum & conuiciorum formalium aleam ictumque poſitos fuiſſe: contrà verò Ruffinum & Theodoretum, quia tum illis in ſcriptis inſanâ abrepti mente, mendacio, atque iniquæ cauſſæ patrocinabantur: proptereaque contumelijs & conuicijs formalibus fræna laxârunt; contumelioſorum hominum, conuiciatorumq; probroſis appellationibus fuiſſe commaculatos; eaque re illa ipſa eorumdem ſcripta à Summis Pontificibus, vt ſuprà indicauimus, hoc etiam nomine fuiſſe meritò condemnata. Eodem pacto & aliorum Patrum monumenta abſciſſo incenſoq; dicendi charactere conformata

formata tum in Ethnicos, tum in Hæreticos, & Cypriani in Demetrianum, & Origenis in Celſum, & Baſilij in Eunomium, & Cyrilli iterum in Neſtorium, & Hilarij in Conſtantium, & Athanaſij in Arrianos, & Gregorij Nazianzeni in Iulianũ; nec non & aliorum in improbos quoque, & malè enatæ, ac propagatæ frugis Catholicos, & Chryſoſtomi aduersùs vituperatores vitæ Monaſticæ, & Bonauenturæ contra Gyraldi furores, & Petri Damiani in ſacri ſermonis à ſe habiti obtrectatores ſcripta, vt anteà ſpectauimus; quòd hi cuncti, tum reliqui Patrum omnes in ſimilibus prælijs, & honeſtiſſimis mouebantur rationibus, & æquiſſimis cauſſis aduocationem, candidâ veritate vndique cataphracti, aduersùs mendacia, & calumnias, & fraudes, & decumana flagitia ſanctiſſimè præſtabant, ab omni conuiciorum & contumeliarũ cœno, ſordibusque defæcata, cum laude & plauſu totius Reipublicæ Chriſtianæ perennant. Hunc ipſum ob titulum Bernardus quoque, & Petrus venerabilis, quamuis ille in nonnullis Cluniacenſium Monachorum, iſte in aliquibus Ciſtercienſium quædam piacula ſeuero calamo, deſtrictaque cenſurâ, vt demonſtrauimus, lancinauit; tamen, quia vterque & præclariſſimo ſui conſilij motu impulſus eſt, & veridicâ cauſsâ ſolicitabatur, & emendationis ad metam ſanctiſſimè omnia collineabat, ſua Apologetica à conuicijs & contumelijs penitùs intacta ad nos tranſmiſerunt.

Num. 78. *Conuicij materialis à formali diſcrimen.*

Hinc prętereà colligitur magnum conuicij materialis à formali diſcrimen, quòd illud planè indifferens ſit, nullamq; ei, à quo adhibetur, notam ex ſe imponat, eoque nec culpari poſſit; hoc verò flagitioſum ſemper ſit, & illum quoque, à quo vibratur,

bratur, perpetuò dedecorat. Vnde vigilatè obſeruandum eſt, ſeduloque memoriæ mandandum, ea omnia, quæ ſuprà ex antiquis Patribus carptim excerpſi, verba: detractis illis, quæ è Theodoreto, & Ruffino conglobaui, vt dixi; conuicia formalia, quæ ſola propriè conuicia ſunt, ac ſola in reprehenſionem incurrunt, minimè eſſe, ſed materialia dumtaxat, hoc eſt, contentioſa, atque acida dicta, ad refellendum, obiurgandumque aptè accommodata; quod vnum mihi ſolumque illic propoſitum fuit euincere, nihilque aliud ad hoc. Cæterùm ſi quis ex huiuſmodi dictis ita decerptis, atque, vt ſic loquar, ita deartuatis cogere porrò velit, eos libros, atque Scriptores, qui ijs perſperſi, ac pro re commodùm etiam referti ſunt, continuò eſſe contumelioſos, & conuicijs præſcatere; næ ille palmarem inſaniet inſaniam, perridiculeque allucinabitur. Nam quamuis verba membratim, articulatimque diuulſa, atque diſcerpta ſat certam teſſeram in manum porrigunt, ex quâ illorum aſpredinem agnoſcere, eaque in acrium ſententiarum numerum meritò aggregare queas, quemadmodum ſuprà iam patefeci: ſi tamen illa ita diſtracta, & ſolitaria contempleris, neutiquam ſufficit, vt ea formatis conuicijs & contumelijs iure accenſeas. Quippe ſi hac ratione illa metiaris, cæteraſque attributiones penitùs negligas; iam & ſanctos Patres & Prophetas, & Apoſtolos, & ipſum Chriſtum Dominum, ſacroſanctumque Euangelium in conuiciatorum ordinem referes, atque in contumelioſorum hominum contubernium, vt iam in propatulo collocaui, horrendâ impietate detrudes.

Num 79. *Diſcrimen iſtud Exemplo oſtenditur.*

Inſignis pictoris tabulas elegantiſſimas ac ſpecioſiſſimas ſi quis minutatim concidat, omniaque membrorum fruſta, & furuorum lineamenta colorum ſimul coagmentet, quid, rogo, ex effigie pulcherrimâ niſi monſtrum ingens ac fœdiſſimum procreabit? & tamen illæ vmbræ, atrati illi ductus ſuo quique loco poſiti ad reliquorum colorum præſtantiam exprimendam ita pertinent, vt abſque illis facies nulla formoſa, ſpecies nulla conformari queat. Haud ſecus planè in Apologeticis quoque ſi ea dicta, quæ acriùs vibrata ſunt, cædantur, mutilentur, extrahantur, vnumque in aceruum truncata comportentur: quid mirum ſi horribilioris monſtri inſtar habere videantur? Idem & ſanctiſſimis quibuſque libris, ſi idem ludus ludatur, omnino continget. Ipſa Catholicæ Religionis ſacroſancta dogmata, ſi integrè non referantur, ac vel vna vocula ijs dematur, nónne illico in Hæreſes teterrimas degenerant? *Non eſt iniuſtus Deus*, æternæ veritatis effatum eſt, Chriſtianæque fidei oraculum. Vnica omittitur ſyllaba: *Eſt iniuſtus Deus*, & ecce Hæreſeos infame portentum. Eâdem ratione ſi Apologetica non carptim, aut fruſtillatim, ſed ab initio ad finem legantur, ea verba, quæ ſimul aggerata, in conuiciorum & contumeliarum inuidiam non immeritò vocari poſſent, ſuis quæque ſedibus lecta, varijsque erroribus, atque Hæreſibus, diuerſis calumnijs ac flagitijs illi explicatis ſubiecta, ſtatim, velut vmbræ coloribus aptè interiectæ, dignumq; patellâ operculum, apparent, nullâ iniuriæ ſpecie, nullo probri veſtigio, ſed rationis, prudentiæ, ac neceſſitatis comperto documento. At hæc eadem verba amputata, exenterata, lacerata, vnde vnde exciſa, ac

in foliorũ faſcem per ſatyrã compacta, maledicentiæ laruã, nullus dubito, extemplò inducnt. Rem ſub aſpectum do facili experimento. Si quis Renatum Verdæum quouis cœno impuriorem ac cœnoſiorem ſcripto appellâſſe dicatur, à conuiciatoris labe, vel ſuſpicione primitus non aberit. At ſi in aliquo Apologetico in eiuſdem *Stateram* publicato res tota hoc pacto explanetur: *Eodem etiã ſpectat fœdum illud conuicium, quod in Cardinalem Turrecrematam è florentiſſimâ Dominicana familia virum doctiſſimum iecit, quum eum* cap. 7. pag. 73. *Quia Summi Pontificis auctoritati patrocinatus eſt,* impuram cloacam *ſceleſtè vocauit, quouis luto ipſe impurior, atque cœnoſior:* poſtrema hæc verba, quæ abiuncta contumeliam conuiciumque ſonarent, copulata cum præcedentibus, meritiſſimò vſurpari actutum conſtat.

Num. 80. *Cuncta ſimul penſitanda in acrimonia ſtyli.*

Ne igitur temerè vllum librum contumelioſum, aut conuiciatorem putes, neceſſe omninò eſt, vt totum ab exordio ad calcem inſpicias, perlegas, expendas, vt antecedentibus conſequentia componas; vt conſilia, intentionem, & cauſſas rimeris; vt, affectus, fines, & reliqua adiuncta explores, ſingulaque ad iudicij trutinam reuoces, ad prudentiæ, pietatis ac virtutis libellam exigas: alioqui periculo ineuitabili & Aſſertorem Mundi, Apoſtolos, Prophetas, & Patres omnes flagitioſiſſimè ludificandi, traducendique, vt reuici, volens nolensque ſemper eris obiectus. Quod mihi hîc quàm diligentiſſimè monendum fuit, ne quis Momus œſtro percitus ex acerbis illis loquendi fruſtis è Patrum viridario ſuprà excerptis anſam inſanè, maligneq; calumniandi impotenter arriperet.

Num.

Num 81, *Scopus tam longæ diſſertationis.*

Hinc demum beneuolo catoque Lectori honeſtam congruentemque rationem, cur à propoſitâ inſtitutâque Scioppianâ oppugnatione tam multus tamque copioſus & prolixus in hac digreſſione fuerim, tempeſtiuè reddo. Nam verè, vt fatear, neruos ego omnes in huiuſmodi lucubrationem, vt quoad poſſem quàm validiſſimè eam circumſepirem, intendi, non equidem vnius Scioppij gratiâ, etſi hac illius compeſcendi occaſione inuitatus, ſed & multò magis complurium aliorum Cenſorum cauſsâ, quibus quicquid in libris minùs placidum, aut paulò auſterius duriusque occurrit, illico inaceſcit, ac veluti contumelioſum exploditur. Iis enim vniuerſis præſumptionem ego, regulamque minimè dubiam tum iuſtæ cauſſæ, tum ſani conſilij, candidæque veritatis ad cuncta volumina tetrico acidoque ſtylo conſcripta, quæ dudum impreſſa typis Chriſtiano in Orbe circumferuntur, rectè examinanda & dijudicanda propoſitam volui, quâ, veluti ſincerâ obruſsâ adhibitâ, obryzum honeſtarum reprehenſionum, ac legitimorum patrociniorum ab ære, ſcoriâ, & recrementis contumeliarum, conuiciorum, & Satyrarum certiſſimè ipſi ſecernant. Hanc verò obruſſam regulamque quicunque æquabili animo, neque vlli factioni obærato, omnibus Apologeticis, quæ magno ſanè numero à noſtræ Societatis hominibus, tum ad Catholicæ Religionis vindicias, tum ad Ordinis noſtri defenſionem, tum ad ſui tutelam à pleriſque in lucem hactenus edita ſunt, admouerit; auſim ego vel Crœſi gazas omnes, ſi mihi eæ ſuppeterent, deponere, & quouis pignore ſponſioneque certare, eum cuncta illa planè innoxia, atque à contumelioſis libellis, propudioſisque

ſisque codicillis maximo inueruallo diſtantia ingenuè pronuntiaturum; ac proinde ſuo etiam calculo ab omni vituperatione facilè abſoluturū.

Num.82. *Apologetica à famoſis libellis ſeparanda.*

Sed præter generale huiuſmodi patrocinium, Apologeticorum omnium gratiâ ſuſceptum, illud quoque tam longæ ſpiſſæque diſputationis præcipuum operæ pretium à me de induſtriâ quæſitum eſt, vt quàm magnâ intercăpedine eadem Apologetica à famoſis libellis diſterminentur, hîc tacitè indicarem, ſolidaque ac alta iacerem fundamenta, quibus deinde totam hac de quæſtione, molem innitentem, in *Lydio* meo *Lapide Par.*1.*Cap.*4.commodùm excitarem, vt ſeriò ſeduloque illic à me factum Lector animaduertet.

Cap. XI.

AdGaſparis Scioppij audaciam coërcendam aliqui, de Societate Ieſu tandem adacti.

Num.1. *Allatæ diſceptationes, cauſſæ Scioppianæ accommodantur.*

NVnc deniquè poſt tam longum circuitum ad Scioppium redeo, cuius cauſsâ tam diu exſpatiatus, hinc demum id lucroſi compendij refero, vt ex conditâ modo duplici diſceptatione, permolli brachio iam oſtendam, quàm ſolido iure & neceſſarijs nominibus aliqui è noſtris Socijs ad tam effrænis obtrectatoris petulantiam acriter caſtigandam in arenam nouiſſimè deſcenderint, quod

quod mihi geminâ diſſertatione, alterâ de patrocinij aduerſus eum ſuſcepti neceſſitate; alterâ de huiuſmodi patrocinij ratione ac formâ, modò enucleandum eſt.

Num. 2. *Quid commodi è Societatis Ieſu laboribus in Rempub. deriuetur.*

Verùm ego neceſſitudinem à Scioppianâ peſte nobis impoſitam explicare non poſſum, niſi priùs, quid vtilitatis in Chriſtianam Rempub. è Societatis noſtræ conatibus, atque induſtrijs deriuetur, breuiter, ac moderatè ſine vllâ iactantiâ delibo. Mitto grauiſſimum confeſſionum piacularium excipiendarum, in quibus noſtri deſudant laborem. Mitto concionum habendarum difficillimam, quam noſtri obeunt, prouinciam. Mitto ſacrarum Sodalitatum, in quibus externi ad ſolidas virtutes à noſtris informantur, exercenturque, palæſtras Deo Diuisque ritè obligatas. Taceo, quid noſtri moleſtiarum ad animas Chriſto adiungendas extemporalibus in triuio ſermocinationibus; quid ærumnarum in compitis, & carceribus; quid operis atque oneris in noſocomijs, atque triremibus, tot tamque varijs caritatis officijs liberaliter impenſis adeò frequenter exſorbeant. Sileo, quantum curæ in diuinarum exercitationum auri, vt ita dicam, fodinis, cuiuis hominum generi patefaciendis à noſtris ponatur. Prætereo, quantum machinarum in Catholicæ Religionis defenſione & propagatione, quà longinquis ad Indos vſque & Iapones itineribus ingrediendis, quà libris euulgandis, quà concertationibus ad Ethnicos, atque Hæreticos Chriſto ſubigendos, continenter indicendis, nec non varijs controuerſijs explicandis terminandisque à noſtris excitetur. Diſſimulo, quantum fructus menſtruæ, aut trimeſtres, vel etiam

etiam longinquiores excurſiones Apoſtolicæ, breues videlicet ceu coloniæ, in oppida, & pagos ad multijuge bonorum operum genus inſtituendum, aut ad labefactatam morum diſciplinam inſtaurandam deductæ quàm plurimis ſæpe populis pariant. Omitto iſtorum pleraque munerum (quanquam multa etiam & alijs Religioſis familijs communia eſſe conſtat) ita Societatis noſtræ eſſe propria, vt nullo alio ab Ordine, antequàm nobis ea S. Ignatius Parens noſter præſcripſiſſet, quemadmodum à Iulio Nigrono noſtro *a* perſpicuè docetur, vel certè non tanto ardore, atque aſſiduitate, ſuſcepta, atque exercita, quanto à nobis ille ſuſcipi exercerique iuſſit, videantur. Non commemoro diuerſa Maximorum Pontificum diplomata, in quibus quàm copioſa emolumenta à noſtrâ Societate manent in proximos, perſanctè teſtantur; quibus nemo fidem, niſi qui fide omni indignus eſt, iure detraxerit. Non refero Cæſarum reſcripta, non Regum decreta, non Antiſtitum tabulas, non Principum pſephiſmata, non Magiſtratus quum ſacri, tum profani Senatuſconſulta, in quibus omnibus, quantopere Reipublicæ rationibus noſter Ordo conducibilis ſit, firmiſſimis documentis palàm fit. Denique nihil dico de totius Mundi Chriſtiani approbatione, deque huiuſmodi frugum à nobis perceptarum ab inchoatâ Societate quotidianæ vbique experientiæ chirographo. Teipſum appello Scioppi, quid tandem noſtrâ de familiâ, quum nondum te in tam præceps væſanumque conſilium neſcio, quibus furijs abripi paſſus eſſes, aliquando ſenſeris, quid cogitâris, quid ſcripſeris. Nónne in tuâ *Mulſi Fideliâ*, quam Moguntiæ anno CIƆIƆCII. edidiſti, Societatem Ieſu ad tutandam Catholicæ Fidei veritatem,

ritatem,

a *In Comment. Aſcet. Regul. Tit. par. 3. num. 13. vſque ad 18.*

ritatem, & Religionum inſtaurationem diuinitus excitatam & diſertiſſimè, & glorioſiſſimè prædicâſti? Num tibi eorum, quæ illic exarâſti, verborum memoriam refricari poſtulas? nónne eo in libro, *a* vbi nonnulla Sueuiæ Monaſteria, quòd ad priſtinam diſciplinæ perfectionem reducta eſſent, quodque complures *Fratres literis Philoſophicis, & Theologicis ſtudijs* exornatos, *qui vitâ pariter, ac doctrinâ pro Eccleſia pugnare queant*, numerarent, meritò dilaudâſti; mox, vt vnde tantus fructus exiſteret, indicares, proximè hæc adieciſti? *Vidi Dilingæ magnum Monachorum numerum ex varijs Sueuiæ Monaſterijs ad Academiam miſſorum, qui auſpicio atque ductu* SOCIETATIS IESV AD TVTANDAM CATHOLICAE FIDEI VERITATEM, ET RELIGIONVM INSTAVRATIONEM DIVINITVS EXCITATAE *humanioribus literis, & Philoſophia, ac Theologia ſtrenuè operantur.* At vbi ego noſtra Gymnaſia, noſtra Athenæa, noſtra Lycea relinquo, in quibus tam multam adoleſcentum vim à primis ferè elementis gratuitò erudimus, neque literis ſolùm, ſed multò magis, quantum conniti poſſumus, pietate, optimiſque moribus in perpetuum imbuimus? Quot præclari iuuenes è noſtris hiſce ſcholis deinde vel in Religioſa aliorum Ordinum clauſtra ſecedunt, & laborantibus ſæpe familijs ſuppetias non exiguas ferunt? Quot in ſacros Præſules, ac Paſtores animarum tranſcribuntur? Quot in Eccleſiaſticæ Hierarchiæ adminiſtros leguntur? Quot in cuiuſque modi Senatores & Magiſtratus cooptantur? Quot poſtremò in probos viros & ciues conformantur?

a *Pag.* 118.

Num.

Num. 3. *Societas Ieſu à Scioppio immane quantum lacerata: & cuncti Reipub. ordines, cum magnâ publici boni fraude.*

Cedo iam Scioppi, quò te vertes? quid ages? quò te recipies? Elabi non potes, teneris. Hanc ipſam Societatem Ieſu, Chriſtianæ Reipub. adeò frugiferam atque ad tutandam Catholicæ Fidei veritatem, & Religionum reſtaurationem diuinitus, te ipſo teſte, atque præcone, excitatam ipſemet tu propudioſis contumelijs inuadis; infandis libellis ac Satyris deformas; cunctis exulcerati animi maleficijs apud omnes nationes traducis; confertis mendaciorum dedecorumque manipulis coactis diſſitisque, in ſummam inuidiam adducere niteris; egregiam illius exiſtimationem euertere, literarijs eiuſdem Gymnaſijs ac magiſtris probrum atque infamiam imprimere, notam imperitiæ adſpergere, extremam creare perniciem moliris. Hæc verò omnia, ac plura alia à te contra Ordinem noſtrum tentata, acta & patrata, vt cætera deſint documenta, tot famoſa volumina à te in noſtrum omnium fraudem foras data, vt ſuprà vidimus, ſatis demonſtrant. An non ſolùm noſtram Societatem, ſed alias quoque Religioſas familias, vt in meo *Lydio Par. 3. Cap. 5. §. 1.* oſtendi, fœdiſſimis ignominijs notauiſti; quin etiam in omnes quoque Chriſtianæ Reipub. Ordines, in Sacerdotes & Clericos, in Præſules, Epiſcopos, & *Cardinales*, in Pontifices Maximos, in Principes, Reges, Cæſares, Regiones, ac Prouincias, vt ibidem expoſui, impudenter debacchatus es. Ecquis ergo non animaduertit, ſecumque reputat, quàm exitiabilem cladem communi omnium bono nocentiſſimis tuis iſtis facinoribus intuleris? quis

non

non colligit, quàm multam animarum vim infames iſti tui codices à te proſeminati infatuarint, & quum ab alijs illarum curatoribus, tum à nobis, quæ iam aut reſipuerant, aut bonam ad frugem reuocari porrò potuiſſent, per indignum nefas abduxerint? quis non intelligit, quantum hinc detrimenti & noſter Ordo, & ſacri viri omnes, & Catholica res vniuerſa, vt funeſto iam vſu nimis compertum eſt, hactenus ceperit, maioraque damna gliſcentes in diem calumniarum rumores, niſi comprimantur, minitentur? quis mortalium tam iuratum noſtri hoſtem, pertinacemque inſectatorem te nouit, qui neſciat, nullum à te finem Societatis noſtræ dedecorandæ ac perſequendæ fieri? Quem fugit, aut clam eſt, noſtram indulgentiam ac tolerantiam tamdiu ludibrio à te fuiſſe habitam, ſilentium noſtrum tam diuturnum, ipſis triginta annis à nobis ſeuerè actum, vt anteà a narraui, nihil omninò peperiſſe fructus, quin potiùs non exiguæ calamitati fuiſſe, nihilque melioris notæ deinceps polliceri?

a *Cap.3.*

Num. 4 *Propter infructuoſum nimis ſilentium, Ieſuitæ ad Scioppium refellendum adacti ſunt.*

Quamobrem tuum ego iudicium, Lector prudentiſſime, hîc appello. Nam quum tam grauia & multiplicia vulnera à Scioppio tum Reipublicæ, tum alijs priuatis, tum nobis maximè inuſta cerneremus, en mirum, ſi noſtrum aliqui tandem ad defenſionis arma, & clypea ſumenda ineluctabili neceſſitatis telo, ne dum honeſtatis, vel vtilitatis blandimento, coacti ſunt? Quomodo enim per Deum immortalem, quomodo ſaluo integroque caritatis officio, quo æterno Numini, noſtro Ordini, proximiſque obſtringimur, tacere diutius

nobis

nobis licuiſſet? quomodo grauiſſima mala ab efferato Laniſtâ diuino cultui, Chriſtianis populis, nobiſque importata, nihil noſtris reponentibus, ſpectare? quomodo tot impendijs latius diriusque impunè ſerpentibus, ſine perfidiæ crimine obſtinatâ diſſimulatione conniuere? Nónne & *canes*, vt appoſitè S. Hieronymus, *a latrant pro dominis ſuis*? Et Socij noſtri pro Chriſti Eccleſiâ, pro Religioſis cunctis familijs, pro Ordine etiam noſtro dimicare iure non auderent? Quis tam hebes, ac ſtupidus, vt ædes ſuas facibus ſubiectis flagrantes intuens, aquæ ſitulam ad eas reſtinguendas, etiamſi commodè poſſit, non afferat, affundatque, ſed brachijs, vt fit, anſatis, lateríque fixis flammas cuncta depaſcentes otiosè contemplari malit? Quid vero Scioppius? an non tam multis libellis, quaſi totidem malleolis in vulgus emiſſis, quos tam diurnâ patientiâ elidere fas non fuit, inuidiæ, calumniarumque faces longè teterrimas Societati noſtræ, noſtriſque viris, quin etiam cunctis Catholicæ Reipub. Ordinibus intulit? Et nos omnes adeò inertes, & vecordes; adeò noſtræ exiſtimationis incurioſi? adeò aliorum frugis à nobis alioqui exprimendæ, nec non tantæ cladis iam acceptæ contemptores, moras neceſſariæ defenſioni adhuc interponeremus? adhuc exitiali defixi torpore, ſcribendi refellendique intercapedinem faceremus? ſed conſcientia remordet, ratio non ſinit, caritas reclamat, ipſe Leo Pontifex Maximus exertè vetat, qui *peſtiferam hanc patientiam, quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit*, meritò appellat, atque *à Sacerdotali vigore abijciendam prorſus*, ſapienter denunciat.

Num.

a Lib. 3. in Ruffin.
b Epiſt. 76. ad Anatolium.

Num. 5. *Etiam aliorum impulſu Scioppium Ieſuitæ refellunt.*

Nec ſanè hactenus pleriquę viri prudentiâ, atque auctoritate præſtantes defuerunt, qui hanc noſtram tam longi temporis, vt ſuprà memorauimus, taciturnitatem liberè improbauerunt, ingentemque ſecurim ab iſtis Scioppianis fallacijs bono communi iniectam indignati, hominis nequitiam diutiùs ferendam negârunt, tam incensè inflammanterque, vt ne ipſi quidem, tametſi amici, conuicijs, ſi conuiciatori tam rabido mutam patientiam adhuc gratificaremur, temperandum ſibi ampliùs iudicarent. Quàm multos quippe hiſce nos vocibus inceſſentes, perſtringentesque audiuimus? Ergóne errores, & fraudes in populorum animos altè deſcendere, auido feſtóque plauſu cum tantâ Reipúblicæ pernicie excipi, medullitusque imbibi patiemini: ſola veritas tam humili apud vos loco, tamque iniquâ conditione erit, vt eam ſine vllâ aduocatione contemptam, profugam, palantemque; vel potiùs in turpe etiam mendacij ſeruitium, ſuppliciumque turpiter abreptam deſeratis? Quid igitur Ieſuitæ, tres ferè inter ſcopulos, inter aram & ſaxum ſtantes, hinc Scioppianis verberati contumelijs, inde publici boni iacturâ perculſi, illinc querelis amicorum tolerantiam noſtram agitantium pulſati facerent? Nempe contentiones, pugnæque alea vel fruſtra tergiuerſantibus ſubeunda fuit, magniique Baſilij inſiſtenda veſtigia, à quo ſimili in cauſsâ, ſingulari poſterorum documento, ſcriptum probè iamdudum nôrant, ſilentio, poſt incrementa malorum omnem patientiam delaſſantium, minimè indulgendum. Sic enim ille ad rem præſentem aptiſſimè, & ſapientiſſimè. *a Silentio res triſtes ferendas aſſi-* *putaui*.

a Epiſt. 79. Euſtachio Epiſcopo.

putani, fore ratus, vt ipſis aliquando operibus verita- tem edocentibus nonnihil corrigantur. Neque enim ex malitia aliqua, ſed per ignorantiam talia contra nos dici arbitrabar. Quoniam verò inimicitiam vnà cum ipſo tempore magis inualeſcere video, & aduerſarios meos ab ijs, quæ initio ſparſerunt, nihil immutari, nec aliquam impendere curam, quo præteritis medeantur, ſed magis illa repetendo obſirmare, & ad ſcopum, quem ſibi ipſis initio præfixerunt, compoſito greſſu contende- re, vt & vitam noſtram affligant, & noſtri nominis opi- nionem apud fratres callido commento polluant, iam mihi non videtur tutum, vt ſilentio me cohibeam ampliùs: ſed ſubit animum meum illud Eſaiæ dicentis: **Silui, num ſemper ſilebo, & feram? patiens fui, vt parturiens loquar.** Quæ omnia in Sciop- pium quadrant examuſſim; à quo ſub eiuratæ hæ- reſis initium etſi pleraque dedecorum ſpicula no- ſtros in homines iaci, noſtroque illudi nomini ſatis animaduertimus; nos tamen ea omnia ab illo vel per imperitiam, vel per linguæ, calamiue intempeſtatem dicta, atque exarata, nondum aſtu- ti colubri malitiâ perſpectâ, interpretabamur; aut certè recenti ab hæreticâ lue migrationi, adhuc nempe valetudinariæ; & auiti Hæreticorum in Ie- ſuitas odij reliquijs laboranti donanda arbitraba- mur; aliquâ ſaltem ſpeculâ oblectati ac ſuſtentati, proceſſu temporis amentiam illum aliquando de- doctum, ſaniora initurum conſilia. At opinione noſtrâ decepti, vbi eum ab inſito vetereque mor- bo non conualeſcere, ſed audaciorem in dies at- que infeſtiorem euadere, tam multa in communis boni fraudem moliri, nullum non lapidem moue- re, nihilque intentatum relinquere, quò Societa- tem noſtram vniuerſam non ſecus, ac quondam *Templarios*, funditus exciſam videret, manifeſtò ſenſimus: tum enimuerò deprehendimus, nobis non ampliùs integrum tutumque elingues ſter-

tere, ſed ore calamoque ſæuienti malo tempeſtiuè obuiam eundum.

Num. 6. *P. Forerus, & P. VVangnereck Scioppio obſiſtunt.*

Quum igitur idem Scioppius ab anno cIↃIↃCII. quo primùm contra Societatem noſtram vexillum erexit, vſque ad annum cIↃ IↃC XXXIII. ſilentes nos patientesque, vt dixi, hoc eſt, luſtris omnino ſex tacitos ſemper, in certamen tot ſuorum libellorum buccinâ toties euocâſſet, ſed fruſtra; vbi poſteà ad eandem pugnam longè feraliore aliorum voluminum claſſico adhuc detrectantes ſolicitauit; tandem P. Laurentius Forerus, quem ipſe quoque doctiſſimum Societatis Ieſu Theologum agnoſcit, *a* laudatque, ad iſtam multorum capitum excetram mactandam, digniſſimus tali monſtro Hercules, primus omnium è noſtris in lacum hunc infelicem venit, validisque Apologeticis vulgatis, pleraque illius capita demeſſuit feliciter, atque obtriuit. Cui paulò poſt P. Henricus VVangnereck, item noſter, additus, complura alia eiuſdem portenta emiſſis Vindicijs Politicis, fortiter obtruncauit. His tam ſtrenuis Ducibus ego, quamuis non haſtatus, vt illi, ſed veles potiùs, ac rorarius, ſuccenturiatus, tertius modò in aciem prodeo; prælioque mox ineundo generalibus iſtis Societatis noſtræ Vindicijs in præſens veluti proludo, pugnæ reliquum deinde *Lydio Lapide, Dentiſcalpio, Strigili*, ac *Nouaculâ*, quàm primùm Deo auſpice fas erit, confecturus.

a *In libro, quem Fundamenta pacis inſcribit.*

Num. 7. *Inania terriculamenta diſſlantur.*

Neque verò quicquam cauſſæ eſt, cur ego, aut vllus alius ob hæc, & reliqua omnia huius generis Apologetica à me, atque à noſtris hominibus conflata, in diuino Iudicio inopinata illa terriculamenta, atque occurſacula, certò experienda, quemadmodum initio ſuperioris diſputationis neſcio quos occentantes audiuimus, reformidemus: Siquidem nos cunctos pro ſuperno illo tribunali vndique ſecuros tutosque hoc quidem nomine tum reddent, non ſolùm ea omnia tam multa rationum, ac teſtimoniorum præſidia, quæ longâ diſceptatione anteà complexi ſumus; ſed tam memoranda quoque exempla à Sanctiſſimo Parente noſtro Ignatio ſpeciatim hoc ipſo in genere frequentata, nobisque ad imitandum ex deſtinato etiam propoſita. Nam, vt cætera omnia in præſentiâ diſſimulem, quàm inſigne atque eximium illud fuit, quum Romæ in vrbe orbis principe, vbi ſe, ſuosque Socios turbulentiſſimâ priùs calumniâ arietari, mox deinde ſummâ omnium Ordinum inuidiâ flagrare vidit; ad Præfectum vrbis Dei famulus vltro adijt, de iniurijs modeſtè conqueſtus eſt, grauiter ſerioque poſtulauit, vt delatores totamque criminatorum manum in iudicium vocaret, ſibique & ſuis, ſuæ teſtificandæ innocentiæ, & aduerſariorum confutandæ calumniæ poteſtatem, vt par erat, faceret? quid vbi calumnias omnes, & calumniatores coram eodem Præfecto palàm reuicit, iique fracti & ſuo iam metuentes capiti, omni ope à Iudice contendebant, vt ab exercendâ quæſtione deſiſteret, iamque illi non inuitus annuebat, & plerique alij quoque, ſponte cedentibus aduerſarijs, dirimendam litem, & pacì conſulendum ſuadebant; ipſe tamen Ignatius,

quà

quâ erat diuinæ Sapientiæ luce illuminatus, meritiſſimò veritus, vt narrat Orlandinus noſter, *a* ne *Societati aliqua hæreret infamia, ſi aduerſariorum accuſatio domi foriſq. vulgata, & publicis conſignata tabulis, nondum tranſacta cauſa, ſupprimeretur; nullis neque precibus, neque minis, ac ne ſuorum quidem conſilijs adduci potuit, vt cauſſam ipſam in iudicium ſemel adductam cum ignominia calumniæ deſereret?* Quid quod vbi à Præfecto precibus eblandiri non potuit, vt inchoatam controuerſiam æquo diſceptaret iure, tandemque abſolueret; ad ipſum Pontificem Maximum maturè contendit, eiusque auctoritate, atque imperio propediem fecit, vt latâ ab eodem Præfecto honorificentiſſimâ ſententiâ, ſuam, & Sodalium innocentiam ab omni ſequioris famæ næuo luculentiſſimè vindicaret? Neque mirum. Inſtitit videlicet ſanctiſſimus, & prudentiſſimus vir antiquorum Patrum ſanctitudine, & doctrinâ florentium impreſſæ quondam orbitæ, tum Latinorum Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, Gregorij, Bernardi, atque Aquinatis; tum Græcorum Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, Chryſoſtomi, & Cyrilli; imò & Prophetarum, atque Apoſtolorum; quin etiam ipſiuſmet Chriſti Domini veſtigijs, qui, vt ſuperiùs prolixè oſtenſum eſt, legitimam, & neceſſariam propriæ exiſtimationis aduersùs obtrectationes, & calumnias defenſionem ſuis & dictis & factis incontaminatis ritè conſecrârunt, atque ad poſteros, vt eadem ingrederentur veſtigia, iam pridem tranſmiſerunt. Quocirca his tam inculpatis, ſanctiſque documentis, atque exemplis vndique nos cuncti probè muniti, non pœnam certè aliquam hac de cauſsâ à Deo timere, ſed egregiam ſperare coronam iure optimo debemus.

Cap. XII.

Impudens Gaſparis Sciopij os calamumque, acidis ſeueriſque verbis eſſe refrænandum.

Num. I. *Aſpero dictionis genere Scioppium eſſe refutandum, quia ipſe maledicentiſſimus.*

VErùm quo, quæſo, orationis genere, quo apparatu triſtem iſtum, & ſuperciliosum alienæ vitæ cenſorem excipiemus, & ſalutabimus? quo apparatu autem, quo genere? quaſi verò hæc anteà quæſtio dilucidè, & deſtinatò profligata non ſit. Quid enim hominis Scioppius eſt? quid animantis? an non eius ego lineamenta, ductus, & colores his ipſis in *Vindicijs*, nec ſemel, neque, vt reor, obſcurè hactenus reddidi? nónne in *Lydio Lapide*, ingenium illius, ſpiritum, ac mores ad vnguem omninò expreſſi? Et cui mortalium dubitationis vlla fibra indidem relicta eſt, quin is ipſiſſimus ille veterator ſit, qui in conuiciando obtrectandoque primas, relegato omni pudore, iam pridem occupanit? is, qui furioſo, lymphatoque ſtylo, non dico in Hæreticos, ſed in Catholicos, nec in qualeſcunque è Catholicis, ſed in ſemotos à turbâ, in Deo ritè consecratos, in religione atque innocentiâ conſpicuos impotenter excanduit? is, qui non in Religioſos viros ac cœtus dumtaxat, ſed in omne quoque Ordinum genus ſacrum iuxta, & profanum, maledicæ ſuæ linguæ, calamique venenum nequiter euomuit? is, qui arrogantiâ & ſuperbiâ prodigialiter inflatus, nemi-

a *Part 3 cap 5.* b *Ibid.§.1.* c *Ibid.§.2.3.4.5.* d *Ibid.cap.1.*

neminique hoc nomine ſecundus, quemquam ſibi anteferri non patitur? an non hic ille, cuius dicta totidem contumeliæ; cuius ſcripta totidem probra; cuius libri totidem ſatyræ? Quidni igitur ſcabrâ rubiginosâque ſermonis ſtrigili bellè pectatur, eâdemque ſimul operâ neceſſariò quoque plectatur?

Num. 2. *Etiam alijs piaculis obſtrictus eſt Scioppius.*

Sed num ille Religioſo aliquo in ordine cucullo, aut quadrato pileolo inſignis eſt? num infulâ ornatus, aut pedo clarus? ſcilicet. Imò inauſpicatus potiùs cuculus, & coruus, homo profanus, & circumforaneus, ventoſiſſimus Grammaticorum, procaciſſimus Pædagogorum, bipedum mordaciſſimus, calumniatorum omnium quotquot impudentiæ nauiter operantur, mendaciſſimus, ac flagitioſiſſimus; quibus omnibus ac pleriſque alijs piaculis eum eſſe verè obſtrictum in eodem Lydio ſatis probatum eſt. Quonam igitur ſcribendi charactere, niſi abſciſſo, quânam refellendi formâ niſi dentatâ illum comprimi retundique par eſt? Quid quod is ipſe implacabilis inſectator, non ſolùm neque Monachus, neque Religioſus, neque Sacerdos, neque *Clericus*, ſed ne de profano quidem Catholicorum grege eſt, dudumque iam in Hæreticorum caſtris, vtcunque Catholici laruam mentiatur, reapſe militat? Teſtor tam multiplices illius lœdorias, codicesque famoſos, qui tot perniciosis ſcatent erroribus, tot inſanæ doctrinæ inquinamentis ſordeſcunt, tot hæreſeon compertas teſſeras, & verrucas Lectoribus paſſim ingerunt, eaque propter cum magnâ veritatis & Catholicæ Religionis fraude, incredibilique animarum damno in Chriſtianâ Republ. adhuc graſſantur. Et

à tam improbo maſtigiâ probè pulſando, dedolandoque deſtrictæ rubidæque cenſuræ flagra & lora, integro fidei, & caritatis officio, abſtineri queant? Quin potiùs, vt Pauli monito pareamus, duriter nobis ille increpandus, atque ad viuum vrendus; vt D Hieronymum imitemur, acerrimis ſcriptis exagitandus; vt priſcorum vatum, cæterorum Apoſtolorũ, cunctorum Patrum, atque ipſiuſmet etiam Chriſti Domini compluribus exemplis inſiſtamus, aſperâ omninò & ſenticosâ dictione compeſcendus; illeque ſcopulus remis velisque declinandus, ne intempeſtiuâ lenitate eum inſolentiorem & Reipublicæ multò nocentiorem, quod ſibi cum Apollinariſtis accidiſſe magnus Nazianzenus, vt ſuprà narrauimus, iure conqueritur, reddamus; illamque notam à Carpenſi Principe Alberto Pio perſpicuè decernente, verba aduersùs tam mordacem Hæreticum temperare non modò eſſe contra omnem pietatem, ſed etiã contra omnem modeſtiam, vt anteà quoque memorauimus, meritò inuſtam, imprudentes ſubeamus.

Num. 3. *Nullis caritatis officijs flecti potuit Scioppius.*

Quæ planè vehementioris orationis ſeueritas in efferatum hunc maſtigem nobis eo magis expedienda, & tota eo fidentiùs exprõmenda eſt; quo illum quibuſcunque manſuetudinis, & amoris philtris ſæpius frequentatis permulcere, ac penitùs nobis demereri, vel ſaltem ab inueteratâ maledicendi libidine abducere nunquam potuimus. Quamdiu enim, & quot iam luſtra Societatem noſtram, Patres, Fratresque noſtros ore calamoque contumelioſo ille dedecorat? Quamdiu linguam Archilochi dentibus nil concedentem omni conuiciorum licentiâ in nos exacuit? Nos

contra

contrà impunè ferocientem, longiſſimo temporis interuallo múti ſemper, pertulimus. Nullo tamen bonę frugis, vt notum eſt, compendio. Amici complures tam impotenter inſanientem, vt ſanam ad mentem rediret, calumnijs modum poneret, noſtrum Ordinem allatrare tandem deſineret, amicè monuerunt: contempſit. Laudes nos contra in illum (quod in eo laude dignum videbatur, ingenuè prædicantes, quò immitem hominem leniremus) non auarè, nec ieiunè profudimus: irriſit; & quo iam diu nos humaniores expertus eſt, tanto in nos inhumaniùs ſæuire, ſuæ Stoicæ, vel potiùs Cynicæ philoſophiæ operę pretium exiſtimauit: tum in deterius quotidie labi, omnia verecũdiæ clauſtra audaciùs quotidie perfringere, iura diuina & humana ſceleſtiùs quotidie corrumpere, bellum Catholicæ fidei, iuſtitiæ, honeſtati, atque virtuti, vt ipſamet docet experientia, quotidie atrocius indicere atque inſtaurare ad id locorum minimè deſtitit. Et nos Eccleſiam Dei ſacroſancto Chriſti Domini ſatam cruore, placidioribus adhuc vſi verbis, infeſtiore in dies plagâ ab iſto vexari, vaſtarique patiemur, & inconſultâ noxiâque modeſtiâ eandem ſi non perfidiosè omninò prodemus, deſidiosè quidem certè perdemus? Auertat Deus obruatque tam infandũ probrum. Imò verò quæ leniter diutinâ tolerantiâ ſanari hactenus non potuerunt, cùm dolore effrænatiſſimi calumniatoris, ex D. Iſidori ſcito ſuprà laudato, in præſens abſcindenda ſunt; & quamuis Senecæ Entheâ vi Tragicoq; furori canenti *a ius eſſe, ferro exprimere, quod nequeunt preces*, generatim ſemperq; aſſentiendũ nullo modo cenſemus: tamen quũ ille iam ab annis ampliùs quadraginta neruos omnes in noſtrę Societatis perniciẽ intenderit, &, quod caput eſt, tam multa in Catholicę Religionis labem iam diu molitus ſit,

a *In Octauiâ.*

cur non ius faſque ſit illatam iniquiſſimè vim vi æquiſſimo iure repellere; & quando humanitatis mel omne, oleumque in eo conciliando curandoque fruſtra inſumptum eſt, acetum ſemel iterumque, ac fel in eodem perungendo periclitari? Nempe *qui blando verbo non corrigitur*, vt ſuprà ex eodem Iſidoro a animaduertimus, *acriùs neceſſe eſt, vt arguatur.*

a *De ſummo bono cap.46.*

Num. 4. *Scioppius ridiculè Ieſuitis mordacitatem exprobrat*

Quæ quum ita ſe habeant, quis non Scioppij præpoſteras intemperias immane quantum miretur, qui quum obtrectandi principatum iam pridem ſibi, vt ſæpius dictum, vindicauerit, Ieſuitasque crudeliſſimè lacerauerit; ſtyli nihilominùs acerbitatem noſtris ſcriproribus exprobrare, tum quamlibet defenſionem noſtri aduersùs inuidos atrocesque calumniatores à noſtris ſuſceptam, etſi pro re ſatis etiam moderatam ac mitem, & neceſſariò quoque arreptam, ceu barbaram carnificinam rabidè ſuis in libellis carpere, adeoque noſtros Apologeticorum Auctores maledicis conuiciatoribus annumerare penſi nihil habuit? Verùm Scioppium ab æquitatis ac rationis amuſſi inſolenter delirare, Scioppio nō inſolens, ſed ſolemne. Atque vt cæteras delirandi cauſſas eidem ſuetas hic prætermittam, illa vtique adipata, ac ſuccida, quòd dum conuiciatorem atque obtrectatorem ex acribus tantùm verbis materiatis, reliquis omnibus attributionibus inſuper habitis, æſtimat; & diuos vates omnes, & ſanctos Patres omnes, & diuinos Apoſtolos omnes, & ipſum quoque Chriſtum Dominum lenitatis & modeſtiæ exemplum conſummatiſſimum, inter conuiciato-

res

res atque obtrectatores referre, ineluctabili neceſſitatis telo, horribilique temeritate ac impudentiâ, vt ſuprà integrâ diſſertatione oſtendi, omninò cogitur. Cæterum vt reliquorum Ieſuitarum Apologetica ab omni conuiciandi obtrectandique notâ & candida veritas; & iuſta cauſſa, & honeſtum conſilium quàm longiſſimè arcent; ita & meas haſce *Vindicias*, & *Lydium Lapidem*, & *Dentiſcalpium*, & *Strigilem*, & *Nouaculam* eadem propugnacula à parili opprobramento facilè, valideque tuentur. Siquidem me ad genus ſcribendi aſperius ac ſpinoſius neceſſitas qua publica, qua priuata & Catholicæ Religionis, & communis boni, & innocentiæ plurimorum, & Societatis noſtræ defenſandi adigit; qua cauſsâ nulla iuſtior; eandemque controuerſandi, oppugnandi, ac refutandi contentionem atque auſteritatem mihi imperat cupido ingens tam grauia detrimenta à Scioppianis libris allata prohibendi auertendique, tum immanem etiam audaciam ipſiuſmet Scioppij, ne porrò furere, & peſtem inhalare pergat, refrænandi, quo conſilio nullum honeſtius: omnia verò, quæ in medium adducam; vt ex ſyncero veritatis fonte hauriantur, fidelem ſedulamque operam, cunctis animi prauis affectionibus procul habitis, ſeriò polliceor. Quamobrem non illi, quibus Scioppius calumniam ſtruit, conuiciatores, atque obtrectatores, ſed illi, qui ea, quæ aut bona, aut indifferentia ſunt, in deteriorem partem flectunt, mendacijs & calumnijs deprauant, ex odio, ex libidine, ex cupiditate, ex vlciſcendi ſtudio peruertunt, quod eidem Scioppio iam dudum conſuetudine tritum eſt, meritiſſimò dicendi ſunt. At qui vitia dumtaxat & vitioſos, vt ego Scioppium, & Scioppiana crimina, reprehendunt, quanquam liberè vehementerque; non de illius comitatu conuiciatores, vel obtrectatores, ſed vir-

tutis patroni vindiceſque à cunctis, quibus virtus ipſa cordi eſt, iure reputandi.

Num. 5. *Increpationibus mel quoque caritatis miſcendum.*

Nihilominùs ita acriori orationi in hac cauſſâ, vt par eſt, ego quidem moderabor, vt Religioſi memor officij, auream illam D. Auguſtini ſententiam, ſtatuentem *a foris* ſanè *terribilem perſonare increpationem* oportere, *at intus lenitatis teneri dilectionem*, ſemper præ oculis habeam, ſemperque cordi inſculptam geram.

Cap. XIII.

Summarium Lydij Lapidis Scioppiani ingenij, Spiritûs ac morum.

Antequam generale Societatis noſtræ patrocinium, cuius gratiâ tam multa hactenus diſceptata præmiſi, ſuſcipio, & cum Scioppio collato pede dimico; armamentarium ingens ex quo tela, atque arma ad hoſtem à iugulis noſtris ſubmouendum, proſternendumque depromam, tempeſtiuè mihi hoc loco patefaciendum eſt: quod ſane dudum ego iam ex famoſis eiuſdem Scioppij libellis fabricaui, *Lydiumq́; Scioppiani ingenij ſpiritus, ac morum Lapidem* congruenter inſcripſi. Verùm ad id, quod iam meditor, perficiendum, omiſſâ eiuſdem *Lydij* primâ parte, quâ hîc opus non habeo, ſatis mihi erit, titulos Capitum ſecundæ, tertiæ, & quartæ Partis, qui breuiarij inſtar ſint, hoc loco recenſere, quos illic ita ſyllabatim exaraui.

LYDII LAPIDIS
PARS SECVNDA.

Cap. I. *Quanti Chriſtiana Reipub. interſit Gaſparis Scioppij artes ac fraudes detegi, ac reuinci.*

Cap. I I *Gaſpar Scioppius Hæreſis iam pridem manifeſtò infamatus.*

Cap. I I I. *Prima Scioppianæ Hæreſis teſſera, Apoſtolica Romana Sedes impuratis, patuluq; pulſata cornibus.*

Cap. I V. *Secunda Scioppianæ Hæreſis teſſera, corrupta doctrina de Summi Pontificis in Bona Eccleſiaſtica iure.*

Cap. V. *Tertia Scioppianæ Hæreſis teſſera, nefaria, veſanaq; doctrina de totius Eccleſiæ in honore cultuq; viris ſanctis decernendo lapſabunda auctoritate.*

Cap. V I. *Quarta Scioppianæ Hæreſis teſſera, impia ſanctorum virorum Ignatij, ac Franciſci Societatis Ieſu ludificatio.*

Cap. V I I. *Quinta Scioppianæ Hæreſis teſſera, S. Thomas Aquinas, S. Auguſtinus, alijq; Sancti ludibrio habiti.*

Cap. V I I I. *Sexta Scioppianæ Hæreſis teſſera, dementiſſima Inſtituti Societatis Ieſu vituperatio.*

Cap. I X. *Septima Scioppianæ Hæreſis teſſera, peruerſa doctrina de votis Obedientiæ, & Caſtitatis.*

Cap. X. *Octaua Scioppianæ Hæreſis teſſera, ſtolidiſſima doctrina de Paupertate Patrum Franciſcanorum.*

Cap. X I. *Nona Scioppianæ Hæreſis teſſera, noua, ac temeraria doctrina de Epiſcoporum paupertate.*

Cap. X I I. *Decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, falſa doctrina de preccibus, ac meritis contemplantium.*

Cap. X I I I. *Vndecima Scioppianæ Hereſis teſſera, impia, atque execranda doctrina de diuiduo Religionis ac virtutis à Politicis contubernio.*

Cap. X I V. *Duodecima Scioppianæ Hæreſis teſſera, librorum ab Apoſtolica Sede proſcriptorum iterata editio, ac patrocinium fraudulenter abreptum.*

Cap. XV. *Tertiadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, Hæreſeon, errorumq́ cum veritate conglutinandi, permiſcendiq́ conatus, & fraus impudentiſſima*

Cap. XVI. *Quartadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, communium inter omnes Catholicos ſententiarum oppugnatio, nec non Scholaſticæ Theologorum, & Philoſophorum in docendo diſſerendoq́ normæ irriſio.*

Cap. XVII. *Quintadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, ſcelerata diuinarum literarum deprauatio.*

Cap. XVIII. *Sextadecima Scioppianæ Hæreſis teſſera, Sacri Concilij, Catholicorumq́ Doctorum doloſa obtruncatio, nec non complures aliæ in afferendis, explicandisq́ Scriptoribus ad calumnias, aut errores creandos nequiſſimè conſuta.*

Cap XIX. *Septimadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, generalis Hæreticorum defenſio.*

Cap. XX. *Octauadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, aperta Hæretici hominis, abiectâ tandem Catholici laruâ, profeſſio.*

PARS TERTIA.

Cap. I. *Verruca prima Scioppianæ Hæreſis, portentoſa arrogantia atque ſuperbia.*

§. I. *Scioppij in honoribus, ac titulis iactandis ſuperbia.*

§. II. *Ingens Scioppij in ſui ingenij, ac literarum prærogatiuis recenſendis arrogantia.*

Cap. II. *Verruca ſecunda Scioppianæ Hæreſis, Phariſaica hypocriſis, abditum ſuperbiæ cubile, ac locuples auctarium.*

Cap. III. *Verruca tertia Scioppianæ Hæreſis, Talenta Ieſu Chriſti impudenter à Scioppio ſibi arrogata.*

§. I. *Talentum Scioppianæ Caſtitatis.*

§. II. *Talentum Humilitatis Scioppianæ.*

§. III. *Talentum Scioppianæ Paupertatis.*

§. IV. *Talenta Infamiæ, ac mortis à Scioppio contempta.*

§. V.

§.V. *Alia Scioppij Talenta expenſa.*

Cap. IV. *Verruca quarta Scioppianæ Hæreſis, Principum literæ commendatitiæ, inſigniumq́ virorum teſtimonia inſolenter iactata.*

Cap V. *Verruca quinta Scioppianæ Hæreſis, effrænis omnium Ordinum maledicentia.*

§. I. *Scioppius omnium Religionum Cœtus maligno dente ferit*

§. II. *Scioppiana maledicentia in Sacerdotes, & Clericos furit.*

§ III. *Scioppij maledicentia Sacros Præſules, Epiſcopos, & Cardinales exagitat.*

§. IV. *Scioppius maledicentiâ ipſum quoque Pontificem Maximum lacerat.*

§. V. *Maledicentia Scioppij profanos etiam Principes, Reges, Cæſares, Regiones, ac Reſpublicas mordet.*

§. VI. *Maledicendi palma Scioppij propria.*

§. VII. *Scioppiana maledicentia alexipharmacū.*

§. VIII. *Scioppiana maledicentia Epilogus.*

Cap. VI. *Verruca ſexta Scioppianæ Hæreſis, propudioſa mendaciorum, & calumniarum textrina.*

Cap. VII. *Verruca ſeptima Scioppianæ Hæreſis, ſupina ignorantia atque inſcitia.*

§. I. *Scioppiana Grammatices imperitia.*

§. II. *Scioppius Logices, Rhetorices, atque Eloquentiæ ignarus.*

§. III. *Scioppij in Phyſicis, Metaphyſicis, atque Ethicis hebetudo.*

§. IV. *Alia Scioppianæ in Moralibus inſcitiæ documenta.*

§. V. *Scioppij in Politicis, ac rebus ſacris deliramenta.*

§. VI. *Scioppianæ ignorantiæ atque inſcitiæ coronis.*

Cap. VIII. *Verruca octaua Scioppianæ Hæreſis, inconſulta dictorum ac ſententiarum inconſtantia, & repugnantia.*

Cap. IX. *Verruca nona Scioppianæ Hæreſis, verſuta Catholicæ Religionis ſimulatio.*

Cap. X. *Verruca decima Scioppianæ Hæreſis, multiplex variorum ſcelerum infamia.*

PARS QVARTA.

Cap. I. *Qualis Hæreticus Scioppius ſit, & quo iure appellatur Hæreticus.*

Cap. II. *Scioppius non minùs fruſtra, quàm fraudulenter ſuos errores, atque Hæreſes excuſat.*

Cap. III. *Gaſparis Scioppij germana effigies ſuis expicta coloribus.*

Cap. IV. *Totius Operis ad Gaſparem Scioppium peroratio.*

Hæc ego omnia in *Lydio* illo meo, quem dixi, Lapide non tralatitiè, ſed accuratè luculenterque iam oſtendi, quæ nemini latêre, vt quid hominis Scioppius, quo ingenio, quibus artibus, aut moribus ornatus ſit, probè diluceat, publicæ rei non exiguum duco operæ pretium.

Cap. XIV.

Generalis, & ſolida calumniarum omnium à Gaſpare Scioppio Societati Ieſu ſtructarum refutatio.

Num. 1. *Indicitur Scioppio certamen.*

SCioppij ingenium, dicta, mores, ſpiritum, ac facinora paucis modò, quanquam ad id, quod in præſens molior, ſatis, libaui: prolixè autem, & graphicè in *Lydio* illo, quem appellaui, Lapide totum, vt innui, expinxi hominem. Nunc ſtylum ad Societatem Ieſu infeſtis, ac venenatis illius li-

bellis

bellis toties laceſſitam, toties vexatam flecto. Equidem animoſus, ac lætabundus hanc in arenam deſcendo. Nunc geſtiunt mihi manus: nunc feruet calamus. Age Scioppi, age, in publicum Chriſtiani Orbis theatrum, conſertis mutuò dexteris, ſimul procedamus. Hîc nobis de ſummâ rerum, decretorijs armis punctim, cæſimque pugnandum. Spectate, Superi, ſpectate terrarum Præſides, ſpectate Principes, ſpectate Reges, ſpectate Cæſares, quos potiſſimùm in Societatis noſtræ excidium tot probroſis codicibus ad vos deſtinatis, tanquam ferali claſſico, efferatus hoſtis euocauit. Spectate Antiſtites ſacri, Epiſcopi, *Cardinales*, Pontifices. Spectate viri eruditi, ac rudes, nobiles, & plebei. Spectate omnes *Catholicæ Eccleſiæ* Ordines ſacri & profani. Adeſte vos quoque improbi, atque inimici. Accedite vos pariter inuidia, & mendacium. Aduolent etiam Tartarei ipſimet Dæmones, cunctique honeſtatis & virtutis oſores: atque hi vniuerſi veritatis luce, fulgureque perſtricti, totis artubus contremiſcant. Adſum hîc ego Societatis Ieſu indignus, ac minimus Filius pro Matre optimâ, innoxiâque, ac de omnibus bene merendi ſtudioſiſſimâ aduersùs calumniam præſentiſſimâ alacritate decertaturus. Adſum ſolâ veritatis ægide thoracatus: hac vnâ etiã ſcutatus ſimul, atque haſtatus, qua nixus dumtaxat, victoriæ omninò ſecurus, in aciem nunc prodeo. Nam niſi iura omnia diuina atque humana conuellantur, niſi æquitatis ac recti omnis reuerentia pereat, niſi commentis, fabulis, dolis, fraudibusque cuctorum hominnum iudicia ſeſe deuoueant, immolentque; equidem his inſanè vndique vlulantibus & circumfrementibus percelli poſſum, ſuperari autem, cadere, aut vacillare planè non poſſum.

§. I.

§ I.

Primum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, calumniæ Scioppianæ compluribus traiectæ Apologeticis, nulliſque conſolidatæ documentis.

Num. 2. *Famoſi libelli Scioppij in Ieſuitas nullius fidei.*

Iam auidè expecto, Scioppi, vt quicquid tormentorum, atque miſſilium in Societatem noſtram, Sociosque meos coagmentâſti, ſtrenuè, contentèque tandem exoneres, atque eiaculeris. Quid carpis? quid criminaris? quid exagitas? Quaſi verò, inquis, iam dudum tredecim minimum libros in Ieſuitas conflatos, tibi etiam anteà recenſitos publicâ luce non donauerim, quibus ego nihil eſſe Ieſuitis nequius, nihil in Orbe nocentius palàm oſtendi. Oſtendiſti autem? quibus, obſecro, documentis? quàm validis? nullis. Quibus compertis tabulis? nullis. Quibus incorruptis teſtibus? nullis. Itáne nullos ego produxi teſtes, regeris, nullas tabulas, nulla documenta? Prô amentem inficiandi impudentiam! & quæ porrò vnquam erit, ſi hæc non eſt, quæ turbam ingentem ſpiſſamque nubem teſtium, documentorum, & tabularum per vrbes & oppida iam pridem volitantium, quibus codices meos vndique communiui, à me excitam non ſolùm inſuper habet, ſed hactenus etiam eductam in ſolem negat? At velis nolis, vtcunque tibi doleant oculi, etiamſi tam multas in Ieſuitas Satyras fœcundiſſimâ maledicentiâ enixus es; nullis tamen argumentorum neruis eas compegiſti, nullâ tabularum fide roborâſti, nullâ teſtimoniorum auctoritate fulſiſti. Quid enim? ſi decumanas calumnias ineluctabilium

ſtabilium documentorum inſtar obtinere vis, ſi adipata mendacia emedullatæ veritati eadem cenſes, ſi mera conuicia, & probra exploratis tabulis gemina autumas; tibiq́ue ita hariolanti, atque ſomnianti cuncti non ſolùm capite cenſi ac proletarij, ſed Patres quoque conſcripti annuendum, plaudendumq́ue arbitrantur; viciſti planè, ſalusq́ue Ieſuitarum omnium conclamata penitùs eſt, quos vel paucis tuarum lœdoriarum folijs mactâſti, vno propemodum flatu exenterâſti, obtutu ipſo vniuerſos ad internecionem deleuiſti; vſque adeò nauiter, ac liberaliter illic mendacia mendacijs, calumnias calumnijs, conuicia conuicijs, fraudesq́ue fraudibus infarſiſti.

Num. 3. *Scioppiana charta, nullam faciunt fidem, niſi adulterinam, nemo innocens, ſi accuſare ſufficit.*

Si autem veritati, innocentiæ, integritati ſuus aliquis honos adhuc ſuppetit, atque ab hac triplici luce mendacia omnia, calumnias & fraudes ſecerni neceſſe omnino, tum vinci etiam, quod nemo, niſi improbus, in dubium reuocauerit, par eſt; quibus, rogo, probationibus tuas illas, criminationes, & contumelias circumſepſiſti? quas ibi tabulas, niſi adulterinas; quæ documenta, niſi ficulnea; quos teſtes, niſi inteſtabiles, aut reclamantes in medium attuliſti? Societati Ieſu, ac Socijs eius innumera, & portenta & delicta tu affinxiſti, nullum oſtendiſti. Ad hæc penitùs reijcienda ſat mihi ſuperq́ue eſt, inficiari dumtaxat omnia, & quæ tu, nullâ adhibitâ fide, niſi ſubleſtâ, ac Punicâ opprobrâſti, ſolâ negantiâ delere; atque hoc pacto cuncta, quæ intorſiſti, tela vel leni tergiuerſatione commodè exire. Cur enim plus fidei tibi,

qui

qui temerè & præcipiti impetu illa ingeris, quàm mihi, nobiſque, qui anteriore innocentiæ poſſeſſione (in quâ & ſumus, & dudum antè conſtitimus) eadem elidimus, habendum eſt? An te clam eſt, quum à Petiliano Hæretico nonnulli Romanorum Pontificum de varijs maleficijs ingenti temeritate appellarentur, ijsque magnus Auguſtinus aduocationem daret, vbi vanam criminationem nullo fultam argumento animaduertit, cunctas illas calumnias vno inficiationis acinace à ſapientiſſimo patrono cæſas planè fuiſſe, ac profligatas? *Quid* enim *eſt opus*, ait Doctor eminentiſſimus, *a vt Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumnijs inſectatus eſt, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri eius Melchiades, Marcellus, & Silueſter traditionis Codicum diuinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: ſed nunquid ideò etiam conuincuntur, aut conuictì aliquando documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit Ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, quum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?* Iam ſi ego hos ad calculos te vocem, Scioppi? nónne tibi oculi, vultus, & verba omnia ſtatim cadent? plurimorum criminum Ieſuitas tu detuliſti; ſed num propterea etiam conuiciſti? ſcilicet. Mortalium omnium nequiſſimos pronunciâſti. At ego innocentiſſimos aio. Iureiurando religiosè etiam confirmas. At ego peierare te ſine vllâ religione, interpoſito ſacramento, religioſiſſimè aſſeuero. Nihil tu argumentorum, aut teſtium ad accuſationis capita figenda & ſtabilienda, niſi commentitium, vietum, fraudulentum, & carioſum deprompſiſti. Quorſum ergo alio prætereà ſcuto propugnationis innocentiam noſtram prote-

a *De vnico Baptiſmo contra Petilianum, cap. 16. Tom. 7.*

protectum eam, quum gentium omnium communi iure ab Orbe condito vbique ſancitum ſit, accuſatore delictum tabulis ac documentis minimè firmante, quemcunque reum è veſtigio abſolutum, innoxiumque cenſeri? Abſque hoc enim foret, *Ecquis*, Scioppi, *innocens eſſe poßit*, vt rectè ab Ammiano Marcellino monitum non ignoras, *ſi accuſâſſe ſufficiet?* Tu quidem certè nullo negotio omnium flagitioſiſſimus illi audires, & facilè quilibet, ingenioſi, & diſerti famam, gloriamque tuo impendio captans, multiplicium ſcelerum actionem tibi intendere, teque planè & mœchum, & incendiarium, & parricidam, & ſicarium, & latronem, & proditorem, & ſexcentorum piaculorum reum eſſe eâdem operâ fabulari, & perſuadere poſſet. Nec tu ſolùm, quem alioqui multis coopertum flagitijs in *Lydio* meo Lapide non equidem finxi, ſed teſſeris quàm exploratiſſimis demonſtraui; verùm etiam integerrimus quiſque, & morum ſanctimoniâ cœleſtiſſimus eandem infamiæ aleam à calumniatoribus tui ſimilibus iactam neceſſariò ſubiret. Quis namque prudens, vt Senecæ verbis vtar, a vnquam exſpectet, *vt maleuolentia quicquam inuiolatum ſit, cui nec ſacer Rutilius fuit, nec Cato?*

a *De vita beata, cap.* 18.

Num 4. *Scioppius Apologetica Foreri pro Ieſuitis refellere non audet.*

Quid tu ad hæc, Scioppi? fateriſne te Ieſuitis immeritò, ac temerè diem dixiſſe? quid ais? fateris? perijſti funditus, vnoque ictu cunctos tuos libellos famoſos iugulâſti. Repugnas? At Laurentius Forerus noſter tua illa omnia probroſa volumina compluribus Apologeticis, *Antimelandro*, *Antanatomia*,

tomiâ, Mantiſſâ, Proteoq́, Grammatico dudum vulgatis, planiſſimè confutauit, fruſtillatim concîdit, minutatim obtriuit; mendacia omnia, calumnias, & flagitia tuum in caput manifeſtò reiecit; bipedum te fallaciſſimum, ac ſceleſtiſſimum apertè repræſentauit, cuncta illa dedecora, quæ nobis inuſtum iuiſti, tui in nos odij meras eſſe fabulas, mera commenta & dolos ſine dolo liquidò patefecit. Quid tu iam Saperdarum anteſignane hiſce tot Apologijs poſt tot ab illarum editione annos repoſuiſti? quid candidi, ſynceriq́ue reſponſi dediſti? nihil prorſus, ne verbo quidem. At enim nouos tu deinceps alios, atque alios infames libellos, vt noua in dies nequitiæ incrementa capiebas, ita ad Ieſuitarum exiſtimationem magis commaculandam Lectoribus obtrudere perrexiſti. Sat ſcio, neque noſtrum vllus ambigit. Verùm etſi antiquis mendacijs & calumnijs nouum tu quidem eiuſdem furfuris auctarium ſubinde adieciſti, vel certè vetera opprobramenta præſtigioſus fullo magnam partem dumtaxat interpolâſti; nihilominus cuncta illa Foreri Apologetica nunquam hactenus ne vnâ quidem voculâ oppugnare, vel infirmare auſus, ſemper intacta relinquere, proptereaq́ue herbam illis quoque porrigere coactus es.

Num. 5. *Si Societatis Apologetica ſolida non eſſent, potuiſſent facilè refutari.*

Si qua tuis illis in monſtris veritatis particula, ſi qua ſaltem guttula fuiſſet, quàm procliue tibi erat, quàm ſolutum, Foreri propugnacula ſubruere, demoliri, ſolo æquare? Mendacia ille, & calumnias à te compoſita tibi iniuriâ exprobrauit? Tuum erat, hanc ſycophantiam Orbi vniuerſo detegere.

tegere. Fucum alicubi fecit? tuum, in loco eum depellere. Minùs verè, parum ſolidè, fallaciter, aut tralatitiè tua delationum portenta tranſuerberauit? tuum, publicatis vindicijs illum redarguere, rubore ſuffundere, fractum omninò atque elinguem reddere. At nihil horum præſtitiſti, non tergiuerſatus es, non abnuiſti. Nunc ergo ſcitor ex te, Scioppi, quid cauſſæ fuerit, aut ſit, cur tam inſigni ac multiplici infamiâ notatus à Forero, hac patientiſſimè demuſſatâ, ei ſermonis vices non retuleris? cur eam non elueris? cur non induxeris? Otium, credo, aut facultas ſcribendi tibi deerat? at ſæpenumero poſteà contumelias chartis allinere non deſtitiſti. Societatis Ieſu reuerentia pudibundum te abſterrebat? at iam dudum illam expectoraueras. Antiquę amicitiæ olim cum Forero priuatim conglutinatæ iura, verecundantem prohibebant? at iam pridem ea penitùs antiquaueras. Sceleris immanitas religionem homini religioſiſſimo iniecit? at multo ſceleſtiora facinora deinde nouis conſutis dolis frequentâſti. Cum tuo fortè conſilio, atque conatu minùs bellè faciebat? Imò quum Ieſuitarum nomen funditus euerſum cuperes, idque remis, velisque molireris, nihil huiuſmodi tuis votis blandius velificabat, quàm Ieſuitarum patronum Forerum aduerſarium tuum labefactare, vulnerare, exterminare. Quanti tua intererat, illius fidem omnem eleuare? quanti ſecum digladiantem oſtendere? quanti mendaciloquum commonſtrare? quanti omnium ſannis ludibrijsque propinare? Quæ igitur te amentia tranſuerſum egit, quæ vis turbinis de mentis poteſtate deiecit, vt tibi, exiſtimationique tuæ, debellato Forero, non conſuleres? cur tam longo pertinacique ſilentio ac ſtupore defixus, tam multas ab eo acceptas plagas, adeò inhoneſtas, ac fœdas, ad cicatricem nunquam venturas,

turas, Stoicâ tolerantiâ, quanquam intolerantiſſimus alioqui ſis, iuxtaque intolerabilis, perpetuò diſſimulâſti? dic ſodes, dic. Quid hæres, Scioppi? quid nutas? quid caput ſcalpis? effare tandem. Quorſum Harpocrate taciturniorem, planeque mutum Forero te hactenus ſemper præbuiſti?

Num. 6. *Societatis Apologeticorum ignorationem, fruſtra prætexit Scioppius.*

At qui potui, inquis, Forerum in me furentem aliquando repellere, quum eum in me inſanijſſe, aut quicquam contra me ſcripſiſſe nunquam auditione aut fando acceperim? quum tam multis alijs diſtentus curis, bonâ fide ſemper ignorârim? quum quid Ieſuitæ in me garriant, aut coquant, ſus deque feram? ſed quibus tu ſollers circulator fabulam narras? quibus fucum vendis? Túne, quid de te Ieſuitæ ſtatuant, quid cudant, ne manum quidem vertis? tu, qui rumuſculos omnes de illis, vnde vnde vel à ſubroſtranis, vel à ſubbaſilicanis etiam temerè excitatos anxiè admodum aucuparis, & quicquid ijdem vbique gentium ſomniant, ne dum agunt, aut dicunt, quò omnia ſecus interpreteris, atque ad calumnias ſerendas iniquè torqueas, vt palàm cuncti libri tui famoſi ex inanibus huiuſmodi rumoribus, commentiſque compacti teſtantur, ſagaciſſimâ venaris indagine? Tibíne Foreri pro Societate noſtrâ aduersùs te Apologetica ad id locorum incomperta ſemper fuerunt, qui in noſtrorum ſcriptorum monumentis quicquid inuidiæ, aut obtrectationi vtcunque opportunum fingi poteſt, vt ex ijſdem propudioſis tuis codicibus perſpectiſſimum eſt, vel ab vltimâ Thule, altero-

que

que Orbe, nare planè dæmonicâ odoraris, eruis, rimaris, effodis, exprimis? Tibíne Ieſuitarum hoſti tam infenſo, induſtrioque, Foreri aduerſarij tui lucubrationes in te euigilatæ, quas ille non commentitijs Typographorum nominibus perſonatas, vt tu ipſe aſſoles, ſed notis editorum Ioannis Gachij, Nicolai Henrici, & Gregorij Hænlini diſtinctas; non in aliquo angulo, ſed in ſpectatis vrbibus, Oeniponte, Monachij, atque Ingolſtadij iam pridem publicauit, hactenus ſemper latuerunt? Itáne omnia earum exemplaria tam curioſi præſtigiatoris oculos tot iam annos perpetuò fefellerunt? nullum prorſus ex tam multis illorum, quæ Germaniam, atque Italiam ſunt peruagata, tuas in manus peruenit? nullum, quamuis tenui ære parabile, comparare potuiſti? nullum tu nunc Germaniam percurrens, nunc in proximâ Italiâ diuerſans, à pleriſque Germanorum vel congerronibus tuis, vel quali quali neceſſitudine tibi coniunctis, tum Auguſtæ Vindelicorum, tum alibi degentibus nanciſci valuiſti? Næ tu deliras maximè, ſi quenquam adeò delirum autumas, vt tam inconditis deliramentis tuis credulum ſe præbeat. Sed quid ego Forrei, lucubrationes in te euigilatas tibi probè fuiſſe cognitas, pluribus hîc argumentis à te extorquere conor, quando tu ipſe vltro in tuâ *Alphonſi de Vargas Toletani Relatione*, vt eam inſcripſiſti, *cap.* 10 apertè, candideque id faſſus es? Quum igitur pugnas à Forero pro Ieſuitis in te pugnatas dudum iam noſcitaueris, quid, quæſo, eſt, aut fuit, cur eas nunquam refutaueris? cur non perturbâris? cur non confeceris? cur tacitus ſemper præterieris?

Num.

Num. 7. *Societatis Apologeticorum inani contemptu ſibi blanditur Scioppius.*

Sed quid aio? video te nunc iræ non potentem, ampliùs excandeſcere, ac fremere: méne Foreri nugamentis non obſtitiſſe? non obuiam iſſe? non crucem fixiſſe? quem vmbonis adamantini oppoſitu ad terram ſtatim afflixi? quem impacto ad ludibrium talitro actutum reſupinaui? quem ſuæ leuitatis, & temeritatis pœnas non leues, neque exiguas mihi dare coëgi? Quid audio? Tu Scioppi, Forerum coëgiſti? tu reſupinâſti? tu ad terram afflixiſti? rhaphanum, credo, peponemúue, aut cucurbitam; Forerum autem? ſcilicet. At non legiſti, inquis, meam *Alphonſi Relationem* paulò ante à te commemoratam? Legi, euolui, percurri totam, & quidem accuratiſſimè, ouum nempe virulenti tui calami omnium teterrimum, ac ferè poſtremum. Quid tum poſteà? De hoc tuo additamento, inquis, non ſine iniuriâ addito aliàs experiemur: interim in illâ ego Relatione nónne nugonem nugaciſſimum vel pauciſſimis verbis penitùs compeſcui, atque exoſſaui, vbi diſertè caui, quòd *vir tantus* (Scioppius *a* videlicet, ego ille Aſiæ, Africæ, Europæque domitor) *Cimicis tam fœtidi* (hoc eſt Foreri, de quo illic ſermo, & cui integro capite x. & pluribus alijs contumelioſiſſimè maledicis) *contactu digitos inquinare meritò aſpernatur, rationem habens, non quid illum audire oporteat, ſed quid ſe dicere dignum ſit. In tauros Lybici ruunt leones, non ſunt papilionibus moleſti.* Bonum factum, Scioppi. hæccíne tota tua reſponſio? hæc tota impreſſio? tota, & quidem ineluctabilis. Nunc ego vixi, animamque amiſi. O terrificum reboantis tonitru fragorem! ô fulmen horriſonum, ac triſulcum! Nos planè improuidi, atque

excordes,

excordes, Forere, qui illuſtriſſimum *Comitem* à *Cla-rà Valle*, tam monſtriferum formidoloſumque hoſtem proritauimus: nos incauti prorſus, atque incogitantes, qui cum Lybico Leone, Nemees, nemorumq; omnium terrore, ſigna contulimus. Me quidem certè inchoati cum eo certaminis immane quantum iam pœnitet. En, putabamus cum nugiuendo Grammatico, vel ſummùm cum rabioſulo gallinaceo rem nobis fore; & ecce nobis hic ipſe, Proteus omnino portentoſus, etſi à te iam pridem delineatus, nondum tamen penitùs tibi notus, in Leonem repentinò tranſcribitur, qui nos omnes ceu formicas, aut pulices hiantibus ſuis faucibus vel vno anhelitu mox vorabit. Sed affaniarum ſatis. Nam riſum ego ni liberaliter modò rideam, malè ſanè meis ilijs metuo, ne diſſiliant. Túne Scioppi, Lybicus Leo? ha ha. illepidus lepus. ha hæ. vel, vt ſine fuco, & fallaciâ dicam, ſicut tui probroſi codices muſcerdis ſcatent, ita tu ridiculus planè mus, arctâ muſcipulâ à Forero clauſus, exitum ab eâ, inquiete circuitu, aſſultuque fruſtra quæritas.

Num. 8. *Contemptus & irriſio facilè in aduerſarium retorquentur.*

Nam ſi hæc ſtropha tua tam malè materiata ad ingentem illam criminum molem, quâ te conuênit, & documentis obruit Forerus, excutiendam, abolendamque ſatis eſt; quàm pronum Ieſuitis omnibus fuit, vbi tuæ in nos Satyræ editæ ſunt, has omnes hoc vnico tuo acroamate tam ſuaui blandoque actutum perdere, iure nimirum optimo cauſſando, viros tantos, quos inſignis morum honeſtas, eruditio, atque ſapientia, te etiam præcone, ac laudatore, vt infrà §. VII. conſtabit, exornat; non vllo reſponſo eas eſſe dignatos, quòd ci-

micis tam fœtidi, hoc eſt, tui, quem tot capitalium noxiarum fœtor, quo te obſtrictum eſſe in *Lydio* meo docui, naribus honeſti cuiuſque viri infeſtiſſimum reddit, impurato contactu digitos inquinare meritò vereantur, eaque propter etiam aſpernentur? Quàm ex facili & longè meliore, quàm tu, ratione ſe pro Lybicis Leonibus, qui in tauros, aut in pariles tantùm ruere ſoleant, venditare; te verò pro imbelli papilione, cui illi moleſti minimè ſint, habere, ac deſpicere potuiſſent? Quid tum contra baubari tibi licuiſſet? Quid ſi ego iam te omnium conuiciorum, contumeliarum, flagitiorum, calumniarumque ſarcinis, atque impedimentis perſaturam ſummumque nefas onerem; to verò iſtęc omnia, Apologetico properè proparato, validè euerberante, ac depellente; mox vociferer vſque ad rauim; atqui ego vir tantus ſum, tu Scioppi, quid, niſi fœtidus cimex? ego Lybicus Leo, tu inermis papilio? & ego tui contactu tam tætro digitos contaminem? ego non diſpiciens, non quid te audire oporteat, ſed quid me dicere dignum ſit, in tam ignobile caput vires exeram? Si te Scioppi, hoc pacto, tuoque artificio & armis te reijciam, nónne tuo ipſius pugione ridiculè confoſſus, hoſtia tuæ temeritati, atq; inſaniæ par, de ſubito procumbes? Quid quòd iſto tui patrocinij genere cuiuis obtrectatori, cuiuis calumniatori, & nebuloni aſylum ad contumelias omnes, ad probra, ad calumnias aduersùs cuiuſuis veritatis, atq; innocentiæ lucem fruſtra reſplendentē propugnanda prorſus inexpugnabile ſceleſtiſſimè aperis? Quotusquiſque enim iſtorum non ſeſe quorumcunque Apologeticorum, etſi crimina omnia planiſſimè diluentium, facilè victorem hac vnâ tuâ ludificatione, æquali tecum iure iactabit, ac perſuadebit? cui non erit integrū, atque in expedito, in virum tantum improuisò excreſcere, atque grandeſcere, tum

Lybici

Lybici Leonis exuuias induere, aut mentiri; aduerſariumq; fœtidis cimicibus, quorum contactu manus inquinare nolit; nec non volucribus papilionibus, quibus moleſtiam afferre, ſuæ dignitatis non ſit; annumerare? ſed quod omnium maximè capital eſt, nónne in hanc eandem arcem à te extructam, Ethnici omnes, Iudæi omnes, Hæretici omnes vnà ſeſe recipient, cunctaque orthodoxæ fidei dogmata mox abrogabunt; atque vbi à Catholicâ Eccleſiâ clauis, telisque diuinitus libratis, atque intortis ſe peti, ac perimi cernent; omnia Sardonico excipient riſu, perque palmarem ſycophantiam clamabunt, ſe nihil contra mouere, & malle ipſo ſilentio, quàm libris, vincere; quòd viri tanti, & Lybici Leones cimicum tam fœtidorum, hoc eſt, vt aiunt, *Papiſtarum*, contactu digitos ſuos inquinare Religioni habeant; nec tam deſpicatis papilionibus negotium faceſſere, ſuæ exiſtimationi conſentaneum arbitrentur? Quæ ſanè omnia, ſi tuæ reſponſionis, & patrocinij ratio, in quâ ſolâ tuæ ſpem ſalutis poſuiſti, probanda eſt, neceſſariò tibi quoque, quũ illi ſint conſentanea probanda ſunt, neque vllo à te cuneo excuneari poſſunt. Et tamen quis non videt hæc cuncta technâ omnino impiâ, atque hæreticâ eſſe compoſita; tum impio etiam, hæreticoque ex ingenio eſſe deprompta? Hæccíne verò tu laudas, Scioppi? ais? faceſſe illico hinc ad haras, ſtabulaque Hæreticorum tam impuro ore, atque hoſpite dignum prorſus hoſpitium. Vituperas? at tuam omnem defenſionem iam penitùs auerruncâſti.

Num. 9. *Scioppius Foreri Apologetica, quia vera, refutare non potuit.*

Quum igitur huiuſmodi tua ſeu reſponſio, ſeu fallacia tam infeliciter tibi expetierit; rogo te

demum per humanitatem tuam, per Stoicum ſupercilium tuum, per Philoſophicum barbitium tuum, cur Foreri pro Societate Ieſu, & Ieſuitis Vindicias nunquam redarguiſti, neque ſtylo vlciſci aliquando auſus es? At oppido ineptus ego ſum, qui reſponſum aliquod ex te, cui obſtinatum ſilentium multo, quam tui patrocinium, conducibilius eſſe non latet, eblandiri, aut exprimere contendo. Quid ſi ego hoc te labore & curâ iam leuo, laborantique ſuppetias tempori aduenio? ecquid erit xenij, aut ſtrenæ? verùm totum id tibi vltro ego remitto, gratiſque omnino operam addo, cum eo tantummodo, nec tu ingratijs audias, mihique propterea grauius, quod vereor maximè, iraſcaris. Arrige nunc aures, Scioppi: ſyncerum, purum, & ſine fuco veriuerbium eſt, te Foreri pro Societate Ieſu & Ieſuitis Apologetica idcirco ne verbo quidem reſecutum eſſe, nec refelliſſe, quia reſequi, aut refellere non potuiſti. Nam quum ex illis veritatis atque innocentiæ ſplendorem clarè emicantem, tuoſque nequitiæ oculos directò præſtinguentem cerneres: tum vtriuſque radios longè lateque pertinentes multo eſſe candidiores, quàm vt vllis tuorum mendaciorum, & calumniarum tenebris infuſcari poſſent, animaduerteres; etiamſi audaciæ columen cæteroqui, & præmortui dudum pudoris ſis; non vſqueadeo tamen te depuduit, vt non rectè tecum reputaueris, tuo nomini, tibique magis frugiferum, multoque meliùs fore prouiſum, ſi multiplicia illa dehoneſtamenta à Forero fronti tuæ iure optimo inuſta perferres, & vel indignabundo ſtomacho concoqueres; quàm ſi, fruſtra obnitendo, inuerecundeque veritatem ipſam, atque innocentiam rurſum criminando noua eiuſdem Apologetica cum immani tuorum acceſſione dedecorum laceſſeres: tum operæ pretium te factarum

ctorum haud ex vano tibi perſuaſiſti, ſi recentia potiùs calumniarum monſtra pareres, atque infucares; quàm ſi vetera male parta, & fucata, eliſa iam atque obtrita vitæ reddere, ac fouere, inuitâ Lucinâ, denuo adorireris. Hoc enimuerò, Scioppi, ſi mentis compos es, oraculum ex tripode eſt, cui vt refragari non potes, ita, ſi porrò coneris, omnino nefas. Nam tu inter eos hominum greges nomen tuum iam olim profeſſus es, qui, vt ſapienter pronunciat *Martyrio* purpuratus Cyprianus, maledicendi libidine abrepti, etſi quæ carpunt, argumentis firmare nequeant, obtrectare tamen non deſinunt; quumque innocentiam, ac veritatem fruſtrà à ſe oppugnari, labefactarique probè ſciant; ſat nihilominus habent, ſi vtrique qualemcunque labem mendacijs & calumnijs adſpergant. Verùm tu ipſum ſancti Doctoris ſyngraphum prouocas. Annuo recitetur. a *Viderint qui vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis immemores, iactitare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt: & quum innocentiam deſtruere, atque expugnare non valeant, ſatis habent famâ mendaci, et falſo rumore maculas inſpergere.*

Quorum omnium quid ac quale ſit conſequens, tu ipſe, Scioppi, perſpicuè intelligis; tanto nimirum Societatis Ieſu, & Ieſuitarum innocentiam eſſe luculentiorem, quanto tuam illius calumniandæ procacitatem impudentiorem eſſe compertum eſt.

a *Epiſt.* 42.

§. II.

Secundùm innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Scioppianæ maledicentiæ patrocinium, compluribus impietatis, hæreſis, aliorumque ſcelerum probris infame.

Num. 11. *Scioppius laruatus, partem Mantiſſæ Foreri pulſat.*

Verùm Forere humaniſſime, ac Religioſiſſime, ingens infortunium meum hactenus abditum ſepultumque, non poſſum te diutius celare. Fatendum mihi ſyncerè, quod res eſt, ſed in angulo, atque ad aurem tibi dumtaxat, ne quis inaudiat. Ego, qui cum Scioppio tam animosè congreſſus ſum, primoque prœlio feliciter defunctus, laureato triumpho me potiturum, nec mihi cum inuideri poſſe exiſtimabam, nunc conſternatus maximè, planeque exanimis de omni haſtâ, clypeoque abijciendo ſeriò, vtinamque non ſerò etiam, cogito. Quid monſtri, inquis, nuncias? Tu exanimatus? omnino. Cur verò? quia Pythiam illam vocem Delphicumq; oraculum de nullo reſponſo à Scioppio tibi dato, quod ego anteà quàm confidentiſſimè fudi, iam non ſine verecundiâ reuocare cogor, idque in preſens ſi non mendacij, falſi quidem certè notatum, quo prætextu iam, aut colore purgem, vix reperio. Ergóne Scioppius reſponſum tandem ſignauit, mihique ſermonem reddidit? Admodum. Qui, rogo? vbi terrarum? quando? paucis accipe. Scioppium Grammaticum Proteum egregiè tu ſanè iam pridem depinxiſti, quippe qui iam in Paſcaſium Groſippium, nunc in Oporinum Grubinium, modò in Georgium Pomerium, aliquando in Philoxenum Melandrum, ſubinde in Fratrem

Iuniperum interdum in Auguſtinum Ardinghellum, identidem in Bernardinum Giraldum, in Danielem Hoſpitalium, in Theophilum Sanctafidiū, multipliceſque alios in vultus transfiguratus, Lectoribus minùs attentis ac gnaris imponere ſuetus eſt. At ecce ex inſperato abhinc aliquot iam annis in Renatum quoq; Verdæum iiſdem artibus abijt, *Statera*que doloſiſſimâ foràs emiſsâ, non quidem tua Apologetica omnia, ſed vnam tantùm *Antanatemiæ Mantiſſam*, neque hanc totám, ſed primam tantummodò eiuſdem *Sectionem* flagitioſiſſimè expendit, ſummâque vi & contentione diſperdere conatus eſt. Et iſtáne tota infortunij, & conſternationis tuæ, ais, cauſſa eſt? ipſiſſima. Et nónne grauiſſima? Nugæ. Si nullam aliam exprimis, equidem reſpiraui. Nam tuâ ex trepidatione ego quoque animo tremuerā, certò ratus, grande aliquod malum tibi, cauſſæque noſtræ impluiſſe. At ea terricula, quæ inopinatò te perculerunt, inaniſſima planè ſunt: & næ tu maiorem in modum falleris, Alberte, ſi Mantiſſæ meæ primam partem à perſonato Scioppio expugnatam, aut quaſſatam reris. Neque enim ea expugnata, vel quaſſata, ſed potiùs longè magis roborata, & confirmata eſt, quod ne tibi quidem in latebris ſitum eſſe, ſi illam *Stateram* vidiſti, & ego bene te noui, vllo pacto poteſt. Quocirca vel ego ſudo cœlo, putoq́ue meridie valde allucinor, vel tu certè ſimulati timoris obtentu ludos me facere voluiſti. Bellè, atque acutè. Rem acu, Forere, tetigiſti. Sed ignoſce, quæſo, meæ ſeu vrbanitati, ſeu ruſticitati, quæ humanitate abuti neceſſe habuit. Nam cum ludione dimicans, ad caput meum, delirijs ipſius atque furoribus verſandis, euertendisque dudum grauidum, fatigatumque honeſtè leniendum, ludo & ioco interdum non poſſum indulgere.

Num. 12. *Ludit operam Scioppius in Mantiſſa Foreri.*

Nunc operam mihi naua, Scioppi. Quæro abs te, quum Ieſuitarum inſectandorum libidini dudum ſis mancipatus; an tantundem, vel vnum idemque eſſe arbitreris, communes Theologorum doctrinas ignominioſâ cenſurâ explodere, in Auctores Catholicos, de Chriſti Eccleſiâ bene meritos, etiam Vaticanâ ſplendidos purpurâ, contumelias iacere, Eccleſiaſticam conuellere immunitatem, Apoſtolicam Sedem abolere, Hæreticos à Chriſtianâ Religione capeſſendâ alienare, viros ſanctos impiè proterere; ac Ieſuitarum exiſtimationem, atque innocentiam affligere, peſſumdare, ſub infamiæ iugum æternum mittere? Quid ais? pariáne iſta facis, aut iuxta omnino æſtimas? Verùm tu ingentes irarum fluctus, ac vortices imo voluis ex pectore, proflasque; hinc illiçet in malam peſtem, malumque cruciatum abi furcifer. Túne tam petulanti diſceptationis formâ clariſſimum [à Clarâ Valle *Comitem* aggredieris? itáne eum tam ſtolidum, vt hæc duo adeò diſſentanea diſparare neſciat; aut ita perfidum vt nolit, comminiſceris? nónne tu inſcitiſſimus, & lapide ſilice ſtultior, qui hæc tam inficeta, & mora percunctaris? At de meâ inſcitiâ, inſaniaque curam omnem miſſam nunc fac, Scioppi, eamque æqui boniqúe conſule. Mollito dumtaxat paululùm animi tui motus, atque vt ratione te capi ducique ſinas, tam magnam tempeſtatem aliquali ſaltem ſerenitate modò diſcute: quo impetrato, & me ſapere intelliges, & tu fors reſipiſces. Dáſne igitur, ius tibi, faſque eſſe, quò Ieſuitis ægrè facias, per ſummum nefas impudentiam nundinari? Impudentiſſimus tu, inquis, ſi quid tale de me viro ornatiſſimo, atque honeſtiſſimo ſuſpicaris. Nunc enim-

enimuerò res in portu eſt, & vulpes in decipulo. Faxo enim mox agnoſcas, Scioppi, niſi pudoris & reuerentiæ clauſtris penitùs refractis, impudentiam inoperto capite profitearis, operoſum illud tui ſub Verdæi laruâ patrocinium eſſe prorſus nullum; vt verò etiam profitearis, eſſe nihilominùs irritum, tibiq́ue longè noxioſiſſimum. Sed obluctaris, & de iniuriâ expoſtulas. Nihil te moror, periclitemur.

Num. 13. *Impudenter Theologorum doctrinas ratas explodit Scioppius.*

Audire in primis cupio de te, bone vir, an quiſquam è Catholicâ Republicâ ſine robuſtâ impudentiâ varias Catholicorum Theologorum doctrinas communibus obſignatas ſuffragijs cum dedecore traducere, & cauillari poſſit? non poteſt. At tu Scioppi in *Myſterijs Ieſuitarum*, quæ tu ſycophantiosè ementitus, prælo iam pridem foras protruſiſti, eaſdem doctrinas, vt te Forerus in Mantiſsâ *Sect.* 1. coarguit, traduxiſti, & cauillatus es. Poſsítne quis ſine eâdem impudentiâ illas ipſas certas doctrinas partim apertè inficiari, partim pro abſurdis habere, partim Hæreticorum argumentis ita oppugnare, vt inexpugnabilem Catholicorum reſponſionem planè diſſimulet, aut ridiculè peruertat? non poteſt. At tu Scioppi in ijſdem *Myſterijs*, vt te reuincit Forerus, hæc omnia flagitia commiſiſti. Poſsítne ſine pari impudentiâ doloſiſſimam quoſcunque errores atque hæreſes proſeminandi rationem inuehere? non poteſt. At tu Scioppi in illis ipſis *Myſterijs* hanc omnino, vt palàm facit Forerus, inuexiſti. Iam quo tandem pacto multiplicem huiuſmodi impudentiam ſumptâ Verdæi perſonâ delere cogitas maiore impudentiâ? Sed tu indignaris, ac fremis. At præter te,

Scioppi, bonas preces, compeſce tantillùm tuam iſtam effrænatam ferociam, & mortalium impudentiſſimus ego ſim, niſi vndique te mox irretiam. Dic enim, rogo te, qui paulò ante commemorata impudentiæ piacula ita eludere conatur, vt Catholicorum virorum nomen à genuinâ Chriſti Eccleſiâ inditum, ipſis impertiat Hæreticis; è contrario verò Catholicos è Catholicorum grege exturbet, nónne impudentiam longè maiore vincit impudentiâ? Non audebis, opinor, inficiari. At reſponſum ad hæc ipſa flagitia refellenda in *Verdæanâ Staterâ a* in tui patrocinium allatum, nónne hanc tantam mephitim exhalat? negas? ipſiſſimum totidem verbis recitetur. *Falſum quidem eſſe, Auctorem* (nempe Scioppium) doctrinas Catholicorum Theologorũ communi conſenſu receptas & approbatas ignominiosè traducere, & cauillari: *ſed verum eſſe, eum doctrinas non ſolùm Ieſuitarum, ſed eorum etiam, qui cum Ieſuitis ſentiunt, in ijs, quæ in libello Myſteriorum traducuntur,* & apertè negare, & verorum Catholicorum argumentis oppugnare, *& reſponſiones ridiculas etiam ridiculè proponere.* Cernis hîc verorum Catholicorum nomine Lutheranos, Anabaptiſtas, cæteraque monſtra Hæreticorum, quorum doctrinis honorem à te haberi, perſonate Scioppi palàm indicas, deſignari? cernis non ſolùm Ieſuitas, ſed eos omnes Scriptores Catholicos, tum veteres Patres, tum recentes Doctores, quos illi in Catholicis ſententijs propugnandis laudant, ac ſequuntur, à te in Catholicorum cœtu minimè cenſeri? Et huis impudentiæ quiſquámne palmam præripiat?

a *Cap.* 1. *num.* 6.

Num.

Num. 14. *Ridet* Cardinales *doctiſſimos* *Scioppius.*

Potésne verò, Scioppi, diffiteri, conſummatæ, ſpectatæque doctrinæ virum Franciſcum Suarez, tum duo Romanæ purpuræ, & Sapientiæ Lumina, Franciſcum Toletum, & Robertum Bellarminum, *Cardinales* Eminentiſſimos, tres Doctores eximios, atque in Catholicum Orbem promeritis locupletiſſimos, à te in tuis illis *Myſterijs* fuiſſe varijs dolis fallacijsque dedecoratos? ſutelis, ac præſtigijs irridiculo habitos? improbo verborum, quæ candidè illi vſurpârunt, mangonio, & corruptelâ ad pleraque portenta, ipſis inuitis, enitenda per apertam vim compulſos? fraudem omnem te frauſum eſſe, vt illorum ora ad contumeliam omnibus tam Catholicis, quàm Hæreticis, præberes? Horum te certè criminum omnium Forerus in ſuâ *Mantiſſâ*, *Sect.* 1. validiſſimè non ſolùm egit, ſed etiam peregit. At hæc quàm denſa, quàm copioſa, quàm adulta impudentiæ ſeges? Prodi nunc perſonate Scioppi, eamque tuâ illâ vel *Staterâ* opprime, vel falce abſcinde. Sed qui tandem? vberiore ſcilicet impudentiæ meſſe. An non enim ſine anfractu verborum ſcribis, a te *Franciſcum Toletum, Robertum Bellarminum ex Ieſuitarum Sectâ Cardinales, item Franciſcum Suarez in odium & contemptum apud omnes tam Catholicos, quàm Acatholicos conari pertrahere: ſed non* conſutis dolis, ac fallacijs, & diſtortiſſimis verborum deprecationibus, quemadmodum obiectat Forerus; *verùm eos proprijs, & natiuis, quos ſibi induxerunt, coloribus depingendo?* Hoc verò tu non ſolùm minimè negas, ſed vltro etiam iactas. At quinam, obſecro, ſunt iſti proprij, & natiui colores, quos ſibi Suarez,

a *In Staterâ cap* 1 *num.* 2.

rez, Toletus, Bellarminus induxerunt? cedò, qui? Si vitas eorum, quæ etiam in libros relatæ, Lectorum oculis præſto ſunt, inſpiciamus; mores honeſtiſſimi, atque integerrimi, & tu ab his inuidiam & deſpectionem viris innocentiſſimis, & præclariſſimis conflare non erubeſcis? Si literarum monumenta, quibus Catholicam Eccleſiam inſtruxerunt, armârunt, muniuerunt, peruoluamus; quid hæc niſi doctrinarum & Catholicarum, & pulcerrimarum, & ſolidiſſimarum emporia opulentiſſima? & tu hinc anſam tam magna capita fœdè conſputandi arripis? Si ſtua illa *Myſteria*, atque *Stateram* ſcrutamur; mendacijs ea, Hæreticorumque argumentis, quibus grauiſſimos eos Doctores, non quidem vulneras (quî enim poſſes?) ſed procaciſſimè ludificas, tota, vt ea ſedulò legenti, trutinantique liquet, inundant: quæ Hæreticorum argumenta, atque mendacia tu eorundem Doctorum & Catholicorum, & probiſſimorum proprios & natiuos colores nequiſſimè appellas. Et quænam, rogo, impudentiæ ſilua ſpiſſior, aut profundior, quàm tua iſta tam latè pertinens, vſpiam frondeſcit?

Num. 15. *Eccleſiaſticam immunitatem proterit Scioppius.*

Neque tamen his deſinis, ſed immunitatem prætereà Eccleſiaſticam in ijſdem tuis illis *Myſterijs*, vt in *Mantiſſâ* ſuâ pariter Forerus oſtendit, a inſanis fabricatis aggeribus oppugnas, admotis perfidiæ tormentis verberas, cunctis aſtutiæ fraudiumque machinationibus arietas; niſu quidem omni ſemper fruſtrato, ſed propudioſæ impudentiæ tuæ documento planè certiſſimo. Id porrò quo tu nunc modo expungas, laruâlis Scioppi, à te requiro. Nempe lubens das manus, teque nauiter impu-

a *Sect.* 1.

impudentem non obſcurè annuis, candidè teſtatus, *a* te *non inficiari, te crebris ictibus pulſare vel vſurpatam, vel extortam illam immunitatem, quam Ieſuitæ tanquam iure diuino Eccleſiaſticis competere, aſſerere non verentur.* Et tu immunitatem, quam tot Catholicorum Doctores iure etiam diuino Eccleſiæ aſſertam probant, eorumque aſſeclæ Ieſuitæ meritò laudant, tuenturque, *vſurpatam vel extortam* aſſeuerare exporrectâ fronte nō dubitas?

a *In Statera cap.* 1. *num.* 4.

Num. 16. *Apoſtolicæ Sedis auctoritatem abrogat Scioppius.*

Quid quòd Apoſtolicæ quoque Sedis auctoritatem poteſtatemque in iiſdem *Myſterijs*, vt te Forerus *a* in eâdem ſuâ *Mantiſſâ* reuincit, albis derides dentibus, indignis deludificas modis, in ora hominum pro ludibrio abire impudentiſſimè facis? & nullus tibi adhuc rubor incutitur? & neque dum pudore frangeris? Imò verò immani etiam auctario impudentiam cumulas, itaque Forero occurris, vt Sedem omnem Apoſtolicam abroges, cunctos Eccleſiæ Præſules in Phariſæorum cenſu numeres, fermento falſæ doctrinæ apud Catholicos vitiata omnia denuncies; ac ne quid à me per calumniam tibi imponi conquereris, ecce tibi tua ipſius à te edita verba, quibus enucleatè ais, *b* te *Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, ſi qua iam eſſet Sedes Apoſtolica, neque irridere, neque ludificari vnquam velle. Sed non ſolùm irridere, verùm deteſtari Phariſæos, qui ſe profitentur ſedere in Cathedrâ Moſis, & tamen fermento falſæ doctrinæ mundum corrumpunt.* Et Hæreticæ tuæ impudentiæ, ac mendacij cornua hinc extuberantia non palpes?

a *Sect.* 1. b *In Staterâ cap.* 1. *num.* 3.

Num. 17. *Hæreticos à fide Catholicâ capeſſendâ alienat Scioppius.*

Ad hæc, quàm perſpicuis, ac neceſſarijs rationibus efficit Forerus, *a* Hæreticorum ad Catholicæ gremium Eccleſiæ regreſſui, reductioniq́ue ingentem, ac perniciabilem remoram abs te in illis tuis *Myſterijs* eſſe iniectam, dum eorum animos in Societatem Ieſu irâ, odioq́ue dudum flagrantes, infandis calumnijs in hanc improbè vulgatis, velut pice adlitâ, affuſoq́ue oleo, multò adhuc magis inflammas: atque ita quò vehementiùs illos in Ieſuitas accendis, eò à Catholicâ fide, ad quam ipſos iſti quibuſcunque poſſunt viribus inuitant, & ſolicitant, longiùs abducis, atque ad ſalutis æternæ interitum acriùs impellis? quanta tua hæc eſt inſignitè impudens impudentia? I nunc, atque hanc tuâ à fronte, ſi potes, abradito. Age, perſonate Scioppi, tuum ingenium atque artes euoca. Sed quorſum? inquis, *b* quum mihi certum ſit, *Id etiam non ſolùm agnoſcere, ſed de eo gloriari, quòd à Societate Ieſuiticâ non tantùm Acatholicorum, ſed etiam verè Catholicorum animos, ante quidem* accenſos. *ſed nunc* plus ſatis, capitali odio replere *conatur, eosq́; alieniores reddere non quidem à Catholicâ, ſed* à Ieſuiticâ fide, *& qui nomen vni Chriſto dederunt, à ſede peſtilentiæ auocare, quæ* mater eſt fornicationum & abominationum terræ, *Apocal.* 17. *verſ.* 5. Itáne verò Protee impudentiſſime, non tantùm de Impudentiâ gloriaris, ſed verè etiam, Catholicæ fidei, vereq́ue Catholicorum appellationibus Sectam Hæreticam, Hæreticosq́ue extra ſinum Eccleſiæ palantes, quos tamen ipſe legitimos Chriſti cultores perperam ais, peruerſè intelligis: Ieſuiticæ autem fidei nomine ipſam

Eccleſiæ

a *In Mantiſſâ, ſect.* 1. b *In Staterâ cap.* 1. *num.* 5.

Eccleſiæ Romanæ religionem rectè quidem deſignas, ſed tanto nequiùs auerſaris, Sedemque Apoſtolicam ſedem peſtilentiæ, matremque *fornicationum*, atque *abominationum* auſo prorſus Hæretico indigitas? Et quò vltra hæretica tua impudentia progredi poteſt?

Num 18 *Scioppius Ordinem Religioſum, ac Sanctorum vitas infamat.*

Quo progredi? nónne eò quoque, vt in ijſdem *Myſterijs* & ſolemne Obedientiæ votum à Religioſo Ordine ex formulâ nuncupatum, & eundem Ordinem à Sede Apoſtolicâ probatum, commendatumque, & ſanctorum virorum vitam, atque miracula turpiſſimè dehoneſtares, quemadmodum vincit Forerus, flagitioſiſſimè graſſatus es? At hanc tantam, tamque proiectam impudentiam quâ lixiuiâ, quæſo, Lucifuge Scioppi, abſtergis? quâ? an non enormi impudentiæ acceſſione præ te ferens, vitam, & miracula Sanctorum Ignatij, & Xauerij Societatis Ieſu à te de induſtriâ obteri, ac irrideri, idemque non tantùm ab Hæreticis, ſed etiam à plerisque Catholicis factitari? an non luci palàm tradis, a *te proculcare vitam & miracula nouorum Sanctorum Societatis Ieſuiticæ, eaq; ludibrio habere; quod faciunt omnes verè Catholici, non pauci etiam ex ijs, qui Ieſuitis tales habentur?* an non hîc rurſum Catholicorum nomine ipſos Hæreticos tantùm, Hæreticâ procacitate comprehendis? an non etiam à non paucis verè Catholicis Sanctos noſtros Ignatium atque Xauerium explodi nequiſſimè mentiris? an non Ieſuitarum inſtitutum quoque, quod Sectam vocas, vnà cum voto Obedientiæ atrociter eâ in *Staterâ* paſſim flagellas? an non denique tot furoris atque amentiæ tuæ remis ac velis ad Phaſidem vſque impudentiæ iam pridem nauigâſti?

a *In Staterâ cap.* I. *num.* I.

Num.

Num. 19. *Scioppio nihil præſidij offert Statera Verdaana.*

Quibus hunc in modum rectè, atque ordine hactenus ſupputatis, apteque concluſis; nunc præterea paucis, ſi pateris, verſipellis Scioppi, te conuenio, ſcitorque ex te; niſi tam multiplici, tamque effrænatæ impudentiæ, qualem tibi iam delineaui, pudorem omnem proſtituas; tota tua illa *Statera* nónne fruſtra eſt, incaſſumque Forcrianæ *Mantiſſæ* vel primam Sectionem, improbiſſimâ, atque inaniſſimâ reſponſione, reliquis eiuſdem partibus, cæteriſque omnibus Apologeticis penitùs intactis, repellere annixus es? quid enim in ea argumentorum tibi eſt, niſi in Hæreticis verorum Catholicorum nomine donandis, in veris autem Catholicis Hæreticorum appellatione infamandis? quid præſidij, niſi in ſanctis Patribus, ſacriſque Doctoribus è Catholicâ Republ. exturbandis? quid opis, niſi in ampliſſimis *Cardinalibus* de Chriſti Eccleſiâ optimè meritis malignè, perfidioſeque traducendis, ac deſpicandis? quid roboris, niſi in Eccleſiaſticâ immunitate Hæreticorum intemperijs agitandâ? quid neruorum, niſi in Sede Apoſtolicâ prorſus ſubruendâ, euertendâque? quid virium, aut momenti, niſi in iiſdem Hæreticis à Catholicæ Eccleſiæ ſinu, vnico ſalutis portu contentè arcendis, ac propugnandis, in Religioſo Ordine contumelioſiſſimè proſcindendo, in Diuis quoque ore impuriſſimo inceſtandis, ac de cœlo in cœnum ſceleſtiſſimè deijciendis? Quæ ſanè omnia vt cum enormi impudentiâ eſſe ſociata, iam expendi; ita ſi tu forſan, verecundiâ nondum omnino profligatâ impeditus, repudianda, atque ablegand a decernis; quid tum, quæſo, ponderis totâ illâ in *Staterâ*, quid rationum tibi reliquum eſt? nihil profectò, nihil; vel ſi eſt, confeſtim proferto,

ingerito, impingito; & palmam illico abſtuleris? quâ tu demum ad Kalendas, opinor, Græcas quàm commodiſſimè ſine dubio potieris. Vt enim, quod res eſt, ingenuè tibi confitear, nihil ſanè adhuc, quando primum innocentiæ Societatis Ieſu patrocinium ſuprà elucubrabam, de vllâ tua ad Foreri libros pro Ordine noſtro Apologeticos reſponſione, etſi curioſè admodum in eam inquiſieram, nec de tuâ iſtâ *Staterâ* quicquam inaudieram; proptereaque neque iſtius, quum ante tuarum, quas in nos publicâſti, Satyrarum Catalogum recenſui, mentionem vllam feceram: at vbi ea deinde meas in manus tandem peruenit, tum appendicem eiuſdem gratiâ ſuo loco ſuperiùs inſerere neceſſe habui, vt illic vidiſti. Cæterùm ſimul atque illam inſpexi, perattenteque luſtraui, extemplo animaduerti, te crimina à Forero tibi obiecta non ſincerè, vt par erat, diluere, ſed audacter fateri ſolùm, ſed inſolenter etiam venditare; nec venditare tantùm, ſed longè tetriorum adhuc acceſſione, ac profeſſione cumulare, præ quibus ſicut graui perennique opprobrio ad omnium ludibria iam expoſitus es, ita cunctam tui defenſionem, additâ tibi inſuper labe fœdiſſimâ, planè iugulâſti.

Num. 20. *Neque Foreri* Mantiſſæ *reſpondet Scioppius.*

Quamobrem interrogo te, perſonate Scioppi. Quid nunc tibi animi eſt? quæ mens? Execraris-ne non fucatè hanc tuam adeò execrabilem impudentiam, an contra vltro quoque profiteris? execraris? nego igitur quidquam tutelæ, præter hanc ipſam impudentiam, tibi ſupereſſe, nego à te Foreri *Mantiſſam* vnquam oppugnatam, nego vllum reſponſum eiuſdem argumentis à te aliquando redditum, vt ex allatis documentis, ac tabulis perſpicuè

ſpicuè ſatis dilucet. Impudentiam non execraris, ſed vltro profiteris? At quid, tum obſecro, lucraris, niſi infandam prorſus infamiam, cum tui patrocinio nihilominùs funditus perempto, nec non cum immani ignominiæ tuæ incremento, vſqueadeò vt vel eâ ipsâ in *Staterâ* non tam Foreri *Mantiſſa* te obluctatum, quàm turpiter præuaricatum, cauſſam tuam totam miſerè corrupiſſe, manifeſtoque prodidiſſe, cuiuis æquo rerum arbitro ſtatim perſuadeas? Quid enim? omitto, quæ tibi haſtenus vitio iam verti. Audebíſne tu deinceps tuam iſtam *Stateram*, quâ reſponſum in illius *Mantiſſam* librâris, commemorare? Itáne verò tu ei reſpondiſti; cui id aliter in manu non fuit, quàm ſi Apoſtolicam quoque Romanam Sedem fatuitatis, ſuperbiæ, ac Tyrannidis, vt in *Lydio a* meo pateſeci, hæreticâ procacitate deferres? Reſpondiſti? ſed ita improbè, vt Pontificiæ ſuffragatores auctoritatis *b infames cloacas* vocare ibi nil penſi habueris. Reſpondiſti? ſed tam furioſè, vt libellum tuum *c Myſteriorum* Apoſtolico interdicto iam proſcriptum tanto magis à pluribus, geminis nempe tibi, paribusque, expeti, ac legi hæreticâ ambitione gloriatus ſis. Reſpondiſti? ſed adeò peruersè, vt Religioſæ Obedientiæ votum pariter turpiſſimâ beſtiæ notâ commaculaueris, *d* auguſtiſſimum diuinæ hoſtiæ ſacrificium Chriſti Domini vacuum corpore nefariè ſtatueris, Catholicos Doctores *e* arctiſſimo piacularis Confeſſionis ſecreto communibus, ratiſque ſuffragijs cauentes *fraudium*, atque *impietatum* Socios nequiter appellâris. Reſpondiſti? *f* ſed ita impiè, vt vniuerſam Chriſti Eccleſiam in ſanctorum virorum ſolemni conſecratione errabundam hæretico ſpiritu pronunciâris,

a *Part. 2. cap. 3.* b *Part. 3 cap. 5. §. 3.*
c *Part. 2. cap 9.* d *Ibid. cap. 10.* e *Ibid.*
f *Part. 2. cap. 5.*

nunciâris, a Lutheri Patronum atque Caluini, tanquam hæreticâ affinitate coniunctus, ſtrenuè egeris, b nuncium Catholicæ fidei, hæreticâ tabe iam purulentus remiſeris; à Catholicâ Religione cunctos Hæreticos diuinæ lucis perduellis, auocâris; ad Dei caſtra deſerenda, nomenque inter Hæreticos profitendum homines Deo authoratos Hæreticus Leno, ſolicitaris. Quæ omnia flagitia tuis exarata verbis ex tuâ illâ *Staterâ* a eodem, quem indicaui *Lydio*, in medium produxi. At ſi hæc ab eâ tollas, repente de omni tui patrocinio ſpes quæcunque inciſa, deque omni legitimâ ad Foreri quæſtiones reſponſione actum penitùs eſt, ruunt ſtatim omnia tua mendacia, calumniæ cunctæ exenterantur, fraudes vniuerſæ ſtigmatum notis deformatæ nudantur. vſque eò vel illa ſuprà à me emiſſa, ipſomet ex oraculo hauſta eſt, te, vt Societati Ieſu, ac Ieſuitis obtrectatores, maledicos tuos dentes & in Sedem Apoſtolicam, & in Eccleſiaſticam libertatem, & in Purpuratos Patres, & in Catholica dogmata, & in Chriſtianos omnes, & in Cœlites ipſos, rabidæ inſtar ſuis, impotenter adegiſſe, nec quicquam ſceleris, etiam longè teterrimi, multiplices præſertim Hæreſis palàm nundinandæ, defugiſſe; perinde ac ſi te tot tamque execrandis impiam delictis, ac noſtro Ordini, noſtrisque viris illudere, detrahere, vel quâcunque ratione incommodare, eodem prorſus reuolui cenſeres. Quocirca non eſt profectò, cur mihi ſuccenſeas, ſi te modò adeò ſtupidum bardumque, qui hæc tam diſparilia ac diſſona diſcriminare neſcias; vel ita hebetatæ, vitiatæque honeſtatis, & fidei, qui nolis, iure meo, quũ id iam ſolidè docuerim, ſimpliciter dixero; atq; hoc pacto illo te laqueo, à quo anteà tam procul abeſſe te ſimulabas, planè illaqueatum intento digito commonſtrauero. Quæ quum ita ſe

a *Part.2. cap 19.* b *Ibid cap.20.* c *Loc. cit.*

ſe habeant, Vertumne inſidioſiſſime, mentiri ſanè pro tuo ingenio, ac lubentiâ potes, calumniari potes, inſectari potes, Deum, & homines linguâ & calamo impuriſſimo fœdare potes: Foreri autem argumentis reſpondere nullo modo potes, non illius tela, quibus te confôdit, vllâ technâ reijcere, non tua mendacia vllo fuco diſſimulare, non tot calumnias quæſito pallio abſcondere, non tam multa facinora à culpa quocunque artificio liberare.

Num. 21. *Coniectura non fallax de Scioppij futuris reſponſis.*

Hinc ego te, per tuam Stoicam diſciplinam, lacualis Scioppi, oro, atque obteſtor, ne iam dirumparis, ſi ex confectis rationibus ſingulare, certumque ſpecimen captum Cordato Lectori in manum modò porrigo, vnde pro ſuâ prudentiâ non ex vano colligat, ſi quid fortè contra cæteros Foreri libros Apologeticos aliquando edideris, quale demum monſtrum, quàm fallax, quàm doloſum, quàm inteſtabile ſit euaſurum; quandoquidem vel in perexiguo illo *Stateræ* libello tot mendaciorum, & calumniarum portenta peperiſti; neque priorum *Myſteriorum*, hoc eſt, ſycophantiarum manipulum aliter defendere potuiſti, quàm ſi in eâdem *Staterâ* te Luthéri, Caluiniique mancipium multo, quàm cunctis alijs in tuis lœdorijs, impudentiùs detegeres. Quapropter hanc ipſam tuam *Stateram* non mihi vllâ ratione metuendam, ſed vltro ad tuam perfidiam, noſtræque Societatis, & Sociorum integritatem multo planiùs, exploratiusque probandam, votis omnibus expetendam planè exiſtimo, diſerteque teſtificor. Imò verò hoc ipſo etiam nomine tibi quoque gratias non mediocres perſoluo, quòd dum in eâdem *Staterâ* ſolens,

ſolens, ac tuo de more egregiè mentiris; eò certè ſaltem de veritate bene meritus es, quòd reliquos Foreri libros tam longô, obſirmatoque ſilentiò prætenens; vnamque *Mantiſſam*, quam ſolam allatrares, deligens; ingenuè candideque homo pudibundus valde, tandem agnoſcis, illos tam validis ad tuam nequitiam retundendam documentis inſtructos, & cataphractos, vt ad hanc meridianam lucem obſcurandam, ne ſatis quidem fraudium, vel calumniarum comminiſci te poſſe, apertè fatearis.

§. III.

Tertium innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Scioppij calumniatoris lingua, acta, & vita flagitioſiſſima.

Num 22 *Scioppius libellos ſuos infamiæ Societatis Ieſu deſtinat.*

Nunc poſitâ laruâ Scioppi, de fucata ſcena in apricum campum pergamus; quumque de tuâ tam diuturnâ Apologeticorum Foreri diſſimulantiâ tam multus nobis hactenus ſermo habitus ſit, iam de tuis ipſis famoſis libellis, cujuſmodi tandem ſint, age, cernamus. Quæro abs te, quum tu eos pangebas, & literis conſignabas, quò ſpectaueris, quò tua conſilia collineâris? Offirmatúmne tibi erat, eorum, quæ illic tu diſſerebas, fidem Lectori facere, eumque ad tuis dictis adſtipulandum pellicere? quippini? inquies. Et quid ego tot machinamentis operoſiùs molitus ſum, quàm vt fauorabilis quæcunque de Ieſuitis opinio ab omnibus amoueretur, illoſque portentoſis omnino flagitijs eſſe contaminatiſſimos, cunctis perſuaderem? Bene eſt, abunde eſt. Iam ſine circuitione

loqueris,

loqueris, mentemque tuam candidè explicas. Quanquam ego de tuâ ipsâ tam prolixâ de Ieſuitis bene merendi voluntate iam dudum nullus dubitabam, & ſtipes planè ſit, quicunque eam tuo ex ore, calamoúe ſtatim non odoratur.

Num. 23. *Mores & vita dicentis magnam ad perſuadendum vim habent.*

Qando igitur ad hanc calcem adeò ex deſtinato decucurriſti; aueo ego ex te intelligere, an ad Lectoris animum tuam in ſententiam perducendum nihil pertinere, aut parum referre arbitreris, quis, qualiſque ſit, aut videatur is, qui rei perſcriptæ auctor eſt; quibus moratus moribus, quibus obnoxius affectibus, probíſne, vel improbis; honeſtis, an obſcœnis? Hoc tu certè nunquam, autumo, apud homines non omnino deſipientes ſubſignabis, vel ſi id fortè etiam audeas, Rhetores vniuerſi colaphos tibi ſine modo infringent, quò tuum intumeſcens caput, tumida tua arrogantia, parque inſcitia detumere tempeſtiuè doceatur; iubebuntque vnà te ab Ariſtotele *a* diſcere, ad auditorem Oratoris opinione imbuendum, implendumque multum ſanè intereſſe, qui vir ipſemet Orator exiſtimetur; peruellet quoque ſtertenti auriculam Quintilianus, *b* memoriam tibi refricans, Oratorem perfectum eum inſtitui, qui nonniſi vir bonus eſſe poſſit, vel ſaltem, quod omnes fatentur, qui probus habeatur, aut probitatis ſpeciem faciat; monebat etiam oſcitantem Cicero, *c* *Vt ſi quis eſt, in quo iam offenderis, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil crediderìs:* ridebit pariter infantiam tuam Philo, infulatus Carpathij Antiſtes, ſapienter

a *Lib 2 Rhet. initio.* b. *Lib 1 proœm.*
c *Ad Q. Fratrem lib. 1. Epiſt. 1.*

ter pronuncians, a *Nihil eſſe, quod tam fidem prædicanti paret in omni cœtu hominum, atque conuentu, quàm parem dictu vitam agere.* Quibus ſi tu Scioppi, nondum aſſentiris, rogo te per tuam moroſitatem, ſi quem piceatis admodum manibus ac rapaciſſimis nôſſes; compilatæ domus, in quâ ipſe diuerſetur, alios poſtulanti fidémne illico tribueres? ſi quem impotenter mulieroſum eſſe conſtaret; puellæ eodem, quo ipſe vtitur, in hoſpitio vitiatæ dicam comitibus extraneis impingenti, actutúmne tuam credulitatem addiceres? ſi quem comiſſabundum, ac temulentum quotidie Baccho operari lautiſſimè, oculis, ac manibus teneres; ſextarij, aut heminæ Cretico vino exinanitæ culpam in conſeruos apud te herum, & Illuſtriſſimum à Clarâ Valle *Comitem*, inclinanti, inclinarésne tu confeſtim animum ad credendum? Morus ſim, ſi te adeò morum putem, aut ſuſpicer.

a *In Cantica Tom.1.Biblioth.PP.*

Num. 24. *Flagitioſi virtutis ſtudioſos ſolent carpere.*

Sed exquiro prætereà, an perditorum hominum morem calleas, Scioppi, qui quanto magis omnes virtutis igniculos extinxerunt, eo vehementiùs expertam, perſpectamque aliorum integritatem vrgent, ac premunt? an ignoras à Plutarcho memoriæ obſeruatè proditum, a *Ita naturâ comparatum eſſe, vt quos nulla tangit admiratio virtutis, ſedulò curent, quò ab alijs celebrata lacerent, atque inſectentur?* an te fugit, à Philoſopho Apuleio monumentis cordatè mandatum, b *In magnâ ciuitate hoc quoque genus inueniri, qui meliores obtrectare malint, quàm imitari; & quorum ſimilitudinem deſperent, eorundẽ affectent ſimultatem?* an oblitus es, improbos eò

a *De progreſſu in virtute.* b *Lib.1.Florid.*

eò quoque furoris rapi, vt ne nomen quidem honeſtatis ad aures ſuas accidere patiantur; eaque propter is demum, vt vetus declamator Salluſtio rectè exprobrat, *maledicere* ſoleat, *qui non poteſt verum ab altero audire?* Nimirum vitij ingenium perpetuò illud eſt, vt eius participes, viri improbi, virtutis colores, radioſque ne intueri quidem velint, & quidquid in probis innocentiæ candicat, de ſubito furuæ improbitatis cenſuram interpretentur, eoſque ipſos, tametſi nihil etiam dicant, cenſores valde clamoſos, & perſeueros reputent; adeoque *ad nomen* quoque *magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum*, vt eos percellit Seneca, *a ſicut ad occurſum ignotorum hominum minuti canes, latrant.* Quid mirum? *Expedit* ſcilicet ijs *neminem videri bonum: quaſi aliena virtus exprobratio delictorum* eorum *ſit.* Quibus etiam ſolemne admodum eſt, ne ſuorum criminum graui inceſſantur obiurgatione, hæc ipſa inſontibus oggerere, vitæque integritate verendos ſtructis calumnijs (ſcelere virtutem, quam nequit peruertere) dedecorare. *Peruerſorum* quippe, vt ſcitè Magnus Gregorius expendit, *b hoc proprium eſſe ſolet, quòd ſuas malitias per conuicium bonis ingerant priùs, quàm de ijs ipſi veraciter accuſentur, & dum metuunt increpari de ijs, quæ faciunt, aduerſantes ſuis prauitatibus iuſtos hæc facere teſtantur.*

a *De vita beata cap. 19.* b *Lib. 13. Moral. cap. 1.*

Num. 25. *Viros ſanctos lacerant flagitioſi.*

Sed putáſne Scioppi, obtrectatorum, & calumniatorum licentiam, carpendique libidinem hiſce dumtaxat ſpatijs, quanquam tam laxis, atque amplis contineri? næ tu falſus falſimonijs es, ſi ita reris. Parum eſt viros probos, quos virtutis

ſtudium

ſtudium cultusque à flagitioſis diſcriminat, iſtorum conuicijs verberari; crebriſque maledictorum notis inuri; quum eorundem effrænata procacitas ne ipſis quidem Chriſtianæ Philoſophiæ coryphæis, morum inculpatiſſimorum luce micantibus, vitæque eximiæ ſanctimoniâ florentibus parcat; quos etiam ad ſuorum facinorum turpitudinem tenebris inuoluendam, inuidiamque leniendam probroſis iactare compellationibus, ludibrioque habere nihil vetitum eſt. *Sanctos* enim *carpere*, vt exertè, ac verè D Hieronymus, *a ſolita eſt lingua maledica in ſolatium delinquendi.* Quin etſi viri ſancti de mortalitatis ſtatione decedant, cœlique regiâ potiantur; non continuò tamen illos à dictorum petulantijs & contumelijs tutos exiſtimato: ſiquidem & cœlum ipſum & Sanctos in ſupernâ illâ Hieroſolymâ perpetuò triumphantes ſceleſti, impurato ore ſaltem, quando manibus non poſſunt, aggredi non erubeſcunt. An non enim iſti ipſiſſimi illi ſunt, qui, Regio vate teſte, *b Poſuerunt in cœlum os ſuum*, ſeu, vt vertit Chaldæus Paraphraſtes, *poſuerunt in Sanctos cœlorum os ſuum:* an non illi, quorum *lingua* non ſolùm *tranſiuit in terrâ*, vt idem Propheta loquitur, *c* ſeu, vt idem Chaldæus reddit, *lingua eorum vſſit Sanctos terra:* verùm etiam, vt diuinus Rex ſubijcit, *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt?* an non illi, quibus *ſatu non fuit*, vt inibi interpretatur Theodoretus, *contra homines iniuſtè agere, verùm cœlum ipſum verbis auſi ſunt petere?* an non illi, qui Sanctos de cœlo ſacrilegis vocibus eò deturbant, quò illuc inſanos, nefarios, atque impios intrudant, veterum fabulatorum amentiam, qui ſideribus, ac planetis nitidiſſimis, tenebricoſorum, ac fœdiſſimorum hominum, Iouis, Neptuni, Martis, nec nón impudicæ etiam Veneris, aliorumque quàm

R plurі-

a *Epiſt ad Euſtochium.* b *Pſal.72.*
c *Ibid.* d *Ibid.*

plurimorum nomina impoſuerunt, auſo teterrimo æmulati? an non denique illi, qui *cælum*, vt S. Hieronymus auctor eſt, [a] *infamare conantur*, & *mercedem ſtupri inter ſidera collocare*; *quaſi eo, quòd pulchrum, & lucidum vident cælum, illud reproborum hominum vitijs deturpare voluerint*?

a *In cap.5. Amos.*

Num. 26. *Scioppij iactantia.*

Hæc omnia quum inter nos, ſine vllâ diſſenſione, concorditer congruant, Scioppi, indulge nunc, quæſo, mihi, vt manu leuiter admotâ, venarum tuarum pulſum, & momenta captem; atque ex te, quid hominis tandem ſis, bonâ fide percuncter. Quaſi verò, inquis, te ſolo clàm ſit, quod toto dudum Orbe peruulgatum eſt. Quàm pridem enim cuncti Scioppium Illuſtrem Dominum, [a] Pontificium Equitem, [b] Apoſtolici palatij *Comitem*, Patricium Romanum, ac Senatorij Ordinis agnoſcunt? [c] quamdiu Principibus, ac Regibus non modò notum, ſed etiam probatum, & commendatum, nec paucis quoque familiari vſu, & conſuetudine iunctum venerantur? [d] quamdiu tanquam hominem veræ Philoſophiæ ſtudio dies, noctesque affixum, pro publicâ; patriæ inprimis, vtilitate ſedulò laborantem ſuſpiciunt? [e] quamdiu in Aulis Pontificum, Cæſarum, & Principum non multò ſeciùs, quàm vel Principes, vel publicos Oratores, honoribus affectum ſpectârunt? ſed hæc ſtrictim attigiſſe hîc ſatis ſit; plura, ſi cupis, meum *Hypobolimæum Scaligerum*, tum *Pædiam humanarum, ac diuinarum literarum* conſule, multoque magis, quid de me tota Germania, tota Italia, atque Hiſpania ſentiant, ac prædicent, interroga[a]; pudor enim cæteras meas prærogatiuas hîc ti-

a *Ioſ. Scalig. Hypobol pag. 116.*
b *Pag. 215.* c *Pag. 288* d *Ibid.*
e *In Pædiâ humanarum ac diuin. liter. pag. 30.*

bi recenſere me non ſinit. Quid ais, Scioppi? pudor? pudor te non ſinit? te nimirum, quo nemo homo inter homines verecundior. Accredámne iniurato, an periuriſſimo? Cur ergo, glorioſe miles, idem ille pudor ſiuit eas alibi tuis in libris ad faſtidium vſq; ac nauſeam abs te tantâ cum oſtentatione, tanto cum faſtu, tantâ cum affectatione paſſim decantari, amplificari, venditari? Nondum fortaſſe tum tantum verecundiæ ac pudoris tua frons, atque in præſentiâ, adhoſpitauerat? At qui tandem, quum eam ex ſeneſcentis ætatis licentiâ ſemper magis magisque perfricueris, penitusque detriueris?

Num. 27. *Scioppius Lydium Lapidem veretur.*

Ceterùm etſi tu ſæpenumero quidem de tuis dotibus, ac laudibus concionabundus, Thraſonis more, paratragœdias maximè, nondum tamen hinc, quid reapſe hominis tu ſis, quæ mei tarditas ingenij eſt, aſſequi poſſum. Quid enim mihi has blatis nugas? quid bullas iſtas excitas? quid leuidenſas tam malè interpolatas ingeris? quid tot præſtigijs micas; faceſſant huiuſmodi ludificationes, tibi ſemper ſuetæ, atque in delicijs; cedoque mihi actutum *Lydium* meum *Lapidem*. Hic enimverò laruam mox ludioni detrahet, hic natiuos tui colores exprimet, hic tuum ingenium expinget, hic totum tuum ſpiritũ emedullabit. At quid ita repentinò, Scioppi, formidas tibi? quid mades metu? quid expalleſcis? Hem exanimatus concidit: accurrite Socij, aquam aſpergite, preſſu, ſucceſſuque fugientem reuocate animam. Scioppi, quò abijſti? quò raptus es? Scioppi, ad nos redito. Ne trepida. nullæ hîc ſecures, nullæ rotæ, non equuleus, non palus, crux nulla, carnifex nullus; *Lydius* dumtaxat *Lapis* tenui ex papyro inno-

xius. Sed fallor. Huius vel ſolum aſpectum, aut mentionẽ furcâ, & Orco peiùs tremis, horreſque. Nec mirum. Conſcientia nempe ſcelerum, domeſticus, internuſque tortor, *Lydij* huius præſertim teſſeris, à quibus ſe penitùs euiſcerari cernit, quouis carnifice diriùs te excarnificat, vocemque omnem quanquam aliàs loquaciſſimo includit, ſanguinis gutta vix vlla tibi ſupereſt, cor immane quantum in pectus emicat.

Num. 28. *Quæuis Scioppij machina à Ieſuitis ſola negantiâ frangitur.*

Verùm ego ſpatium reſpirandi, atque ad te remigrandi non inuitus tibi concedo. Paulùm interſiſtamus. Eugepæ. Tandem reuixiſti. Quæro igitur ex te, quandoquidem ad animum Lectoris tuam in opinationem traducendum, quâ tu ipſe probitate, ac fide præſtes, plurimum refert ei non latere; quæ tuæ excoctæ virtutes, quæ germanæ prærogatiuæ? pleraſque iam ante non ſemel ego libaui; tu cæteras, quæ reliquæ ſunt, ex eodem *Lydio* omnes ſuo collocatas in lumine, ſine vllâ veritatis fraude, vel fuco ingenuè enumerato. Cur aſperaris? cur calcitras? Atqui ego vicem explebo tuam, Scioppi, modò tu in anteceſſum memoriâ repetas egregium illud, inuictumque patrocinium, quo Æmylius Scaurus, vir eximiæ cum dignitatis, tum integritatis, Varij Sucronenſis, infimæ ſortis hominis, procacisque accuſatoris temeritatem compreſſit. Cum enim ille in Roſtra populi Romani aſcendiſſet, non alio aduerſarium telo, quàm circumciſo huiuſmodi Laconiſmo, vt memorat Valerius Maximus, a neque tu ignoras, reiecit. *Quirites, Varius Sucronenſis Æmylium Scaurum regiâ mercede corruptum, imperium*

a *Lib. 3. cap. 7.*

rium populi Romani prodidiſſe ait: Æmylius Scaurus huic ſe affinem eſſe crimini negat, vtri creditis? Quâ breuiſſimâ interrogatiunculâ vſus, nec plura, nec verbum vllum pro ſe ampliùs locutus, mox perorauit, ac de Roſtris deſcendit; ſed calumniæ illico victor, cunctis totius populi ſuffragijs (tanta fuit de incorruptâ eius fide exiſtimatio) continuò abſolutus. Idem ego quoque in hac contentione iure temporique vſurpauerim, nec tu iure poteris indignari. Viri principes, Orbis Chriſtiani moderatores vniuerſi, voſque omnes quotquot Chriſto Domino fidem veſtram oppigneràſtis, aures, quæſo, veſtras erigite, & quàm attentiſſimas præbete. Gaſpar Scioppius innumeris piaculis Societatem Ieſu, & Ieſuitas obnoxios eſſe ait; Societas Ieſu, & Ieſuitæ negant. Vtris creditis?

Num. 29. *Facinora Scioppij fidem ei detrahunt.*

Iam quæro de te, Scioppi, arbitreriſne quenquam ex omnibus non ſpecie tenus dumtaxat, ſed verè Catholicis, eſſe tam improbum, vt amputatâ huiuſmodi, abſciſsâque oratione perculſus, vbi hinc te penitùs, qui ſis, inſpexerit; illinc autem Societatem Ieſu, & Ieſuitas, qui, & quales ſint, probè nôrit; relegatâ prauâ omni animi affectione, nos omnes extemplo innocentes ſuo calculo non ſit pronuntiaturus? Quæ enim Ieſuitarum vita ſit, qui mores, quæ acta, quum in oculis omnium ſint, quem præterit, niſi qui hanc imperitiam amat, ac ſtudio fouet? Tu verò, Scioppi, quid animantis es? quod tuum ingenium? quis tuus ſpiritus? quæ tua facinora, vt tibi fides haud temerè haberi queat? Teſtor *Lydium* meum Lapidem. *a* An non tu ille ipſiſſimus, qui maledicendi

R 3 prouin-

a Part. 3. cap. 5.

prouinciam ac munus tamdiu contumelioſiſſimè adminiſtrâſti; qui virulentis tuis dentibus in omnes planè Ordines, omniumque decus, ac famam, ceu rabidus aper, ſæuijſti; qui Monachos auaritiæ ſordibus inquinatos, fermentoque Phariſæorum infectos mentitus es; qui Religioſos viros Epicureorum nomine flagitioſè dehoneſtâſti; qui *Abbates*, atque *Præpoſitos* maiorem partem fructuum ventri, gulæque alicubi pollucere (nempe quod tuæ minimè conſulerent) nequiter aſſcuerâſti; qui Sacerdotes omnes tribus in prouincijs *concubinarios*, præter ſex, inuentos; *Clericos ſeculares* ſic viuere, vt nec *reſurrectionem*, nec *Angelum*, nec *Spiritum* credere videantur, eoſdem *Atheiſmi* reos, & vitam lutulento porco, quàm homine digniorem ducere ſceleſtè commentus es? & quiſquam mortalium ita inſaniat, vt tibi ita tum in hos omnes, tum in Ieſuitas cunctos ſine vllâ probatione bacchanti adſtipuletur?

Num. 30. *Oſtenſa alijs documentis, facinora Scioppij.*

At quæſo prætereà. Tu quis es, Scioppi? Teſtor meum *Lydium*: nónne ille, qui Epiſcopos opum ſacrarum fures, raptores, ac latrones, Deos alienos colere, ſacrilegos, homicidas, *Atheos*, a ex ſuilibus, aut porcorum haris lectos, in croceis nutritos ſtercora amplexari, inſolenter, nefarieque ſcripſiſti? nónne ille, qui *Cardinali* Bellarmino paradoxa impia, *ſcandaloſa*, ac peſtifera infrunito ore affinxiſti? nónne ille, qui Romanam Curiam, Summosque Pontifices in bonis Monaſteriorum diſpenſandis non habere diuini humaniqúe iuris religionem, ſed ea purpuratis patribus velut lupis, in prædam dare impudenter vulgâſti? ille, qui Sedis

a *Part. 3. cap. 5.*

dis Apoſtolicæ poteſtatem tam ſcurriliter irriſi-ſti? *a* ille, qui Pontifices Maximos, quod Societatis Ieſu inſtitutum approbarint, *b* imprudentes, ſtultosque tam petulanter appellâſti? ille, qui Chriſti Vicarios, quid anima ſit, neſcire, nec pluris animam hominis, quàm animam piſcis facere, neceſſarioque Summum Antiſtitum de iuſto meretricis pretio conſulendum, non minùs falsò, quàm turpiter affirmâſti? & quemquam tu ita fungum reperias, vt tibi portenta in Ieſuitas edenti, quando & tot prima capita immani audaciâ calumniatus es, fidem adiungat?

a Part.2.cap.3. b *Part.3.cap.5.*

Num. 31. *Alia Scioppij piacula.*

Sed necdum funditus te excuſſi. Quæſo inſuper, Scioppi. Tu quis es? Teſtor meum *Lydium*. Ille profectò, quem mendaciorum cuiuſque generis promum condum eſſe, *a* mendacijsque gloriari perſpectum eſt; quem calumniandi arte omnibus antecellere extra controuerſiam; *b* quem ſecum ipſum pugnare, ſibi paſſim contradicere, tui immemorem, quæ neſcis, effutire, abrogare, quod dixiſti; cerebro, inſtar ebrij, turbulento, greſſuque labante, parietibus viarum, an verborum? reciprocari; aliud ſedendo, vt aiunt, aliud ſtando garrire, mentis caligine vbique gentium circumagi, iam dudum compertum. At neque tum totus prodijſti. Negabiſne ad hæc, te eum quoque eſſe, qui Pontifici Maximo, *c* quoties *Monaſterium* aliquod, etſi omnibus vacuum Monachis, etiam ob quancumque publicam vtilitatem, vel neceſſitatem alicuius *Epiſcopatus*, Seminarij, vel Collegij vſui addicit, dicam ſacrilegij dementer impegiſti? *d* eum, qui Obedientiæ votum Societatis

a Part.3.cap.6. b *Ibid. cap.8.*
c Part.2.cap.4. d *Ibid.cap.9.*

Ieſu ſtatum, fixumque beſtiæ *Apocalypticæ* characterem, ac *brutalitatem*, inſubidè vocauiſti? *a* eum, qui de voto caſtitatis, deque Franciſcanorum Patrum, atque Epiſcoporum paupertate damnatas doctrinas peruersè laudâſti? *b* eum, qui teterrimas Machiauelli inſtitutiones politicas omnis impietatis, criminumque magiſtras, impiè propugnâſti? eum, qui, ne Tyrannidem, & vitia illius Scriptor Politicus vituperare poſſit, ſtolidè vetuiſti? Et cuius aures tu ita credulas vnquam offendes, vt tibi tot monſtra cudenti, & loquitanti, tum de Ieſuitis parilia ſomnianti accedat?

a *Ibid cap.* 10. & 11. b *Ibid. cap.* 14. & 15.

Num. 32. *Iterum alij Scioppianæ arrogantiæ flores.*

At complures adhuc tui interiores fibræ, externæque ſyngraphæ ſuperſunt; atque adeò ſciſcitor etiam ex te, Scioppi. Tu quis es? an non is, qui Philoſophiæ, ac Theologiæ, nec non cæterarum diſciplinarum ediſſerendi modum in Eccleſia Catholicâ vſitatum reprehendis? *a* is, qui diuinum diploma, ſacra Concilia, Doctoresque Catholicos malè deartuas, truncas, mutilas, falsò recitas, diſtorques, contaminas? *b* is, qui libros à Sede Apoſtolicâ prohibitos legis, rurſum in lucem trudis, rurſum ſpargis, ac vulgas? *c* is, qui errores, atque hæreſes cum Catholicâ veritate permiſcere, & conglutinare conaris? *d* is, qui arrogantiâ intolerabili, ſuperbiâ incredibili, *hypocriſi* Phariſaicâ, ſupinâ rerum inſcitiâ, nominumque, iam diu in Chriſtianâ Republicâ omnibus offendiculo, & ludibrio es? *e* Et tibi tam cerrito ac limphato mendacia de Ieſuitis adeò enormia conflanti, & nego-

a *Ibid cap* 16. 17. 18. b *Ibid cap.* 14. c *Ibid. cap.* 15. d *Part.* 3. *cap.* 1. §. 2. e *Ibid. cap* 7.

negotianti vllus hominum, qui ſapiant, ſubſcribat? Quid quòd non ſolum viros ſingulari virtute hîc in domicilio mortalium præſtantes quàm plurimos linguâ, & calamo petulantiſſimè proſcidiſti; ſed ipſos quoque cœli incolas ſanctiſſimos eâdem effrænatione lacerare ac polluere, tum Hæreſum omnium ſemina inſidiosè iacere, ac propagare non dubitâſti? & nihilominùs tuas de Ieſuitis intemperias ſtomacho nauſeabundo egeſtas, meras inanias, & fabulas mentis animiue ſano ſobrioque homini allini poſſe cenſes?

Num. 33. *Scioppius, quia improbus, probis obtrectat.*

Tu verò, Scioppi, vt lubet, furere pergito. Ego interim ex caſſibus iam explicatis funes tandem nunc adducam, teque vnà certò illis inuoluam. Quis enim hinc non elicit, te ita ſatum, fictumque, vt quem nulla virtutis admiratio tangit, ſedulò cures, quemadmodum ſuprà ex Plutarcho te monui, vt aliorum facta præclara vituperes? quis non intelligit, te eam vitam viuere, vt melioribus, ſicut ex Apuleio tibi indicaui, obtrectare malis, quàm eos imitari, & quorum deſperas ſimilitudinem, eorundem affectes ſimultatem? quis non animaduertit, te eò maledicere ſolitum, quòd verum ab altero, vt aurem tibi ex Salluſtio iam perſtrinxi, audire non potes? quis non cernit, te ad magnorum virorum nomen, ſicut minuti canes ad ignotorum hominum occurſum conſueſcunt, vt antè ex Senecâ te docui, latrare, ratum videlicet, tibi expedire, neminem videri bonum, ne alienam virtutem tuorum exprobratricem delictorum ferre cogaris? quis ſecum non reputat, probis viris à te conuicia propterea ingeri, & falſa imponi crimina, quòd metuas, ne ab illis pluri-

ma ſcelera, quibus veriſſimè obſtrictus es, redarguantur, adeoque eos, vt ex Magno Gregorio ſuperiùs tibi memoraui, tuis calumnijs præuertendos, atque onerandos exiſtimas? Quis denique non confitetur, maledicam tuam linguam, vt ante ex D. Hieronymo te anteſtatus ſum, ſanctos viros quoque, ne dum cæteros, in ſolatium delinquendi ſolitam carpere.

Num. 34. *Vapulat à Sanctis Scioppius.*

Nunc expende Scioppi, ſi quid ſalis in inſulſo tuo capite tibi ſuperat, an par ſit, an ratio ferat, an vel vlla barbaries ſinat, vt qui tot vlceribus deformatus, iam diu ſandapilæ deuotatus es, de aliorum puſtulis, vel tonſillis curandis tam multus ſatagas? vt, qui cæteros inſtruis, teipſum negligas? vt, qui leues aliorum labeculas adeo exagitas, in tot flagitiorum cœno ipſe voluteris? Quo enim, quæſo, modo Hieronymi ſanctiſſimi iam laudati, Religioſam Paulæ, & Melaniæ integerrimarum matronarum vitam à calumniatoribus tui ſimilibus vindicantis, eaque propter, & te pariter vulnerantis impreſſionem ſuſtinebis? Audin', vt ille clamat? vt fremit? vt tonat? *a Si Gentiles hanc vitam carperent, ſi Iudæi, haberent* (Paula nempe, & Melania) *ſolatium non placendi eis, quibus diſplicet Chriſtus: nunc verò (prô nefas!) homines Chriſtiani prætermiſſâ domorum ſuarum & curâ, & proprij oculi trabe neglectâ, in alieno oculo feſtucam quærunt, lacerant ſanctum propoſitum.* Ad hæc tonitrua tam confragoſa, quæ tibi ampliùs, Scioppi, in ore vox? qui vultus pallor? qui totius corporis tremor? cauſſaris fortè te *Gentilem* non eſſe? quaſi verò id ego criminatus ſim. Negas te eſſe Iu-

dæum?

a *Epiſt. 99 ad Aſellam.*

ſtæum! & quis hoc ſuſpicatus eſt? hominem Chriſtianum te profiteris? at tum quàm infandum tuum ſcelus, qui tot grauiſſimorum criminum mole onuſtus, leuia aliorum commiſſa tam propudioſis conuicijs es conſectatus? ſed quis te Chriſtianum agnoſcat, qui etſi Chriſtiani quidem laruam geris, Hæretici tamen os, manum, & calamum oſtendis? Et tu, qui tot delictis obrutus, totq́ue hæreſeon notis, non Threicijs, ſed Tartareis compunctus es; Cenſorem aliorum virorum non ſolùm virtute vtcunque ſplendentium, ſed ſanctitudine quoque fulgentium agere, fronte inſignitè perfrictâ, auſus es? Verùm fortunati nos ſanè omnes, quicunque à te probris, & maledictis fixi, vexatiq́ue ſumus; quandoquidem ſolatium tibi non placendi, cui Chriſtum diſplicere tam in propatulo eſt, quàm multiplicia tua crimina certa, ac manifeſta, tu ipſe nobis præbes. Præterquàm quòd infenſiſſimi mortalium generi cacodæmonis aſtu, & contentione fieri, vt probis hominibus turpe dedecus mendacijs, calumnijsq́ue imprimatur, quò videlicet tetris ſaltem obtrectationibus eorum turpet nomina, quorum animos flagitijs inquinare non poteſt, & nôrunt quique ſapientes, & nobis non ignarum eſt, & cunctos imperitos docet D Cyprianus, qui aduerſis, ac ſequioribus de Pontifice Maximo Cornelio, viro innocentiſſimo, ſermonibus vulgatis nonnullos obnoxios, fraudiq́ue opportunos cernens, ad Antonianum ita diſertè ſcribit: *a Quod quædam de illo inhoneſta, & maligna iactantur, nolo mireris; quum ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet: vt qui conſcientiæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.* Hoc tu opus dæmonis, Scioppi, quàm ſæpe, quàm accuratè, quàm malignè, ac rabidè texueris.

a *Epiſt.* 52.

xueris, elaboraueris, expleueris, teſtantur lucu-lentiſſimè tot Dei ſerui inſontes à te iniquiſſimè lacerati, totque libelli probroſi in eoſdem emiſſi. Nihilominùs ringaris licet, ac rumparis, *in memoriâ æterna*, vt Regius canit Vates, *a erit iuſtus, ab auditione malâ non timebit*. Quem enim ſua morum integritas ab improborum conuicijs tutum reddit, inanes iſtorum conatus ſecurus ridet. Quare vtcunque tu nobis aduerſam, triſtemque famam circumdare omni ope nitaris; nemo noſtrum ſibi ab eâ, Chriſto munitus, & culpâ vacuus, vel hilum metuit. a *Pſal* 111.

§. IV.

Quartum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Gaſparis Scioppij in illam hoſtilis animus, odiumque inueteratum.

Num. 25. *Scioppius libellos famoſos cudens, Lectores, quibus eos probari vult, ſtipites putat.*

Etſi ad id locorum patientiam tuam, Scioppi, plerisque quæſtionibus tibi non admodum placitis à me ſæpius tentatam, fodicatam, & proritatam facilè intelligo; vereor tamen ſummoperè, ne quod modò ex te quæſiturus ſum, multò acriùs tibi inaceſcat, maleque placatis auribus iratiùs à te excipiatur. Sed quia hoc cauſſæ intereſt valde; hanc tuam iracundiam pro tuâ Stoicâ diſciplinâ neceſſitati, ſpero, dimittes, quâ planè ego ſubactus breuem interrogatiunculam diſſimulare porrò, aut omittere, ſaluo officio, non poſſum. Rogo enim te, Scioppi, per tuam cenſoriam virgam, quum in Ieſuitas, & Societatem Ieſu tot flagitioſos

ſos libellos tu parturiebas; induxeráſne animum tuum, Lectores omnes, quibus eos probari quàm maximè diſcupiebas, aut fore dumtaxat Catholicæ oſores Religionis, aut ſi è Chriſti grege, opiliones tantùm, bubulcos, ſalgamarios, agaſones, aliosque cuiuſque modi bardos, blennos, buccones; aut ne murcidos quidem homines, ſed mutas pecudes, ſtruthiocamelos depilatos, putidas canes, marinos verueces; imò neque etiam beluas, ſed meros ſtipites, caudices, & truncos? Et quò tu œſtro, inquies, percitus, verbero, hęc tam ſolemnia inſanis? quorſum hæ tuæ fatuæ rogatiunculæ? quid ſano meo in capite iſtis delirijs tuis hoſpitium quæritas?

Num. 36. *Inimicus inimico ſemper peſtem optat.*

De meis, Scioppi, deliramentis ſus deque, vt iubet, neque te cura vlla, aut cogitatio tangat. tu modò ijs ſermonis vicem candidè referre ne grauator, ſenſumque animi tui, probéſne iſta, an improbes, ſine offucijs pandito. Ego verò, inquies, cuncta hæc dirâ imprecatione defigo. Quis enim, niſi ineptiſſimus, huiuſmodi ineptias tam abſonas, ne dum aniles, comminiſcatur? Lepidè ſanè, ac ſapienter. Verùm quid facies Scioppi, aut quò te vertes, qui in eos te induiſti laqueos, vt niſi has ipſas ineptias loquaris, & pro oraculis habeas, illis te explicare nequeas, omneſque tuas in noſtrum Ordinem, & Socios noſtros Satyras luci traditas tu ipſe ſubuertere, atque ad vanum irritumque redigere perpellaris? nego enim rotundè, nego quicquam fidei tuis iſtis Satyris ab vllo habendum ſperare te potuiſſe, aut poſſe, niſi tibi perſuaſiſti, vel perſuaſum habes, eârum Lectores eſſe omnino ſtolidos, pecuinum genus potiùs,

quàm homines, imò lapides prorſus, ac rupices. Nam quis ita deſipiens eſt, qui neſciat hoſti hoſtem in crimina, atque infamiam ponenti fidem omnem, atque auctoritatem eſſe derogandam? Quid ita, Scioppi? nempe quòd hoſtilis animi eſſentia, ac vis in eo ſita eſt, vt in hoſtem peſtem omnem, quoad poteſt, inuidentiâ, atque odio inflammante, machinetur, quod ſatis ſuperque deprauata natura vnumquemque docet, notumque etiam lippis, & funeſtiſſimis experimentis adeo, frequentibus nimis teſtatum. Scilicet vt ærugo ferrum, ita inuidi animum inuidia, Baſilio magno teſte, *a* ac Periandro, *b* exedit, odiumque ad inimici caput oppugnandum, perdendumque continenter ſolicitat. Cur enim Ioſephum Iacobi patris deliciolum cæteri fratres viuum tolerare non poterant, niſi quod *oderant eum*, vt narrat Moyſes, *c nec poterant ei quidquam pacificè loqui*; adeoque *cogitauerunt eum occidere, & mutuò loquebantur: ecce ſomniator venit; venite occidamus eum.* Cur repentinò Amnon à ſicarijs in conuiuio iugulatus eſt, niſi quòd Abſalon eius frater, cuius iuſſu mactatus eſt, vt ſacer hiſtoricus memorat, *d Oderat* eum, *eo quod violaſſet Thamar ſororem ſuam?* Cur Eſau tantâ pertinaciâ Iacobum ſemper inſectatus eſt, niſi quòd hunc, vt indidem conſtat, *e Oderat*, proptereaque *dixit in corde ſuo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum?*

a *Homil. de Inuidiâ.*
b *Apud Stobaum Serm. de Inuidiâ.*
c *Gen.* 37. d 2. *Reg.* 13. e *Geneſ.* 27.

Num.

Num. 37. *Odium inimici ad omne malum impellit.*

Quem verò tu vnquam Oratorem, Scioppi, vidiſti, aut legiſti tam acrem, tam incenſum, tam ad permouendos animos vehementem, quàm odium ad eum, in quo dominatur, in cuiuſuis ſceleris ac vitij ſcopulos impellendum ſe præſtat? Certè *eos, qui à ſalute alieni ſunt, omne malum facere odium docet*, a vt ex Clementis Romani Pontificis Epiſtolâ diſcere potuiſti. neque ignoras, credo, *ſeptem nequitias in corde inimici*, b vt Regum ſapientiſſimus pronunciat, eò deliteſcere, quò is ſeptem vitia capitalia, quibus reliqua omnia ſubiecta ſunt, ad odium exſaturandum, exitiumque hoſti parandum, vt viri diuinarum literarum conſultiſſimi interpretantur, c euocet, atque in aciem educat. Quid enim? an ſuperbiæ, vt tuo inimico calamitati ſis, velificandum? ſuperbiam odium, quo eum deprimas, imperat. An auaritiæ ſtudendum? auaritiam odium, quo bonis eum euertas, commendat. An iracundiæ indulgendum? iracundiam odium, quò illi vulnus infligas, præſcribit. An libidini fræni laxandi, ad libidinem odium, quò pudori vxoris illius & filiarum turpiter illudas, incendit. An cæteris flagitijs conniuendum? flagitijs omnibus odium, quò eius vitam labefactes, addicit. Vſque adeò *omne malum facere*, vt cum Clemente repetam, *odium docet*; & *ſeptem nequitiæ* primipilares, vt cum Salomone replicem, vnaque cum his reliquæ omnes in *corde inimici* diuerſantur.

a *Epiſt ad Iacobum.* b *Prou. 26.*
c *Apud Cornelium ibi.*

Num. 38. *Aduerſario nocendi cupiditas, rebus omnibus ineſt.*

Hanc ipſam inexplebilem nocendi aduerſario cupiditatem, vel propenſionem nónne in cunctis alijs quoque animantibus, tum in cæteris etiam inanimis medullitus inſitam inſculptamque cernimus? nónne balænis orcæ infeſtæ in ſecreta irrumpunt, *a* vitulosque earum, aut illas ipſas fœtas, vel etiámnum grauidas morſu lancinant? nónne cum hyænâ *b* tam inexorabiles exercet panthera ſimultates, vt ſi quis de illius corio ſecum aliquid gerat, ab hac non appetatur; & ſi vtriuſque pelles contrariæ ſuſpendantur, pantheræ pili paulatim decidant? nónne ichneumon bellum gerit cum aſpide, *c* mergit ſe limo ſæpius, ſiccatque ſole, mox vbi ita ſe loricauit, in dimicationem pergit; tum ſublatâ caudâ ictos irritus aduerſus excipit, tandemque obliquo capite ſpeculatus, fauces illius inuadit, ac debellat animal? nónne quercus, & olea *d* tam pertinaci diſſident odio, vt altera in alterius ſcrobe depactę moriantur? nónne copioſior rutæ *e* ſuccus veneni noxiam obtinet, cicutæq; ſucco extinguitur; adeò etiam venenorum venena ſunt, quando hic ipſe cicutæ ſuccus manibus colligentium rutam, mirè prodeſt? quid plura? nónne ab ipſo mundi exordio perpetuum certamen ipſiſmet quatuor rerum initijs mutuò indictum eſt, *f Pugnantq; calidis frigida, humentia ſiccis, mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus?*

a *Plinius lib. 9. cap. 6.* b *Idem lib. 28. cap. 8.*
c *Idem lib 8. cap. 24.* d *Idem lib. 24. cap. 1.*
e *Idem lib. 20. cap. 13.* f *Ouid. 1. Metamor.*

Num.

Num. 39. *Odium inimici ad mentiendum, & calumniandum trahit.*

Hæc quum ita ſe habere, tibi, Scioppi, exploratum omnino ſit, nemoque diſſentiat; rogo ego nunc te per tuam Germanam ſinceritatem (ſi qua tamen huius fibra tibi adhuc reliqua eſt) quo loco veritatem apud acerbum, perſeuerantemque inimicũ, qui inteſtino odio flagrat, futuram, quâ veneratione ab eo accipiendam, quâ fide, & religione tractandam exiſtimes? quum malum omne facere mortales, vt oſtendi, ab odio doceantur, quæro de te, putésne veritatem omnis immunem flagitij, vndique incorruptam integramque apud hoſtem perennaturam? hanc impotens iſtius animus, quò ſe vlciſcatur, non continuò vitiabit? hanc plagiarius fallax mendacijs non adulterabit? hanc leno impudens calumnijs non proſtituet? Non ibis, opinor, inficias, Scioppi, tametſi cæteroqui ore ferreo planè ſis. vt verò etiam eas, totius Orbis adſtipulantis ſuffragia te fruſtra tergiuerſantem penitùs obruent. Quin è diuini quoque diplomatis effato apertiſſimum eſt, eum, qui in iudicio faciendo, pronunciandoque non ratione, ſed ſpecie, fucoque, aut vario reſpectu ducitur; veritati terga vel pro modico lucello, quæſticuloque verſurum. *Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benefacit*, ait Salomon, a *iſte & pro buccellâ deſerit veritatem.* Quid verò vbi inimici palatum non exiguus bolus titillabit, ſed ingentis odij libido excitabit, ſimulque incitabit? quàm de ſubito veritatem mendacijs contaminabit? quàm certò, qui eiuſdem odij obſequioſus auditor, cuiuſcunque ſceleris patrandi licentiam ab eo didicit, hanc quoque libertatem veritatis fabulis, fraudibus, calumnijsque peſſumdandæ, ac perimendæ ſibi permiſſam,

a *Prouerb.* 28.

miſſam, ſimulque datam, quò pœnas ab aduerſario expetat, cenſebit, & ineluctabili conſecutione perſuadebit? quam facilè iſtam peruertet? quàm lubens prodet? Quæ namque vnquam veritas inter omnia Chriſtiani hominis officia magis inuiolata, quæ magis caſta, quæ magis ſarta tecta, & ſacroſancta, quàm diuinæ fidei, & religionis, eſſe debet? & tamen hac quoque cæsâ, velut gratâ hoſtiâ odio capitalis hoſtis implacabilis parentat, ac litat. Quis enim ſine ingenti animi indignatione dicam, an commiſeratione, pertinaciſſima Sapricij Sacerdotis odia in Nicephorum exercita, ac vel ipſius Catholicæ profeſſionis excidio perpetuata in ſacris Annalibus legat? a ſemel, bis, tertiò pacem ab eo Nicephorus per internuncios deprecatores poſtulat: ſed fruſtra. Ipſemet ad eius ædes aduolat, pedibus ſupplex accidit, vt memoriam veterum ſimultatum Deo remittat, etiam atque etiam orat; ſed non exorat. Interim exortâ in Chriſtianos omnes ſæuâ tempeſtate, Sapricius, ceu Sacerdos capitur, in vincla abripitur, pro Catholicâ fide torquetur, laniatur, excarnificatur; animo, ore, vultu ſemper interrito. Opera in eo expugnando à lorarijs, & carnificibus flagro, equuleo, pice luditur; inuictum patientiâ victi iracundiâ, ad vltimum ſupplicium ducunt. Eo in articulo rurſum adeſt Nicephorus, elatâque voce, nec ſine gemitu, ad preces lacrymaſque effuſus, exclamat: Eia Chriſti *Martyr*, quicquid olim in te deliqui, tandem ignoſce. Sapricius ad hoc nihil reſpondere. Tum Nicephorus, vix alterius anfractu mox percurſo, lenioribus adhuc, & demiſſioribus verbis veniam iterum ab illo quàm enixiſſimè petit; at incaſſum; ipſis tortoribus hanc ignoſcentiam à morituro, mortis ipſius in limine, tam operosè poſci mirantibus iuxta ac ridentibus.

a *Baronius Tom. 3. Anno Chriſti* 260. *num.* 32.

bus. Denique quum iam Sacerdos ad ſupplicij theatrum, tanquam ad aram, vbi Deo felix victima ſuo cruore purpurans caderet, perueniſſet, Nicephorus illum precibus iterum iterumque aggreditur, genua ponit, ſupinas manus protendit, Numinis ſingulare beneficium, tam fortunatam mortem Chriſti Domini gratiâ mox obeundam indulgentis, illi in mentem reuocat, proinde veniam ſibi aliquando non inuitus daret; at nihil agit. Tum ecce irati Dei, nauſeantis, ac deſerentis horrenda vltio. Sapricius, qui de tot cruciatibus, & carnificibus iam glorioſiſſimè victor triumphauerat, eo ipſo momento, quo flexis genibus ceruicem ferro dare à carnifice iubendus erat, à Catholicâ fide ſceleſte deſciſcit, marmoreisque ſimulacris dæmonum thus nefariè adolet. Reclamat illico Nicephorus, eumque à tam impio facinore multis cum lacrymis deterret, ſimulque ad conſtantiam in ſubeundâ morte conſummandam, palmamque *Martyrij* lucrandam maiorem in modum cohortatur. Sed in irritum miſſæ preces, eo contumace & refractario ad perfidiam obſtinato. Extemplo verò Nicephorus Chriſtianum ſe eſſe vociferatur, eumque Chriſtum Ieſum, quem ille eiurâſſet, à ſe Deum ſuum agnoſci, atque adorari fortiſſimè teſtatur, ſeque in illius locum ſuccidaneam Chriſto hoſtiam libentiſſimam, ac præſentiſſimam offert. Ita profanus homo Nicephorus, ſed diuinâ caritate conſecratus, *Martyrij* Laureâ potitur, Sacerdos præ liuore eâdem orbatur, Catholicam fidem extinctam, quàm inteſtinum odium, mauult, vtque huic vitam propaget, illi lucem adimit. Vſque adeò certum, Scioppi, eſt, omne malum & flagitium ab odio proſeminari, nec non quamcunque veritatem, etiam Chriſtianæ Religionis, deſeri, ac profligari.

Num.

Num. 40. *Inimicus inimico non credit.*

His ita perfectis, riteque concluſis, ſcitor ex te, quum hoſtis in hoſtem odia ſunt tam immania, atque inueterata, tutóne alter alteri ſe poteſt credere? ſcilicet vt feli mus, vt gallina vulpi, vt ouis lupo. Quin etſi in ſpeciem tibi ille blandiatur, cauendum eſſe nihilominùs, ſancit diuinum ſcitum. *Labijs* quippe *ſuis*, vt Auctor eſt Salomon, *a intelligitur inimicus, quum in corde tractauerit dolos* (hos nimirum vultu ipſo, geſtu, ore, verbiſque retegentibus) Quod ſi *quando ſubmiſerit, vocem ſuam, ne crediderìs ei.* Quidni? *quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius*, vt iam ſatis enucleaui. Idemque oraculum à ſapientiſſimo Siracide ita repetitum videre eſt: *b Ne credas inimico tuo in æternum. Sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius; & ſi humiliatus vadat & curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo.* vel vt vertit Arabicus: *Ne te decipi ſinas confidendo in inimico tuo, quoniam ſimilis eſt æri, quod alia æruginat.* Nam hoſtis totas ſuas curas in hoſte obterendo configit; in illius vitam, & fortunas graſſatur, in famam ipſam, atque exiſtimationem, vbi illis exitio eſſe nequit, malignè inuolat; eoque non abs re nequitiam illius, æramenti inſtar æruginoſam diuina Scriptura memorat, *c* quòd vt ærugo ſplendorem æris offuſcat, ita liuor, atque odium alienæ famæ lucem obſcurat, eaque propter ærugo ipſa pro linguæ etiam mordacitate, pro inuidiâ, & maleuolentiâ translatè à Latinis Auctoribus accipitur, vt vel ex eo Martialis ſatis paret: *d*

Vteris ore aliter, nimiaq́ ærugine captus,
Allatras omne, quod tibi cunque datum eſt.

Sit

a Prou. 26. *b Eccleſ.* 12. *c Ex Cornelio ibi.*
d Lib. 2.

Sit enim vtcunque opinio de grauiſſimo viro honeſta, nobilis, læuis ſpeculi more candida, ac nitida; hanc tamen hoſtis illico ſuâ obtrectationis ærugine inficit, fœdat, collutulat. Hominum nempe dentibus quoddam ineſſe virus, quod ſpeculi nitorem ex aduerſo nudati hebetat, & columbarum implumes fœtus necat, refert, ſi meminiſti, Plinius. a At inimici dentes, vtique virulentiſſimi præ reliquis, alienæ decus exiſtimationis turpiter funeſtant, tum præclara quoque virtutis documenta, ceu monſtroſos fœtus iniquè funerant.

a *Lib.* 11. *cap* 38.

Num.41. *Conuiciatori alterum ſine probatione criminanti minimè credendum.*

Hinc interrogo te, Scioppi; quid porrò de Auditoribus, atque Lectoribus, quorum in aures, oculosúe infanda ſcelera ab hoſte hoſti ſine vllo teſte legitimo, vel ſolidâ probatione, impoſita incurrunt, decernendum putas? ſi quis virum probum nullis ante incommodis opinionibus iactatum, repente enormium ſcelerum reum non minùs temerè, quàm certò iudicet, ſibique perſuadeat; imò ſi cui etiam vel ſola eorum ſuſpicio grauis inconſultè, ac ſine cauſsâ inſideat; nónne cuncti Theologi, conſcientiarum arbitri; nónne ſacrorum Canonum interpretes omnes; nónne iuriſprudentiæ conſulti vniuerſi, huiuſmodi iudicium, & ſuſpicionem iniuſtitiæ damnant? nónne iniuriæ notant? nónne iniquitatis arceſſunt? res extra controuerſiam indubia, nec tu diffiteberis, ne alioqui Doctorum omnium conuicijs vapules. Quid ſi quis alteri, non dico hoſti, non aduerſario, ſed cuicunque ciui, vel etiam extraneo, ſed inſonti flagitiosè obtrectet, multaque delicta non leuia

inconſideratè, ac per linguæ effrænationem, etſi ſine malignitate inferat? qui illum auſcultant, ſi ſtatim credulos ſe ei præbeant, & de homine antiqui motis, bonoque ſequiora & fœda adopinari incipiant: an non iniquè itidem faciunt? an non improbè ſentiunt? an non iuſtitiæ ipſi iniurij ſunt? Non potes, Scioppi, vtcunque coneris, abnuere; eadem quippe ſuſpicio, idemque iudicium hîc pariter vt temeritati obnoxia, ita iniuſtitiæ ſtigma à cunctis ſapientibus meritò iniuſtum delere non poſſunt. Sed quorſum iniuſtitiæ labem deſigno, quum id genus piacula ab omni ratione quoque longè diſcedant, & quouis ingenuo viro indigna ſint, & ſolis pueris non diſcernentibus, quid æra lupinis diſtent, hærere ſoleant? Nam qui excors non eſt, qui honeſtatem cordi habet, qui in rationis clientelam ſe dedit, antequam delatoribus fidem adiungat, criminum tabulas, indicia, veſtigia, ac teſtes poſtulat, argumenta in vtramque partem expendit; & quod cauſſæ momenta vincunt, hoc vnum arripit: & niſi ita ſe gerat, iniquus planè eſt, non vir cordatus, ſed præceps puſio. Quam ſententiam & diuinis ſancitam oraculis, & ſanctorum Patrum exaratam chirographis, & Philoſophorum probatam ſuffragijs, & grauiſſimorum Doctorum firmatam calculis (vt compertum eſt, fruſtraque ſolem hunc meridie lucere doceam) ſi fortè non recipis, & fixa quæque refigere ſuetus, etiam vituperas; ad tantam amentiam exſibilandam operæ pretium cenſeo, Luciani illius lepidiſſimi morum magiſtri aurea omnino verba tibi ingerere, quæ ille hanc in rem perquàm appoſitè ita facit. *a* *Neque item credere conuenit iudicio, & exiſtimationi alterius, imo accuſantis odio: ſed ſuum veri examen apud nos accuratè ſeruandum*

a *De non temerè credendo calumniæ.*

dum eſt. Sua item calumniatoris inuidia partes danda; denique quod vtrinque argumenta ſuaſerint, ſtatuendum. Tum vel odiſſe, vel amare, quem diligenter explorauerimus, licet. Priuſquam id factum ſit, calumnia concedere in primo ſtatim congreſſu, hercle nimis quàm puerile eſt, ac indignum viro, longeque à iuſtitiâ ſemotum. Neque minùs verè, ſapienterque ex Solonis & Draconis inter Legumlatores prudentiſſimorum decreto pronuntiat: [a] *Scelestum, & crudele iudicium eſſe, ſi quid ſtatuatur antea, quàm cum accuſatione comparata ſit defenſio.*

a *Ibid.*

Num. 42. *Inimico inimicum opprobranti nulla fides habenda*

Nunc finge tibi, Scioppi, quempiam alium præterea capitales inimicitias alteri indixiſſe; finge diu exercuiſſe; finge maledicta probroſa in eum modò conferre; finge hoſtilem eius animum, odiumque ex ore illius, ex oraculis, ex vultu, ex totius corporis æſtu non ſolùm pellucere, ſed cuiuis non obeſæ naris, eſſe quoque omnino perſpectum. Exſtabítne quiſquam inter homines adeò fatuus, inter bruta tam brutus, inter ſtipites ita ſtupidus, vt etiamſi cuncta hæc oculis cernat, nihilominùs meras calumnias ſtruenti, & aperta mendacia nundinanti credat? nónne tu ipſe, ſi id in animum inducis, multo ſtolidior, ac ſtupidior? credet homo inimico inimicum, dirè criminanti, nullum teſtem, aut probationem afferenti? credet, probè gnarus, hoſtem ab odio ad malum omne hoſti inferendum erudiri, atque incitari? credet, optimè conſcius, ab hoſtili animo mendacia omnia at-

que

que calumnias fabricari, coaceruari, diuulgari? Et nónne tu, ſi ita arbitraris, vel manifeſtus illius hoſtis eſt, vt etiam veritatis; vel ex omnibus humanitatis confinijs penitùs emigrâſti? credet non aliquis hominum, ſed equus, ſed bos, ſed mulus (ſi hos etiam ex Æſopi ingenio iudices ponamus) credet vulpi gallinam, feli múrem, lupo ouem accuſanti, turpiſſimisque conuicijs proſcindenti credet? credam equidem te centies potiùs bouem, onagrum, bubalumque, ſi hiſce intemperijs agitari te pateris. Credet non vlla animans, non pecus, ſed lapis, truncus, cacabus (ſi iſtos quoque eâdem lege ſapere fingamus) credet igni aquam capitis poſtulanti? terræ aërem de proditione appellanti? humori ſiccitatem rapinæ infamanti? Caue, Scioppi, caue, ne tam delira vnquam ſomnies; alioqui negabunt omnes, quibus vel vna ſalis mica in cenſu eſt, præ tuâ iſtâ præclarâ ſentiendi, intelligendique facultate, atque acumine, vllum fungum eſſe ita funginum, vllam ſtupam adeo ſtupeam, vllam fæcem tam fæculentam.

Num.43. *Scioppius Ieſuitarum hoſtis infenſiſſimus.*

Quæ omnia quum & manifeſta ſint, & nullus ijs ſcrupulus vel leuiſſimus à te inijci queat; percontari modò ex te lubet, Scioppi, quo loco te à nobis haberi cenſeas? quem te eſſe putemus? quem erga nos te cæteri omnes meritò exiſtiment? ſed quid improuisò inhorruiſti? quid pili ſtant, faucibusque vox hæret? Noli metuere, ne iterum, quid hominis ſis, quæram, & vitæ tua acta facinoroſa ante iam ſemel in ſcenam producta, hic denuo repetam. Non huc tendo, neque actum ago; ſed quem te, & qualem Societati Ieſu, & Ieſuitis nominatim præſtiteris, atque etiam num

præſtes;

præſtes; amicúmne, an hoſtem; Achatem, an Cerberum; Euryalum, an Megæram, interrogo. Factum bene, rediját tibi in præcordia animus. At mihi imprudenti vox otioſiſſima planè excidit, quam ego ab inanitatis notâ nullis eloquentiæ viribus vindicare poſſum; ſcitatus ineptè, dum qualem te noſtro Ordini, ac nobis probaueris, rogaui; vbi Sol meridiaret, vnde Boreas ſtaret, vtrum ignis arderet? Quotuſquiſque enim eſt, qui te de colore tantùm etiam nouerit, vel tuam garrulitatem, aut bacchantem in nos calamum paulò degustauerit, quin & infenſiſſimum, & pertinaciſſimum Ieſuitarum inimicum confeſtim agnouerit? olim Hæreticorum ſatu parentum editus, hauſtoque maternis ab vberibus noſtri Ordinis odio, poſteà Catholici hominis indutâ perſonâ, quàm efferato ſemper animo nos inſectatus ſis, iam ſuprà *Cap.* 5. oſtendi, & cauſſas complures *Cap.* 8. expoſui; vt verò etiam ego diſſimulem, quem, rogo, niſi qui de te nihil vnquam, ne fando quidem accepit, latere poteſt? auidâ huiuſmodi odij diſciplinâ imbutus, educatus, atque inflammatus, quid non malorum & calamitatum in nos ingerere perpetuò ſtuduiſti? quas artes ad nos perdendos non es periclitatus? quæ machinamenta ad nos euertendos non admouiſti? Iam dudum limphatus, nónne eò amentiæ progreſſus es, vt negares apertè à te quietem vllam capi poſſe, donec Ieſuitas, quemadmodum ad amicum iam pridem Veldkirchium ſcripſiſti, *a* exulatum è toto imperio abijſſe cerneres? nónne Raperſvvilæ in Heluetiâ palàm in plateis voce contentiſſimâ, horrendumque in modum contra noſtræ Societatis Religioſos viros ſub annum cIↄIↄcXXXII. adeò declamâſti, *b* vt eos Turcis, & Tartaris deteriores, fundi-

S tuſque

a Refert Forerus in Mantiſſâ ſect. 2.
b Narrat idem Forerus ibid.

uſque extirpandos planiſſimè dixeris? nónne Regibus, ac Principibus ferali tuæ maledicentiæ buccinâ excitatis ſuaſor, impulſorque fuiſti, vt nos omnes, non ſecus, ac *Templarij* quondam, ad internecionem deleremur, nomenque noſtrum ex hominum memoriâ penitùs eraderetur? *a*

a In Actione Perduellionis, notatq; Forerus in Præfatione, & Epilogo Antanatomiæ.

Num. 44. *Libellis famoſis Ieſuitas oppugnat, ac lacerat.*

Quibus votis dies noctesque impotenter exæſtuans, quò aliquando tandem potireris, quem, Scioppi, lapidem non mouiſti? mitto cætera, quæ ad nos ludificandos, vexandosque aliàs adornâſti; ea Satyra, quæ *Catechiſmus Patris Schereri* inſcripta, tuo à calamo prodijt, quàm inſignitè impudens eſt? quàm in noſtri contumeliam procax? Sed hæc hoſtilis tui in nos animi ſpecimen dumtaxat, & proluſio fuit. Quàm longè ſæuioribus paulò poſt tormentis noſtros aggreſſus, *Actionem Perduellionis in Ieſuitas Sacri Romani Imperij hoſtes* intendiſti, & publicâſti? quàm dirus maſtix *Flagellum Ieſuiticum*, prætereà intorſiſti? quàm cruentus lanius *Ieſuitam* quoque *exenteratum* in forum mox extuliſti? quantâ cum ignominiâ noſtri Inſtituti, quanto cum noſtrorum hominum probro & *Anatomiam Societatis Ieſu*, & eiuſdem *Arcana*, & *Myſteria Patrum*, & tam multos alios famoſos infamesque libellos, quorum Catalogum ſuperiùs texui, *a* in lucem emiſiſti? hæc ipſa flagitioſa volumina quot, quantisque ex fraudibus conflauiſti? quot decumanis mendacijs infarſiſti? quot portentoſis calumnijs oneraſti? quid quòd res noſtras vniuerſas vt inclemen-

a Cap. 3.

clementiùs affligeres, ac labefactares, verſipellis Proteus varijs laruatus nominibus, nunc in Philoxenum Melandrum migrâſti, nunc in Iuniperum de Anconâ conceſſiſti, nunc in Ludouicum Sotelum diſceſſiſti, nunc in Alphonſum de Vargas Toletanum tranſcriptus es, nunc te in Fortunium Galindum vertiſti, nunc Auguſtini Ardinghelli vultum ſubijſti, nunc te Bernardinum Giraldum mentitus es, nunc Danielis Hoſpitalij togâ amictus proceſſiſti?

Num. 45. *Nullum ſcelus, vt Ieſuitis ægrè faciat, recuſat.*

Nempe immane illud, quo iam olim in nos ardes, odium hos tam varios multiplicesque nocendi Ieſuitis modos te auidiſſimum diſcendi, audendique quicquid ijs incommodare poteſt, diſcipulum ſollerter docuit. Quo ſanè in ludo atque ſcholâ tantos, Scioppi, proceſſus effeciſti, vt tuam iſtam effrænatam noſtri Ordinis peſſumdandi cupidinem cui accommodatiùs componam, quàm perditiſſimæ mulierculæ (quæ, ſeu quęſtu auara ducitur, ſeu libidine incitatur, honeſtatem tandem, ad vtramque explendam inſaniam, væno exponit, cuiuis infamiæ ſe mancipat, nullamque turpitudinis conditionem recuſat) planè non videam. Nam quid, obſecro, tu ſceleris, quid impudentiæ, quo implacabili Ieſuitarum odio obſequereris, inſaturabilemque tuam orexin virus omne in eos eructandi vtcunque lenires, vnquam detrectâſti? candida veritas in nequiſſimum mendaciorum, & calumniarum ſeruitium abducenda eſt? vt Ieſuitas opprimas, illam abducis. Circulatorum, & ſycophantarum præſtigiæ, ac technæ expromendæ? vt Ieſuitis illudas, cunctas expromis. Vis diuinis Codicibus, Catholicisque Scriptoribus in-

ferenda, loca ex eorum monumentis doloſè mutilanda, falsò recitanda, perperam interpretanda? vt Ieſuitas traducas, animoſè infers, mutilas, peruertis. Lingua in omnes Eccleſiæ Ordines rabidè exacuenda, nulliique ferè mortalium parcendum? Vt Ieſuitas exagites, lubens acuis, nec parcis. Sedes ipſa Apoſtolica hæretico auſo inuadenda, laceranda, atque execranda? vt Ieſuitas admordeas, nefariè inuadis, laceras, execraris. Beatiſſimi illi cœleſtis patriæ incolæ diris laceſſendi, atque inde vel in lutum deturbandi? Vt Ieſuitis exitio ſis, impiè laceſſis, ac deturbas. Quæ omnia non à me ficta, ſed à te palàm enunciata, ac perpetrata, ne quis dubitare poſſit, meus *Lydius*, a tuis ipſius verbis in medium allatis cumulatè præſtat. Denique ſi quis Turca, ſi Vgonotus, ſi Arrianus, ſi Anabaptiſta, ſi Brachmanes, ſi Tartarus, aut Scytha, ſi quicunque alius Ethnicorum, Iudæorum, vel Hæreticorum, rationem cladis Ieſuitis importandæ tibi ſe patefacturum promittat, cum eo tamen, vt ſuæ te Sectæ priùs addicas; quis ambigat, quin obuijs vlnis qualemcunque ſis excepturus, atque hodie Lutheranus, cras Neſtorianus, perendie Caluinianus, modò Zvvinglianus, paulò poſt Mahometanus, ſubinde Ethnicus, vbique in tam monſtroſâ diuerſitate tui ſimilis, tantùm vt Ieſuites atrociùs perſequaris, Vertumni prodigioſâ mutabilitate, ſis proditurus? Vſque eò Societatis Ieſu, Sociorumque noſtrorum odium inexpugnabile te cuicumque ſceleri facilè obſtringit, atque in omnem impietatem etiam, & dementiam agit præcipitem.

a *Part.* 2. 3. & 4.

Num.

Num. 46. *Odium Ieſuitarum Scioppio inſitum, cunctis notum.*

Iam quis tecum, Scioppi, ſermones cædat, quis Eclogariorum tecum in collocutionem veniat, vel tuas in nos editas Satyras legat, quin hoc ipſum tuum noſtri immane odium tuo ab ore ſeſe erumpere, à calamo fluere, è ſingulis folijs, ne dicam, verſibus, ac verbis eminere ſtatim animaduertat? quis ſolemne tuum iſtud noſtri inſectandi ſtudium adeò inſanum illic ſubitò non diſcernit? quis rabidos iſtos tuos dentes noſtri laniatu nominis cruentos ijſdem in libellis de repente non recognoſcit? quis ab iſto odio tam incenſo imperata tibi ſexcenta mendacia enormia & truculenta extemplo non videt? quis innumeras calumnias fœdiſſimas & teterrimas ab hoſtili tuo iſto in nos animo partas, coagmentatas, illitas, ditasque è veſtigio non cernit? Quod ſi videt, cernitque, quis inter Lectores, Auditoresque tam inſcitus, quis barbaro Potitio ſtultior, tuis dictis ſcriptisque actutum ſubſcribat? quis tibi inteſtabili, nec iùrato, alioqui etiam periuriſſimo, ſine teſte fidem habeat? quis vel ex quadrupedum grege Bucephalus mentienti annuat? quis etiam è truncis atque caudicibus malè dolatus calumnianti acquieſcat? Et nihilominùs tu Lectores omnes, atque Auditores tibi fore obnoxios, cunctos mortales continuò apertiſſimæ tuæ, atque intemperantiſſimæ maledicentiæ ſeſe credulas omnino victimas longè ſtupidiſſimas immolaturos es arbitratus? Dic, Scioppi, dic. Itáne exiſtimâſti? ais? at tum eos cunctis hominibus tardiores ſtolidioresque, brutis omnibus hebetiores, atque obtuſiores, vniuerſis ſtipitibus magis incogitabiles, inertioresque, vt probaui, mente prorſus amente ſummâque cum illorum iniuriâ cenſuiſti. negas?

at tum cunctis lœdorijs tuis in nos elucubratis trabalem planè tragulam iniecisti,easque vno impetu peperisti ſimul, & peremisti, vt ſat ex diſceptationibus hactenus explicatis dilucet, & mox ampliùs demonſtrabo. Verùm tu,qui tam peruerſè abſurdeque tecum ipſe non tam ratiocinatus, quàm allucinatus es, & de Lectorum Auditorumque iudicio,prudentiâ,integritate, ac virtute tam iniquè pronunciâſti, meritiſſimò inter homines murcidus caprimulgus, inter pecudes depilatus ſtruthiocamelus, murinusque veruex,inter caudices lapis omnino; ac mola truſatilis, ab omnibus verè ſapientibus iudicabetis. Quò ego maximè, quum initio ex te quæſiui, tam veternoſósne, & rupicones tuarum Satyrarum Lectores tibi depingeres, meam omnem intendi curam, vt deinde eoſdem Lectores tuis à fraudibus vindicarem, tibique vni hanc ſtupiditatis palmam iure optimo porrigendam docerem, quod hactenus non indiligenter à me præſtitum quiuis à ſtudio partium alienus, haud, credo, inuitus concedet. Cæterùm quia *ſtultorum infinitum* eſſe *numerum*, præmonuit Salomon, *a* & neque dum huiuſmodi numerum penitùs exhauſtum deſijſſe, conſtat; quum ferè nuſpiam deſint nonnulli fraudibus, mendacijs, calumnijsque vt internoſcendis minùs prompti, ita admittendis magis opportuni, qui ſe non operosè decipi,atque infibulari patiuntur; ad hos pariter ab illis abducendos, tuendosque meas iſtas Vindicias,ſicut & reliqua quum mea,tum aliorum Apologetica in cauſſis ſimilibus, facturas puto operæ pretium. At manifeſtarias calumnias, ac pinguia mendacia in Ieſuitarum dedecus à te paſſim venditari ſolita, ne quis fruſtra hîc à me ſumi cauſſetur,ac malignitatis quoque vel fabuloſitatis ſaltem arceſſat, age, exploratis etiam tabulis modò vincamus.

§.V.

§. V.

Quintum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, mendaciorum & calumniarum à Scioppio eidem affictarum euidentia.

Num. 47. *Structæ à Scioppio calumniæ, in patrocinium innocentiæ Ieſuitarum euocatæ.*

Magnum ſanè te eſſe ardelionem, Scioppi, iam dudum tuis è Codicibus didiceram: at mirificùm quoque te Medicum circumforaneum, ac Iatraliptem ex Hippocratis ſcholâ improuisò euaſiſſe neſciebam planè, *a* niſi Eugenius Lauanda, ſollertis vir ingenij, me docuiſſet. Verùm vt herbariam diu, ne dum medicamentariam præclarè tu feceris, ac de tuis narthecijs exotica cataplaſmata complura prompſeris; haud tamen ſcio, an eam etiam artem prodigij ſimillimam, quæ vulnera ipſa in remedia, & morbos in valetudinem bellè vertit, cognitione aliquando comprehenderis. Quid ſi hac ego in præſens te imbuo? ecquid erit ſtrenæ? Sed age, gratis iſtam à me haurito, meoque exemplo condiſcito. Nam Societatis noſtræ innocentiam, quam aduersùs tuos famoſos libellos tot validis præiudicijs, nempe à noſtris Apologeticis nullo tuo verbo reiectis, ab infando tui patrocinio, à tuâ flagitioſâ vitâ, à tuo hoſtili in nos animo, hactenus fortiter propugnaui, hoc eſt, appoſitis antidotis, à tui calami & linguæ venenis incontaminatam, integramque oſtendi; nunc tuis ipſis quoq; lœdorijs cōmodùm admotis, egregiè tueri, id eſt, ipſis portentoſis tuis mendacijs, atque

 calumnijs.

a *In Grammatico Podice pag. 41.*

calumnijs, quibus tu illam maximè labefactare conatus es, ſubſidio etiam currentibus, eidemque mirè velificantibus, inuiolatam prorſus præſtare iubet.

Num. 48. *Abuſionis comperta excuſatio.*

Sed ante, quæſo te, Scioppi, Grammaticorum alpha, per ſuperciliosam tuam frontem, ignoſce mihi ſponte oſcitanti apertam nominis abuſionem, quum in huius ſermocinationis epigraphe ipſam mendaciorum, & calumniarum perſpicuitatem, quæ innocentiæ non tam indicium, quàm iudicium, ac ſententiam pàlàm fert, innocentiæ tamen præiudicium dumtaxat, ne ſcilicet à reliquis diſcreparet, appellaui. Ne verò affinis calumniæ, atque mendacij notio, vicinumque contubernium diſceptantes fallat, in mentem tibi reuoca, calumniam à Nonio Marcello aptè ita finiri, a vt *malitioſa mendaxq; infamatio* alterius ſit; adeoque calumniam omnem mendacio tanquam ſolo niti, mendacium autem à calumnia perſæpe ſecerni. Quanquam ingenuè, vt fatear, tua, Scioppi, mendacia à calumnijs diſcriminare, mihi integrum non eſt, ita quippe officij tui inſanè mentiri eſſe putâſti, vt vnà quoque nos vbique ſycophantiosè ſis calumniatus.

a *Cap. 5.*

Num. 49. *Scioppiana calumnia Ieſuitis adlita, quia manifeſtò falſa, ſponte ſuâ ruunt.*

Sed cuiuſmodi tandem mendacia, quasúe calumnias in nos tu cuderis, nunc ex te maximè cupio audire. Certè, quum hæc ex ſummo in nos odio,

odio, quo ardes, ad peſtem nobis afflandam ſis fabricatus; par omninò fuit, ſubdolo aliquo artificio illa, vt ita loquar, mangonizare, tamque multis oblita pigmentis Lectoribus ingerere, vt fucum ſaltem aliquem minùs perſpicacibus facerent: *Neque enim noxia fuerit calumnia*, vt ſapienter monet Lucianus, *a niſi in ſpeciem ſimilia vero narret; neque temerè cunctarum alioqui rerum dominam veritatem ſuperauerit, niſi auditorem argumentosâ, & probabili actione, in ſummâ, mille modis fallat.* Quocirca vbi calumnia laruam exuit, vbi ſe prodit, atque agnoſcitur, illico perit, innocentiamque ne leuiter quidem infuſcat, ſed potiùs multò magis illuſtrat. Atqui ego, Scioppi, quæ tu in Societatem Ieſu, Sociosque meos mendacia atque calumnias iam pridem compoſuiſti, & publicâſti; iam omni probabilitatis ſpecie carere aio, primo ſtatim occurſu introſpici affirmo, falſitatem extemplo patefacere, ac ſine aliâ defenſionis clauâ, ſuâmet ipsâ inanitate, quod monſtri inſtar eſt, mactari diſertè pronuncio; vt propterea mihi illa refellenda nullo modo ſint, ſed ad fidem omnem tibi detrahendam hic maximè recitanda.

a *De non temerè credendo calumniæ.*

Num. 50. *Scioppianæ falſitatis exempla.*

Vnde porrò vis, vt tam improbam telam ordiar? Age, à noſtri Ordinis Generali Moderatore, quandoquidem in eum tam frequenter, adeoque furiosè debacchari ſoles. Quæ tibi mens læua fuit, vt in *Anatomiâ* de illo dilucidè ſcriberes *a Ieſuitas Carnalia, vel beſtialia ſapientes à beſtiâ illâ* (Apocalypſis 13.) *ſapientiam ſuam didiciſſe, velleq; omnes Principes & ſubditos, mares & fœminas, adultos, & pueros habere characterem ſui Præpoſiti Generalis, velut AntiChriſti: ac ſi quis Vitulum ipſorum, hoc eſt, Pa-*

a *Pag.* 10.

brem Generalem adorare, aut ei ſe ſuosq́ liberos immolare, eiuſq́ nutui ac ditioni ſubÿcere recuſet, ſolere de hoc inter ſe dicere: Non eſt ex noſtris? Rem narras, Scioppi, omnino monſtriferam. Et lepida quidem fabella eſt, ſed cerebrum non habet, quum nihil illi probabilitatis, quo credulas inueniret aures, circumpoſueris. Quem enim adeò bardum ac ſtipitem putas, cui tua iſthæc ſtropha, impudentis calumniæ ductus, & colores repentè non detegat? Quæro ex te, quis vnquam è Principibus, quis è maribus, quæ ex fœminis, quis ſenex, aut puer, qui Generalis noſtri Præſidis nomen vel characterem ſeu in fronte, ſeu in manu pictum oſtenderit, viſus eſt? à quibus? vbi gentium? quis illum aliquando adorauit? quis ei ſe ſuosque liberos immolauit? quis externorum eius nutui ac ditioni ſe deuouit? quod iſtis nomen? quæ patria? qui mores? Dic, Scioppi, vnum appella, vnum ſaltem deſigna, & mox tuam ego fabulam venerabundus exoſculabor. At ego, inquis *Comes* à Clarâ Valle aſſeueraui: ſed mentiens more tuo, Comes nón Claræ Vallis, ſed tenebrarum & calumniarum. At ego vidi: ſed per ſomnium At mihi oculi lyncei ſunt; ſed ad calumniandum, & quidem etiam plus quàm lyncei, quippe quibus illa quoque, quæ nunquam exſtiterunt, neque vnquam futura ſunt, prodigialiter cernis, teque ſolum bene oculatum, cæteros autem omnes planè exoculatos, quod quæ tu intueris, intueri nequeant, arbitraris. Verùm quibuſcunque ſunt oculi ſani in capite, negant tibi oculos eſſe aut mentem, qui id genus mendacia tam abſurdè coagmentes, vt ea à cunctis illico diſcerni non animaduertas.

Num.

Num. 51. *De Ieſuitarum Generalis charactere, nugamenta Scioppij.*

At non iſta, clamas, meo fluxerunt calamo: neque ego dixi vnquam eiuſmodi characteres, & victimas eſſe conſpicuas; ſed tantùm Ieſuitas velle ſuum Præpoſitum Generalem, ceu AntiChriſtum ab omnibus peculiari charactere, filiorumque immolatione coli, atque adorari. Ingenioſiſſimè. Inſolentium characterum, & victimarum, quos tu innuis, veſtigium nullum à conditâ Societate Ieſu vſpiam apparuit: nihilominùs Ieſuitæ illos cunctis mortalibus impreſſos; iſtas ſuo Patri Generali cernuas, ac cæduas voluerunt, & porrò volunt. Sed qui tandem id tu reſciſcere potuiſti? A quo hæc myſteria tam abdita accepiſti? Quis Ieſuitarum ea tibi, vel alteri prodidit? Quis improbus genius te conſcium fecit? Scilicet. Quo pacto igitur commenta adeò inſulſa cuiquam vendibilia eſſe exiſtimâſti? Nempe incredibili quâdam prærogatiuâ ſupra omnes homines gaudens, arcana voluntatis Ieſuitarum nullo indicio externo pellucentia, quæ ne à cœleſtibus quidem ſpiritibus, ne dum à dæmonibus cerni poſſunt, & ſoli Deo peruia ſunt, tu vnus mortalium inſpexiſti: imò verò, & quæ nemini Ieſuitarum vnquam in mentem venerunt, neque venient, oculis minimè allucinantibus vidiſti; tametſi ne Deus quidem ipſe videt, quin etiam videre nullo modo poteſt; quum apud Theologos omnes ſcitum exploratiſſimum ſit, ea, quæ neque ſunt, neque exiſtent, à Deo cerni non poſſe. At quotuſquiſque, Scioppi, eſt, qui ridiculum tuum iſtud delirium multo non excipiat riſu? qui pedum ſupploſione non obruat? qui iacto thyrſo non feriat? Adeò tuâ ex iſtâ vaſaniâ, abſonâque calumniâ Societatis noſtræ innocentia, nullo addito patrocinio, clariùs ſplendeſcit.

Num. 52. *De immanibus ſceleribus Ieſuitarum, deliramenta Scioppij.*

Nunc perge Circulator, & aliquid de Ieſuitis plauſibilius excogita. Diſplicent tibi eorum inſtituta, & fides? Quò ægrè illis facias, age, inficiare eos fidem Dei habere, inficiare Catholicis effatis ſubſcribere, inficiare in Chriſtianorum cenſu cenſendos; dic illos alienæ ſalutis procurationem alijs Religioſis intercludere, dic ipſiſmet Hæreticis Eccleſiæ Chriſti eſſe nocentiores, dic omnia Catholicæ Reipub. piacula eis adſcribenda. Quid hîc ais, Scioppi, ſatiſne probrorum, & criminum ad Ieſuitas obterendos coaceruatum? ſed quemquámne ita fatuum reris, qui iſtæc ijs obijciat? Fatuorum omnium ego ſim primipilus, niſi tu ita prorſus in nos inſanis. Quò illa enim ſpectant, niſi huc, quæ in *Aſtrologiâ Eccleſiaſticâ* exarâſti, a Ieſuitas *nec fidem, nec Dei caritatem habere?* quò illa, quæ eodem in libro fabulatus es: b *Deum omniſcientem* à Ieſuitis *minimè credi, quum ſe hypocriſi ſuâ, & auaritiâ, paupertatis pallio opertâ, Deo imponere, fucumq́ facere arbitrentur?* quò illa, quæ illic pariter exprobrâſti? c à Societate noſtrâ *fraudulentam paupertatem exerceri, & Deum Patrem omnipotentem non credi, ſed odio haberi?* quid illa, quæ eodem in Codice carpis; d Societatem *alijs Religioſis impedimentum potiùs afferre in procurandâ alienâ ſalute, ne rem bene gerant, quàm quidquam ad victoriam momenti facere?* quid illa, quæ inibi in margine adiecisti: e Ieſuitas *plus Eccleſiæ, & ouibus Chriſti nocere, quàm Hæreticos?* quid illa, quæ in *Anatomiâ*, Tabulâ 12. & 13. recitâſti, & *Fraudulentiam, violentiam, diabolicam homines ineſcandi rationem, hypocriſim, ſacrilegia, corruptelam fidei & morum,* *ignoran-*

a *Cap. 12 pag. 45.* b *Cap. 5. pag 21.* c *Cap. 5. pag. 18.* d *Cap. 14 pag. 54* e *Cap. 19. pag. 71.*

ignorantiam in literis ac diſciplinis, puerilitatem, offenſam Dei, & Sanctorum Societati noſtræ tribuendā contendiſti? Hæc à te ſpicula ad nos vulnerandos eſſe intorta, vt planum, certumque eſt; ita qualia demum ea tu opineris, ex te modò percunctor. Quo ex arcu miſſa? quâ cuſpide exacuta? quo ex chalybe conflata? Si me audis, neque tibi ſuppalpari vis, cuncta profectò non ex arcu, ſed è muliebri colu; non cuſpidata, ſed retuſa; non è chalybe, ſed è goſſypio & lanâ; ne extimam quidem cuiuſquam cutem, ſeu in oculos, ſeu in aures incurrant, vllâ probabilitate vellicatura; ſed repentino faſtidio, conuicioque repercuſſa, ictum omnem penitùs fruſtratura.

Num. 53. *Scioppius de Ieſuitis incredibilia credit, & vult ab alijs credi.*

Quid enim tu criminaris? Ieſuitas, Catholicâ fide relegatâ, Deum omnigenâ potentiâ, ac ſcientiâ præſtantem non credere, ac proinde iam & Hæreticis accenſeri, & plus etiam detrimenti, quàm cæteros Hæreticos, Chriſti ouibus afferre, plurimiſque alijs flagitijs eſſe coopertos? Prò grauem, atque ineluctabilem accuſationem! Expectas iam, credo, quonam defenſionis vmbone eam ſim repulſurus? nullo prorſus. Tua namque iſta mendacia, & calumniæ non fraudi nobis ſunt, ſed præſidio; neque vllâ refutatione indigent, ſed nudâ expoſitione. Non hîc ego ad ſuppetias Ieſuitarum amicos, non familiares, non fauitores arceſſo; ſed extraneos, ſed ignotos, ſed nobis etiam parum æquos, vel infenſos quoque ad refellendum, aut potiùs ad explodendum aduoco; hos arbitros poſco, hos Prætores adeo; hos Iudices appello. Hi ſine fuco & fallaciâ ſententiam protinùs ferant, ſi quiſquam vſpiam, præter te, & tui

ſimiles, odio, inuidiâ, irâ; rabie, ac furore ratio-nem omnem euertente, tantâ ſtultitiâ obcœcatus eſt, vt Ieſuitas tot ſceleribus obrutos, hæreſeon inſtitores, Hæreticisque pernicioſiores Chriſti gregi articulatè pronunciârit. Da vel vnum, qui ita ſibi ex animo perſuaſerit, & viciſti, neque ego ampliùs, reos nos eſſe omnes, noxæque, & neci dedendos diffitebor. Interroga ipſos quoque Catholicæ perduelles religionis Hæreticos, non alicuius dumtaxat ſectæ, ſed cuiuſcunque, quid de Ieſuitis ſentiant, an hos ſecum facere, an ſibi amicos, an eorundem ſubſcriptores errorum autument; an ſub iiſdem ſignis militare arbitrentur; an Chriſti ouibus tantoperè incommodare putent: & tot Ieſuitarum manipuli ab eiſdem Hæreticis ferro, laqueo, vnco, veneno, equuleo, gladio, rotâ, multipliciique aliorum ſuppliciorum carnificinâ in odium Catholicæ Romanæ fidei necati, quàm ſint noſtrorum hominum ſententiæ, & labores Chriſtianæ Reipubl. tuendæ, atque amplificandæ frugiferi; quàm verò exaduerſum Hæreticæ perfidiæ infeſti, vel ipſis tacentibus, non voce, ſed ſanguine explicatiſſimè teſtabuntur.

Num. 54. *Omnia Ieſuitarum ſcelera, à Scioppio confiсta, ſi vera forent, impuniſſimè abire, monſtroſiſſimum eſſet.*

Quis porrò, Scioppi, non miretur, Ieſuitarum domos, & Collegia in Chriſtiano Orbe tam multa, cæteris Religioſis Ordinibus, ne aliorum ſalutem procurent, impedimento eſſe; Hæreſeon monſtra parere; Hæreticis Magiſtris, Concionatoribus, Sacerdotibus, aliisque eiuſdem furfuris viris referciri;

referciri; fraudulentiâ, *hypocriſi*, violentiâ, diabolicâ ineſcandi homines ratione, ſacrilegijs, corruptelâ fidei, & morum; offenſâ Dei, & Sanctorum compleri, vt tu accuſas: & nihilominùs tot tamque atrocia ſcelera inulta penitùs auferre? Sacræ Quæſitores fidei ijs conniuere? infulatos Antiſtites iſtorum omnium gratiam facere? nullos frænos, ne ab ipſo quidem Pontifice Maximo cuiquam Ieſuitarum eaptopter inijci? à nemine Catholicorum delicta tam enormia, tam frequentia, tam propagata obſeruari? à nullo reprehendi, deferri, exagitari? An Ieſuitarum cauſsâ leges omnes antiquantur? an cuncta vitia impunitatem aſſequuntur? an Reipublicæ magiſtratus omnes ſtertunt? an iura omnia, atque ſupplicia ſublata ſunt? Non eris, opinor, Scioppi, ita cerritus, vt huiuſmodi portenta adeò ſtolida tuo fundas è capite. Atqui bone vir, niſi tu ea alacriter porrò fundas, atque hoc pacto omnino deſipias; non vides fruſtrà à te Ieſuitas in crimen vocari? non cernis tua omnia mendacia confeſtim iugulari? non animaduertis Societatem noſtram per tuas calumnias temeratæ Catholicæ fidei, aliorumque tot flagitiorum poſtulari non poſſe; niſi eâdem calumniandi licentiâ, ipſis quoque Eccleſiæ Luminaribus, Epiſcopis, Quæſitoribus, *Cardinalibus*, Summiſque Pontificibus dicam turpiſſimam ſocordiæ intolerabilis, Chriſtianæ Religionis ludibrio relictæ, perperamque adminiſtratæ Reipublicæ, quòd Ieſuitis tam infanda crimina gratis condonent, nefariè impingas? Sed quàm eſt effrænis tua iſta audacia? quàm præceps temeritas? quàm execrabilis impudentia? verùm quo magis tuæ iſtæ tam craſſæ calumniæ, atque mendacia vulgo perſpecta ſunt, eo certè liquidiore in luce Societatis noſtræ innocentiam, ſine aliâ eiuſdem defenſione apud omnes collocant.

Num.

Num. 55. *Scioppius flagitijs Ieſuitarum fingendis, ſatiari non poteſt.*

Num verò ſunt alia opprobramenta, Scioppi, quibus tu Ieſuitas obnoxios maximè videri cupias? Sunt planè, & quidem plura, nihiloque honeſtiora, ne dicam etiam, multò fœdiora. Quænam illa? Ieſuitas ceu Hæreticorum congerrones, plurimorumque delictorum promos condos apud te audire, vt vidimus, parum eſt: eoſdem quoque, Dei veluti euerſores, Diagoræque ſuppares, quique alium Deum, quàm proprium ventrem, non agnoſcant, explanatè ais, ac proinde in Phariſæorum, atque Ethnicorum album potiùs, quàm Chriſtianorum, referendos apertè contendis. Quæ ne fortè à me nimis augeri ad inuidiam tibi conflandam ſuſpiceris, age, tuamet verba ipſiſſima recognoſce. Meminiſtíne, quæ in Ieſuitas *Cap.* 3. tuæ *Aſtrologiæ Eccleſiaſticæ* a euomuiſti, vbi eos tanquam *canes, & malos operarios, inimicosq́; Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt*, ex 1. & 2. cap. Epiſtolæ ad Philippenſes, cauendos tradis? Meminiſtíne, quibus contumelijs viros noſtros anno ↄIↄIↄCXXXV. Non. Iunij in Cœnobio Murenſi oneràſti, ac inter cætera mendacia (vt Monachus Benedictinus eiuſdem *Cœnobij* incola, auritus, atque oculatus teſtis, ad Forerum hac de re datis literis, b quæ & in lucem emiſſæ ſunt, enucleatè ſcribit) *Dixiſti etiam palàm, Patres eſſe hypocritas, atheos, peſtem, & more Templariorum exterminandos?* Meminiſtíne, quàm petulanter in *Anatomia* cauillatus ſis? c *Hodiernos Ieſuitas à Ieſu, & Ignátij quum doctrinâ, tum exemplo deſciuiſſe, vt ſiue Gentilium, ſiue Phariſæorum nomen multo meliori iure, quàm Chriſtianorum, aut Ieſuitarum in eos conueniat?* Meminiſtíne, quid ibidem

a *Pag.* 10. b *Apud Forerum in Appendice Protei pag.* 414. c *Pap.* 76.

dem quoque pronunciâris, *a* nos *viros eſſe diabolicos, miniſtros & b & ſocios ſatanæ.*

a *Pag.85.* b *Pag.91.*

Num.56. *Omni ſpecie probabilitatis carent, Scioppij fabula de Ieſuitis.*

Iam quæ arma, quæ machinamenta aduersùs tuam iſtam, Scioppi, oppugnationem, impreſſionemque à me ducenda exiſtimas? an tollenones? an molares? an catapultas? an baliſtas? Næ tu oppidò falleris. Nam ego ne hilum quidem contra mouerim. Quippini? quòd tua iſta omnia purulenti ſtomachi eiectamenta, ad notam aliquam nobis apud quoſcunque Catholicorum etiam noſtro Ordini aduerſantium inurendam ineptiſſima ſint, nemoque vnus ita vecors, qui tam magnidicis, temulentisque falſimonijs aurem præbeat, vſpiam reperiatur. Quòd enim tu Ieſuitas eſſe *hypocritas, Phariſæos, Gentiles, Satanæ* Socios, ventrem inſtar Dei colentes, *atheos*que, tam illoto ore perſones, nihil omnino honeſtam noſtri exiſtimationem nominis lædit, neque huiuſmodi mendacia, & calumniæ, quæ vel primo tinnitu, vtcunque etiam leui omnibus ſtatim comperta ſunt, incommodam de nobis opinionem cuiquam afflant, ſed hoc vnum produnt, probantque luculentiſſimè, te mentiendi fabrum eſſe procaciſſimum iuxta, ac dementiſſimum, qui ea monſtra tam infeliciter conglutines, vt nemini hærere queant. Quamobrem nefas mihi planè eſt, de noſtri patrocinio mentionem vllam inijcere, quum Societatis noſtræ innocentia à tuâ iſtâ dedecorum enormi ſuperiectione minimè defloretur, ſed dilucidius multò repræſentetur.

Num,

Num. 57. *Irridentur & alia piacula quæ Scioppius fabulatur de Ieſuitis.*

Quid iam ampliùs turpitudinum tuæ obtrectandi libidini, Scioppi, reſtat? I ſanè, & fronte nauiter perfrictâ, in *Aſtrologiâ Eccleſiaſticâ* vociferator, *a* Ieſuitas *ad maiorem Dei gloriam rapinas concupiſcere.* I, clama in *Anatomiâ*: *b Nullam eſſe Societatem, ſicariorum & latronum, in qua iuſtitia non plus loci habeat, quàm in Societate Ieſuitarum.* I, freme eodem loco, *c* Ieſuitas *ſacrilegos eſſe ſacrilegiorum magiſtros, ac ſuaſores.* I, latra, inibi, & peiora, *d* nos *ex patre diabolo* eſſe, *homicidas, & ſanguinarios.* Quid audio? qui ſoni inconditi, qui ſtridores, qui barritus meas percellunt aures? Quàm horribili fragore Societatem noſtram, Scioppi, vt quondam Olympum Iuppiter, quateſeciſti? Me quidem pauor inuaſit ingens, iamque fugam anxius meditor, iam terga verto, iam de ſe leniendo conciliandoque conſilia, quamuis ſeriùs, capeſſo. O nos infortunatos! Perijmus omnes funditus. Quis Ieſuitarum deinceps alicubi tutus eſſe queat? qui ſpecus, quæ penetralia ſecuro nobis præſidio ſint? quæ latebræ tot capitibus ſacris ſufficiant? En Ieſuitarum præclari illi olim labores quò tandem euaſerunt? Collegia noſtra, & domos noſtras iam rapinâ, iam ſacrilegio, iam cæde dudum antè oppleuimus. Scioppius dixit, oraculum eſt, ambigere non licet. Sicariorum, & latronum barbariem immanitate iam vincimus. Scioppius enunciauit, effatum eſt, reluctari inſanum. Noſtra atria, & clauſtra tot occiſorum ſtagnant ſanguine. Scioppius non obſcurè innuit. Pythia vox eſt, diſſentire impium. Crudeli innocentum nece manus quotidie cruentamus. Scioppius

a Cap. 21. pag. 41. b *Pag. 40.* c *Pag. 91.*
d Pag. 95. & pag. 15.

pius ſomniauit, ſatis eſt, & plus multò, quàm quoduis Apollinis reſponſum. Quis contra mutire, quis contra hiſcere audeat? quo pacto enim, Scioppi, niſi humano ſanguine frequenter polluamur, alijsque ſceleribus obruamur, ſanguinarij poſſumus appellari? quomodo homicidæ? quomodo ſacrilegiorum magiſtri, ac ſuaſores? quomodo ex patre diabolo propagati? quomodo ſicariorum ac latronum iniuſtitiâ nequiores?

Num. 58. *Niſi mentiretur Scioppius, valde mirum eſſet, inter tot Ieſuitarum facinora, nullum facinus eorum puniri.*

Verùm hæc omnia inter portenta illud portentoſiſſimum, Scioppi eſt, ex tot tamque multis Ieſuitarum raptorum, ſicariorum, & latronum centurijs, quibus ædes noſtræ, vt tu indicas, refertæ ſunt, neminem vſpiam in cuſtodiam dari, nullum ad tribunal trahi, nullum palo infigi, nullum in rotam agi, nullum triremium tranſtris addici, ad iudices deferri neminem, incommodâ iſtorum criminum ſuſpicione adſpergi neminem. Quid hoc rei eſt? De cætero flagitioſorum grege (tametſi pauciſſimi ij, ſi nobiſcum contendantur, exiſtimandi ſint) nihilominùs videmus ſubinde nonnullos fures laqueo, iam aliquos latrones patibulo, interdum quoſdam ſicarios equuleo, nunc alios facinoroſos alijs ſuppliciorum generibus vindices ſcelerum pœnas perſoluere; neque vſpiam legum reuerentia ita penitùs exulat, aut iuſtitia tanto deſpicatui habetur, vel derelictui, vt non ſontes aliqui ſaltem aliquando plectantur: Soli Ieſuitæ, quamuis & numero longè maximo, & ſcelerum atrocitate longè teterrimâ il-

nos ſuperent; etſi fraudulentiâ, & *hypocriſi*, & Dei, Sanctorumque offenſâ, & fidei corruptelâ, & *Diabolicâ* arte, & multiplici hæreſi magis dehoneſtati ſint; licet Phariſæi, *Gentiles*, *Athei*, peſtes, ſatanæ miniſtri, ſicarij, latrones, homicidæ, ſanguinarij, ſacrilegiorum ſacrilegi magiſtri, ac ſuaſores, manifeſtò teneantur; tamen impuniti omnes (horribile dictu!) omnes impuniti dimittuntur. Hæcne verò tu intelligis, Scioppi, & non diſrumperis? hæc cernis, & non contabeſcis? At ego riſu penè emorior. Hinc, quæſo te, paulùm ſecede, fit neceſſe actutum; nam illum diu ægrè continui, neceſſeque in præſens habeo, ne diſſiliam, riſum ridere planè liberalem; nunc indulgendum plauſui, quo tua iſta deliramenta tam blanda, digniſſimo ſcilicet patellâ operculo, donanda ſunt. Rideto ſanè, quidquid domi eſt cachinnorum.

Num. 59. *Scioppius quàm ridiculè Ieſuitas homicidas aiat.*

Sed rogo te, Scioppi, quum tu Ieſuitas homicidas, latrones, ſicarios tam affirmatè ais, quos tu mihi ſicarios memoras? quos latrones appellas? quos homicidas expingis? qui ferrum nullum, niſi fortè cultellum ſcriptorium, aut cœnaticum tractant? qui præter edulia, calamum, chartamque nihil cædere ſueti ſunt? qui libris, ac pluteis affixi vitam exigunt? ſed quàm multa tu ab his corpora mactata narras? quot cadauera ab his exaggerata? quot capita ab his extincta? quot veneno perempta? quot laniata vulneribus? quot obruta lapidibus? vbi gentium tot ſtrages editas? quæ nomina ſingulorum tam occiſorum, quàm occidentium? quos temporum articulos, quæ criminum reliqua attributa? Nihil iſtorum prorſus tu indicas, nihil conſignas; & nihilominùs iubes me

credere,

credere, perditiſſimos inter ſicarios, homicidas, & latrones principem locum à Ieſuitis occupari. Difficile, inuolutumque myſterium, quo velut magico excantatus carmine, me quoque quamuis ignarum prorſus in piratam, in furem, in graſſatorem viarum, in bipedum nequiſſimum repentinò tranſcriptum, & cædes, ac latrocinia, quæ ſemper Orco peiùs, & angue odi, fateri à me patrata, vel laudata perpellor; nec mihi ipſi, qui nihil horum egi, nihil vel cogitatione verſaui, fidem habere poſſum; neque ipſi conſcientiæ meæ, etſi validè elateque reclamanti credere, quia tu ſecus opinatus, Ieſuitas homicidas generatim pronuncias, iam tutâ conſcientiâ queo; quod tuæ maledicentiæ nouum omnino ridiculumque monſtrum eſt; atque adeò bona tuâ veniâ ſolo riſu lautè excipiendum, vnaque ſubito elidendum.

Num. 60. *Calumniatori deliro, ſubinde animi causâ reſpondendum ridiculè.*

Dixiſſes tu fabulator egregie, Ieſuitas *muſcicidas, pulicidas, cucurbiticidas, rapicidas, caulicidas, braſſicidas, olericidas*; tum enimuerò Orator eloquentiſſimus vel vno verbo illico perſuaſiſſes, vltroque ego dediſſem tibi, lubensque do huiuſmodi cædes domi noſtræ perſæpe fieri; neque inficias eo, Ieſuitarum culinas eſſe planè cucurbitarum, raporum, caulium, braſſicarum, olerumque lanienas, in quibus cernas à noſtris coquis has terræ fruges ſine vllâ commiſeratione decorticari, trucidari, euiſcerari, lancinari, torreri, occiſione occidi, vt præ id genus cædibus adeo frequentatis multarum palmarum veteres ac nobiles gladiatores meritò illi appellari poſſint. Neque ego manus meas, atque vngues muſcarum inſectandarum.

rum, pulicuméque exenterandorum immunes præſtare auſim, quippe qui cum his beſtiolis otio literario non leue negotium faceſſentibus æſtate luctari cogor,& ſubinde *pulicidia*,ac *muſcicidia*:quin etiam in menſâ toto ferè anno *pomicidia*,& *piricidia* me patrare,candidè fateor; addoque plurimos alios Ieſuitarum, pauciſſimis fortè exceptis,nihilo me, quantum ad has cædes, mitiores melioresúe criminum talis farinæ eſſe compertiſſimos. Quid iam vis ampliùs, Scioppi? vide qualem nactus ſis aduerſarium; tuis nutibus obſequentiſſimum. Cædes complures à Ieſuitis editas tu criminaris; ego editas,ſponte concedo; ſed muſcarum, ſed pirorum,ſed cucumerum,ſed pulicum, ſed raporum, ſed braſſicarum, ſed olerum, ſed pomorum.

Num. 61. *Homicidia à Scioppio Ieſuitis obiecta ridentur vlteriùs.*

Nihilominùs tu adhuc obſtrepis, & Ieſuitas latrones, homicidas, & ſicarios eſſe, ad rauim vſque vociferaris. Audio. At retracta, quæſo, paulùm, quod temerè funditas, Scioppi. Nam ſanguinarij propriè non dicuntur, qui vnum alterumúe dumtaxat vitæ exheredem fecerunt; ſed qui humano gaudent ſanguine, qui hominum cruorem ſitiunt, qui freqenti mortalium cæde manus polluunt. Quare quum Ieſuitas ſicarios, homicidas, latrones,& ſanguinarios generatim appelles, opus vtique eſt, vt tales verè ij ſint, gladium in multorum millium iugulatio ipſis fuiſſe demiſſum. Et ſanè quum Ordo noſter ad duodeuiginti ferè milia numeret;ſi vel ſinguli noſtrum vni tantummodò animam ademiſſemus (abſque hoc enim foret,homicidæ fruſtrà,ne dum ſanguinarij,à te ſinguli vocaremur) quam ingens hominum agmen à nobis morti & Orco datum, fateremur, neceſſe planè eſſet? Aiſne? Planiſſimè. Planiſſimè, inquis? Ieſui-

tæ ergo non vnâ contenti cæde, latrocinandi, interficiendi, mactandiq; artem, latrones, homicidæ, & ſicarij exercent? exercent. Ergo plurimos hominum necârunt? necârunt. Ergo innumeros viatores interuerſis crumenis intęremerunt? interemerunt. Ergo innocentũ manipulos plagis immaniſſimè confecerunt? confecerunt. At quot numero tandem? quæ omnium ſumma eſt? Neſcio, inquis, ſed tamen infinitos propè obtruncârunt. Vbi, obſecro, & quibus in regionibus, atque oppidis? Neſcio; ſed tamen profectò obtruncârunt. Quo anno, quo menſe, quo die? Neſcio, ſed tamen, quod obtruncârunt, nullus dubito. Quâ occaſione, quam ob cauſſam? Neſcio; ſed tamen extra controuerſiam eſt, obtruncârunt. At à quibus tu huiuſmodi rumores, & fabellas hauſiſti? Neſcio, ſed tamen, quia ita ſe habeant, vt ſomnio, ambigi non poteſt. At quo modo tu iſtæc ſomniâſti? quomodo? Neſcio, ſed tamen oracula ſunt exploratiſſima, quæ ſomnio. At caue, Scioppi, caue, ne totidem omnia mendacia, & quidem manifeſtiſſima, & infiſcetiſſima, tibi Illuſtriſſimo *Comiti* parùm honorifica, imprudenter exciderint. Nihil refert, nihiloſecius ſunt adhuc veriſſima. Sic enim mecum preſsè, enucleateque ratiocinor. Ieſuitas ſicarijs, & latronibus improbiores eſſe iam ſemel dixi, & negari non poteſt. At improbiores illi eſſe non poſſunt, niſi ipſi quoque & ſicarij, & latrones ſint, ſiquidem iſtorum iniquitati nulla cuiuſuis priuatæ iniuſtitiæ labes par eſſe poteſt: Hos autem longo interuallo ab iiſdem Ieſuitis vinci palàm eſt, quos proptereà & ſanguinarios, & ſacrilegiorum magiſtros, & ex dæmone ſatos meritò pronuntiaui. Igitur infinitos propemodũ à Ieſuitis fuiſſe mactatos, vel ſi fractus labatur Orbis, neceſſe eſt. Acutiſſimè, atq; ex tripode. Nunc operta Bonę Deę ex te diſco, Scioppi, aliàs occultiſſima. Notate Dialectici côſequentiæ

quentiæ vim admirabilem? Ego Scioppius *Comes* à Clara Valle inficetiſſimè nugatus ſum, ineptiſſimè mentitus ſum, apertiſſimè calumniatus ſum, Ieſuitas eſſe plus quàm latrones, & ſicarios. Ergo neceſſe omnino eſt, etſi totus ruat Orbis, nugas meas, calumnias meas, mendacia mea eſſe veriſſima. Nihil ſubtilius. Nunc octauus ſapientum es. Verùm hoc audito, qui ad D. Vincentij hîc Mediolani habent (gens lectiſſima, & Iouis medulla, quæ inſaniæ quotidie dies noctesque operatur, ac ſitat cumulatiſſimè) illicò intercesserunt, coactoque veſaniæ omnis ſenatu ampliſſimo, de ſtultorum omnium principatu tibi deferendo conſilium ſapientiſſimum inierunt. Alioqui ſi mens tibi conſtet, hanc illius antecedentis conſecutionem legitimam ſtatim agnoſces. Nugatus, mentitus, & calumniatus es. Igitur ex coniugatorum lege, & nugatorem, & mendaciloquum, & calumniatorem te eſſe, vtcunque reclames, neceſſe eſt. Mendacia porrò veriſſima, quæ ais, nonniſi meras falſitates, puraſque fallacias, ex quibus ea tu, deleto penitus omni veritatis veſtigio, conflauiſti, rectiſſimè quilibet interpretatur.

Num. 62. *Ieſuitarum latrocinia refellit ipſemet Scioppius adhuc viuus, alioqui prima gladij Ieſuitici victima futurus.*

Sed rurſum tergiuerſaris, & clamas. Nihil ego tuos iſtos Dialecticorum cauillos, nihil iſtas ludificationes moror. Nullus Rhetorum, rabularum nullus, nullus hariolus aut præſtigiator ratam fixamque altâ mente ſententiam, Ieſuitas latrones eſſe, homicidas eſſe, ſicarios eſſe, euellet mihi. Nemo, Scioppi, euellet? Quid ſi ego vel molliſſimo

liſſimo brachio illam excuneauero? Neque tamen cuneum aliquem ei admouendum à me putes, ne dum ferreum; ſed leue dumtaxat flabellum: quod tamen ſi vnquam vel reijcere, vel infringere, vel inflectere, vel debilitare quâcunq; tuâ aſtutiâ, vel fraude poteris: tum ego ero tibi obnoxius, tum Ieſuitas tueri deſinam, tum homicidas, ſicarios & latrones eſſe nos omnes aſſeuerabo. Flabellum dixi, ſed ludibundus. Extra iocum, aries capitatus eſt. Tuo autem nunc malo hunc experitor. Nam ſi Ieſuitæ ſicarij, homicidæ, & latrones ſunt; ſi tam multos viros fœminasúe de medio, vt tu ais, ſuſtulerunt: quid cauſſæ, rogo, eſt, cur te viuum inter multiplices aliorum cædes eſſe patiuntur? cur te dudum antehac non confoderunt, cur tamdiu obtrectantem, calumniantem, oblatrantem, perſequentem tolerârunt? Quid expalleſcis? quid nutas? quid trepidas? Hoſtis es Societatis noſtræ, & Ieſuitarum, vt antè demonſtraui, truculentiſſimus; nomen noſtrum probroſis Satyris dehoneſtare ſtuduiſti; totum Ordinem noſtrum funditus euertere remis veliſque contendiſti. Cur igitur Ieſuitæ, qui tot alios iugulârunt, te efferatiſſimum Cerberum non traiecerunt? cur offâ venenatâ obſipatâ non perdiderunt? cur baculo, clauâ, igne tacere, & quieſcere non docuerunt? Innocens fortè eras, ac de nobis optimè ſemper meritus, nil niſi iucundum ac lætum à nobis præſtolari poteras? At quum famoſorum libellorum Auctores capite plectendos, & fuſte tundendos ciuiles, atque Eccleſiaſticæ leges ſanciant; quàm iniurius infeſtusque nobis fueris, facilè diſcernit, qui tot fuſtuaria & mortes, quot eiuſmodi libellos in nos emiſiſti, prolixè te promeritum animaduertit. Fortaſſe Ieſuitæ te aggredi auſi non ſunt? ſcilicet qui tot alios viros fortiſſimos exercitati, vt innuis, ſicarij animosè inuaſerunt,

runt, nulloque negotio oppreſſerunt; te vnum Aſiæ Europæque terrorem tremuerunt. Fortaſſis, vt maximè vellent, lædere te non potuerunt? At alios plurimos te longè validiores, vt ex te colligo, peremerunt; te vnum ſilicernium, te iam ſcipioni innitentem, te iam capulo vicinum vel modico pulſu in ſandapilam deijcere, ac ſternere non poſſent, nec potuiſſent? Duodeuiginti millia Ieſuitarum propè cenſemur. Et te vnum fungum planè effœtum, ac fœtidum exſcindere non potuimus, nec poſſumus? Et quos tu, quæſo, nos ſicarios, quos homicidas, ac latrones comminiſceris? nempe ſtupidos, ſtupeos, plumbeos, lapideos, nullos; quales ego maximè in Turcarum, atque Hæreticorum caſtris verſari, ac prætereà neminem, cupio. Cuius voti ô vtinam aliquando ego damnarer; profectò ne vnica quidem tum ſanguinis guttula è Catholicorum venis, vel cute, in acie vnquam exprimeretur.

Num. 63. *Saltem amicorum noſtrorum operâ Scioppius confici poſſet, ſi eius nos cædes delectaret, quod abſit.*

Sed finge à tot Ieſuitis ſicarijs, homicidis, atque latronibus vitam tibi adimi non potuiſſe: quàm magnus adhuc exercitus, quàm confertus, ac latè pertinens aliorum ſuperat, quibuſcum nos vel affinitate, vel conſanguinitate, vel amicitiâ arctiſſimè coniungimur? quàm multi in his viri potentes, nobiles, ſtrenui, proceres, dynaſtæ, *Marchiones, Comites, & Barones?* quàm lecta prætereà, & frequens in noſtris literarijs gymnaſijs iuuentus? tu ipſe ad ducenta millia diſcipulorum in his (quanquam vnde, & qui hanc ſum-

mam collegeris, a ignoro) enumerâſti. Ex iſtis quot adoleſcentes lacertoſi, robuſti, pugnaces, manu prompti, diſciplinæ, quantumcunque eos inſtituere & componere nitamur, ægrè patientes? Iam quid procliuius, quàm vnum ex tot conſanguineis, affinibus, amicis, diſcipulis, alijsque tam multis vario nomine nobiſcum fœderatis in tuum caput percuſſorem emere? quid emere? Si iſtis, quid tu hominis ſis, detegeremus; ſi quid vaſtitatis Catholicæ rei importaueris, aperiremus; ſi, quid detrimenti nobis afferre molitus ſis, patefaceremus; ſi vel leuiter innueremus, quàm bellè haberemus, modò tu hinc quàm primùm emigrares; quot vltro ad facinus breui efficiendum præſto forent? alacriter ſe offerrent? vel detrectantibus ſe ingererent? Quod ſi fortè nollemus te è viuis penitùs eiectum, ſed leniùs tantùm caſtigatum: quàm de ſubito plures dorſum tuum fuſtibus metirentur, vultum pugnis pinſerent, manus pedesque ſcuticâ, & flagro tunderent? quàm repentè exoſſatus, deartuatus, exdorſuatus animam ſub verberibus penè ageres? quot etiam id ſibi piaculo minimè ducerent, operamque Deo ac Religioni præclarè à ſe nauatam, quòd tam pernicioſo nebulone, nefarioque Hæretico Rempubl. Chriſtianam exonerâſſent, arbitrarentur? Cur igitur Ieſuitæ homicidæ, latrones, ſicarij, ſanguinarij, ſacrilegiorum magiſtri, ac ſuaſores, *ſatanæ* emiſſarij, ex *diabolo* proſeminati, atque *athei*, vt tu calumniaris, atrociſſimas iniurias à te ſibi toties factas, quum tam facilè poſſent, vlti non ſunt? cur te è numero viuentium non exturbârunt? cur fuſtuario ſaltem tuam arrogantiam, ac maledicentiam ſæpius non coërcuerunt? cur ſaltem ab alijs infra mortuos te amandandum, aut baculo dorſum tibi identi-

T 2 dem

a *In libello de ſcholarum, & ſtudiorum ratione conſultat. 4. pag. 108.*

dem mitigandum non curârunt? metus ſcilicet Principum, dandiq́ue pœnas interceſſit, audaceſq́ue compeſcuit. Nugæ, apinæq́ue. Tot alia, ac tam multa facinora longè grauiora, tot latrocinia, tot ſacrilegia, tot cædes, tot Hæreſes, pœnæ omnis incurioſi, & ſecuri intrepidè, vt obgannis, cumulauimus, ſuauiter vorauimus, feliciter concoximus; & tamen tanta nos ignauia ſimul oppreſſit, vt tuam vnius vitam, boletum communi bono adeò noxioſum, nobisq́ue tam infeſtum difflare veriti ſimus? Alium, mihi crede, in Orbem, in quo hæc fabularum portenta feras, ac luſcitioſis vetulis diuendas, nauiges, neceſſe eſt. Exprome igitur tandem aliquando veram cauſſam, vt noſtro munere, atque indulgentiâ adhuc ſpiritum ducas? dic ſodes, effare; quorſum tibi haſtenus pepercimus, & porrò parcimus? quid obmuteſcis? quid pendes animi? Nimirum aqua tibi hæret. atque ad has anguſtias vt te minimè redigendum putabas, ita nunc inopinatò redactum vehementer doles; optimè tibi conſcius, veritatem ipſam è latebris demum prodeuntem, ac ſeſe pandentem diutiùs à te ſeu per vim, ſeu per dolum ſuffocari non poſſe. Nam Dei purus amor, Chriſtiq́ue probra, contumeliæ, ſputa, colaphi, flagra, ſpinæ, claui, crux, lancea, quæ in oculis ferimus, & noſtræ politiæ prima ſunt documenta, quibusq́ue mores noſtros conformare diſcupimus, ipſiſſima cauſſa ſunt, cur te iam dudum in nos tam ferociter debacchantem inultum ſemper intactumq́ue reliquimus. Euangelij ſacroſancti recondita Philoſophia inſignes, innumeraſq́ue iniurias, quibus nos laceraſti, nobis iucundas reddidit, hæc nobis, ne maleficia tua tam inhumana vindicaremus (tametſi innocentiæ noſtræ patrocinari, vt ſuprà docui, editis Apologeticis neceſſe fuit) pias iniecit manus, hæc lenitatem ſuaſit, hæc patientiam

præ-

preſcripſit, hæc caritatis officia imperauit. Abſque iſtâ enim eſſet, quid, rogo te, nos impuliſſet, vt tibi in nos tamdiu hoſtilia omnia facienti hactenus adeò placidè ignoſceremus? quid nos prohibuiſſet, ne tot contumelias tam infames à te in nos dictas, ſcriptasque tuo cruore expiaremus? quoties, Scioppi, quoties vel minimo noſtro nutu, nedum niſu, exanimis victima, vbicunque fixiſſes pedem, improuisò concidiſſes? quoties plagis irrigatus, ſapere didiciſſes? quoties virgindemia vberrima de tuo tergo triumphaſſet? quoties digno remuneratus munere, lumbifragium abſtuliſſes? quoties carnificinum verſus in cribrum, cunctis obtrectatoribus, ne quemquam deinceps mordere auderent, atque ad aliorum reuerentiam rudibus probè erudirentur, exemplo fuiſſes? Verùm enimuerò nos pro ſingulari Chriſti Aſſertoris noſtri in Cruce patientiam inaugurantis, imitandi ſtudio, quod profitemur, hæc tibi omnia libentiſſimè condonauimus.

Num 64. *Ipſemet Scioppius agnoſcit, ſibi parci à Ieſuitis: & Ieſuitas dum calumniatur, innocentes probat.*

Quæ ſanè meridiana veritatis lux tam perſpicua, ne tuos quidem oculos, quanquam alioqui cæſios, hebetioresque fugere potuit, aut fallere. Quî enim adeò ſtultus fuiſſes, vt tuâ contumelioſiſſimâ linguâ, & calamo Ieſuitas, ſi eos reapſe homicidas, latrones, & ſicarios exiſtimâſſes, tuum in caput tam præcipitanter irritares? quî te hoſtem Ieſuitarum infeſtiſſimum, ac nocentiſſimum extra ictum diſcriminis poſitum cenſuiſſes; ſi illos ſicariorum more vel ipſis innocentibus gulam oblidere putauiſſes? quî tot in te fuſtes, tot pugiones & gladios tuâ maledicentiâ laceſſiuiſſes, niſi

eorundem tolerantiam tuis quibuſcunque Satyris omnino inexpugnabilem cognouiſſes? Tenebas videlicet memoriâ, Scioppi, tenebas, noſtri Ordinis viros omnes eâ adultæ virtusis eſſe prærogatiuâ, vt nihil exitij ab illis tuæ procacitati timendum eſſet. Iam ipſos triginta, & ampliùs annos, conſtantem animorum noſtrorũ moderationem, magnamque in iniurijs abs te illatis tranquillitatem à nobis exhibitam, de qua antè commemoraui, *a* periclitatus fueras, adeoque impune poſſe te in nos furere, non de nihilo exiſtimâſti. Sciebas diuini amoris vinclis noſtras manus, noſtra ora, noſtra conſilia omnia ita eſſe deuincta, atque conſtricta, vt nullum impudentiæ tuæ periculum, ne propudioſæ voces temerè perfidioſèque à te emiſſæ, per iugulum in te redirent, à mititate noſtrâ immineret; certoque tibi perſuaſeras, tuum calamum, etſi tam numeroſo fœdiſſimorũ dedecorum grege ſtipatum, non ferro, non baculo, non flagro, ſed calamo ad ſummum à nobis repercutiendum; ideoque mirâ confidentiâ tuæ obtrectandi libidini fræna omnia laxâſti. Ergo Scioppi, quum Ieſuitas ſicarios, latrones, homicidas, ſanguinarios eſſe pronuncias, dum tu ipſe hoſtis eorum teterrimus, qui omnium primus ab ijſdem mactandus eras, incolumis adhuc viuis; & quidem non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam; tum maximè mentiris, & calumniaris, calumniaſque tuas atque mendacia tu ipſe apertiſſimè detegis, ac planiſſimè refellis. At quis neſcit tantam patientiam, manſuetudinem, & caritatem in tam atrocibus iniurijs Chriſti Domini gratiâ concoquendis, cæterarum quoque virtutum comitatu, ſine quibus illæ non conſiſtunt, pulcherrimè honeſtari? an Iacobi Apoſtoli oraculum, *b* quod tritum eſt, patientiæ opus perfectum eſſe teſtificantis ignoras?

a *Cap.3.* b *Cap.1.*

ignoras? an te clam eſt Magni Baſilij monitum, a diuinæ ſapientiæ candidatum ita inſtitueris: *Patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, vt velociter ad ſublimitatem perfectionis poſſis aſcendere?* an tibi latet D. Cyrilli Alexandrini ſcitum ita adſtipulantis: b *Omne itaque bonum patientia nobis ſuppeditat?* an fruſtra Iobi perfectionem, patientiæ eſſe ſobolem in ſacro diplomate indicari, fruſtraque hæc ad eum verba referri putas: c *Patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* an tibi obſcurum eſt, quod hîc Strabus animaduertit, virtutes huiuſmodi apto ordine collocari, quia *de patientiâ perfectio naſcitur?* an venerabilis Bedæ aureum effatum ita decernentis tibi nouum eſt? d *Cuius patientia vinci non poteſt, ille perfectus eſſe probatur?* Ergo Scioppi, quum Ieſuitis non ſolùm latrocinia, & homicidia, ſed reliqua quoque qualiacunque crimina affingis; dum illi tot à te calumnijs onerati ac proritati, ſoſpitem te nihilominùs integrumque adhuc patiuntur; dum tali documento opus patientiæ perfectum ab ſe editum, adeoque omnia bona ſibi ab eâ ſuppeditata oſtendunt; dum patientiam ſuam nullâ tuâ malignitate inſectandique rabie, ac furore expugnari poſſe, ac proinde & cæteris Religioſis virtutibus præditos ſe produnt, tuas omnes criminationes tu ipſe, qui tantæ patientiæ, & perfectionis optimè gnarus, ſecurâ omnis periculi effrænatione, tam ſæuiter nos laceràſti, mendacij & calumniæ manifeſtò conuincis. Ergo, Scioppi, dum Ieſuitas maximè arguis, tum eorum innocentiam maximè prædicas; dum accuſas, abſoluis; dum feris, ſanas; dum mendacia fabricas, demoliris; dum ca-

a *Admonitione ad filium ſpiritualem fol 633.*
b *In homiliâ Tom. 1. Conciliorum relatâ pag. 1205.*
c *Iob. 4.* d *In cap. 1. Iacobi verſ. 4.*

lumnias ſeris, extirpas, vulnera à te inflicta cedunt nobis in vnguenta, venena in antidota, opprobria in laudem: vt commodè hîc concinnèque illud M. Tullij Philip. 111. mihi vſurpare in te liceet, Scioppi, *maledictu tuis, neſcio, ledas, an laudes.*

Num. 65. *Clauſula diſceptationis.*

Ex quibus palàm iam eſt, plurimas calumnias, atque mendacia, quæ tuis in libellis famoſis proſtant, inſana eſſe, atque monſtroſa, vt Lectoribus ſtatim ſe patefaciant, ſimulque ingens ſui faſtidium,& ſtomachum moueant; quod ego ſuperiore præiudicio in anteceſſum, vt illic monui, certo mihi ſumpſeram; hic autem dilucidè, ſolidèque iam demonſtraui. Vnde etiam apparet liquidò, te, quum ea deliramenta conſarcinabas,eò amentiæ eſſe progreſſum, vt Lectores omnes, quos iiſdem infibulari, infatuarique cupiebas, nonniſi bardos, nonniſi ſtolidos, nonniſi pecudes, ac rupices, non ſine graui illorum iniuriâ, tibi, vt ante quoque expendi, flagitioſè depinxeris.

§. VI.

Sextum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, mendaciorum, & calumniarum à Scioppio eidem impoſitarum fortiſſima propulſatio.

Num. 66. *Alia Scioppij calumnia in Ieſuitas compoſita minùs apertè.*

Verùm præter mendacia,& calumnias, quæ impudentiam pudore nullo profitentur, ac primò confeſtim aſpectu, vt Draco in ſpeculo, ſe perimunt, de quibus hucuſque ſatis: alia inſuper

quàm

quàm plurima mendaciorum, & calumniarum portenta in Ieſuitas edidiſti, Scioppi, quæ certis fabellarum adiunctis ita obduxiſti, vt paulò obſcurius in receſſu delitcſcant, neque tam facilè ac ſubito dignoſcantur, de quibus etiam, ſi lubet, paucis modò experiamur: cum eo tamen, vt præiudicij nomine hîc rurſum abuti, mihi permittas; ſi quidem hæc quoque diſputatio non tam cauſſæ præiudicium, quàm iudicium ipſum complectitur, quanquam non integrum, ac totum, ſed nonnulla dumtaxat illius capita, & partes, quæ tamen reliquorum etiam omnium explicata præiudicia meritò adhuc appellari poſſunt. At ne ſermocinationem in enormem longitudinem porrigamus, age, de cunctis aliqua tantummodò in ſpecimen legamus.

Num. 67. *De Monopolio Ieſuitico.*

Mora nulla eſt, de palmâ certat in primis Monopolij Ieſuitici, quod in *Anatomiâ* deſcripſiſti, a prima nota, *vt nemo in Dei gratiâ eſſe poßit, nec veniam ſiue peccatorum abſolutionem obtinere, niſi per Ioſuitas.* Commentum ſanè ad eliciendum riſum etiam à Curijs, & Catonibus accommodatum eſt, ſcitulum eſt, blandulum eſt. Sed quî tandem aliquâ probabilitatis ſpecie, quò credulas reperiat aures, illud imbuas, hîc de te quæro, Scioppi. Narras actutum eodem in libello pag. 10. atque 11. *Oeniponte non ita pridem Sereniſsimæ memoriæ Principi Leopoldo Archiduci Ieſuitas perſuaſiſſe, ex vſu tum ipſius, tum reipub. futurum, ſi Conſiliarij, Cubicularij, omnesq; omnino Aulæ eius familiares ſolis Ieſuitis vtantur Confeſſarijs, nec ad Franciſcanos, aut aliarum familiarum Religioſos, veniæ & abſolutionis à peccatis petendæ cauſſâ accedendi ius habeant. Et Archiducem quidem iſti Phariſaico hominum generi plus æquo obnoxium, ſuis iam edixiſſe, vt Confeßionis peccatorum*

a *Tabulâ 5. pag. 9.*

faciendi cauſâ ad neminem, niſi ad Reuerendos Patres Societatis Ieſu ſe conferre animum inducerent.

Num. 68. *Scioppius nomina ſilet, ne deprehendantur mendacia.*

Salue nugonum, & ſycophantarum ductor maximè. Sed pace tuâ, Scioppi, ſine verborum anfractu, aio te egregiè tuo de more mentiri. Quem enim huius fabellæ auctorem nuncupas? quaſi verò tibi ad hanc condendam, vt ad cæteras quoque quàm plurimas, ingenium infœcundum foret. Non meo, inquis, *a* è capite hanc prompſi hiſtoriam, ſed equeſtris loci homo nonnemo eam mihi retulit. Nunc ego occiſiſſimus ſum, iſtius equitis calcaribus me penitùs tranſuerberâſti: non ita tamen, vt non valida adhuc vox ad exclamandum mihi reliqua ſit: Mentiris iterum, Scioppi, mentiris planiſſimè. Nego enim te quicquam huiuſmodi, quod nemo ſomniauit, nedum curauit, ab vllo mortalium accepiſſe; nego aliquid hac de re ab illo equeſtris Ordinis viro tibi propinatum; nego anſam vllam compoſitæ calumniæ tibi ſuppetere. Fateriſne ingenuè? ergo mendacij apertè teneris. Repugnas? at cur illius equitis nomen, & cognomen non expreſſiſti? cur, quando tecum ille fabulatus ſit, non explicâſti? cur vbi gentium tibi ita illuſerit, non indicâſti? Nempe mendacij fibras omnes, vnde extrahi in lucem poſſet, altè defoſſas, ne quà emineret, eſſe oportuit.

a *Ibid.*

Num. 58. *Monopolij calumnia euerberatur teſtimonio Conſiliariorum; & Patrum Seruitarum.*

Quid ſi ego iam omnium eiuſdem Leopoldi Archiducis Conſiliariorum, tum Præſidis, *Cancellarij*, atque

atque *Regentium* in primis teſtimonio luculentiſſimo, tanquam Herculeâ clauâ, calumniam iſtam tuam, atque mendacium omnino macto? Scioppi, iſtum excipe: recitetur. *Nos N. Hæredum à quondam Sereniſſimo Archiduce Leopoldo relictorum Tutelares, Præſes, Cancellarius, Regentes & Conſiliarij Superioris Auſtriæ Prouinciarum &c. habito diligenti temporum, Scriptorum, perſonarumq́ examine accuratè indagauimus, an tale aliquid vnquam, vel à Glorioſiſſimo Principe mandatum, agitatum, vel ab ipſamet Societate ſuggeſtum fuerit: ſed manifeſtè comperimus, criminationi huic non modò Scripturas, Tempora, perſonasq́, verùm etiam contrarium quoque Aulæ Oenipontanæ vſum, ſummamq́ in deligendis idoneis conſcientiæ Moderatoribus libertatem penitùs refragari. Facimus proinde fidem indubitatam, ne leuiſſimum quidem eiuſmodi ſuggeſti conſilij, ſeu (vt Auctor loquitur) Monopolij Ieſuitici veſtigium vſquam reperiri: multoq́ minus à Sereniſſimo Archiduce tractatum vnquam, mandatumq́ fuiſſe, vt Aulici nullos conſcientiarum ſuarum haberent arbitros, & moderatores, niſi Ieſuitas, adeoq́ criminationem iſtam falſam eſſe oportere. Idcirco publicas haſce literas ſtabiliendæ, roborandæq́ veritati, ſolita ſigillorum, & chirographi appoſitione munitas eſſe voluimus. Data Oeniponte* III. *Kal. Februarij, Anno* CIↃIↃCXXXIV.

B.C. in VVolcken-ſtain Reg. Præſ.	Ioan. VVerndle D. m. p.
G. Bienner Cancell.	G. Starck m. p.

a *Extat apud Laurentium Forerum in Antanatomiâ Sect. 3. num. 17.*

Num. 69. *Teſtimonium Patrum Serui-tarum.*

Sed præter tot Illuſtriſſimos, ac Sapientiſſimos Viros, qui calumniam tuam tam explicatè, firmiterque euerberant, placet etiam è ſacris clauſtris homines Deo penitùs authoratos ad innocentiæ patrocinium euocare. Teſtor in primis RR. Patres è *Seruitarum* Ordine Oeniponte agentes, quorum incorrupta fides perfidiam tuam ita caſtigat.

Quod Sereniſſimus Archidux Leopoldus, feliciſſimæ memoriæ non ita pridem ſuis Cubicularijs & Conſiliarijs, ne apud alios Religioſos, quàm apud ſolos Reuerendos Patres Societatis Ieſu confiteri debeant peccata ſua (vti ſpargitur) *edixerit: teſtantur Reuerendi Patres de Capitulo Conuentus S. Ioſephi, Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis, Deo & Conſcientiâ ſuâ teſtibus, ſe nihil vnquam eâ de re inaudiſſe. Immò ab aliquot retrò annis nonnullos ex prædictis Sereniſſimi Principis Cubicularijs, & Conſiliarijs noſtris Patribus conſtanter confeſſos eſſe. In cuius rei fidem, communi Conuentus ſigillo appoſito, propriâ manu ex officio noſtro nos ſubſcripſimus. Oenipenti in Conuentu noſtro S. Ioſephi. Die XX. Septembris, Anno* CIↃIↃCXXIII. a

Ita eſt, F. Vincentius Maria Prior ibidem m. p.

Ita eſt P. F. Hieronymus Maria Stauber, eiuſdem Ordinis Seruorum B. Mariæ V. Sacerdos, & Capituli pro tempore Secret. m. p.

a *Extat apud Fererum loc. l. pag. 29. num. 23.*

Num. 70. *Eadem Menopolij calumnia euertitur teſtimonio Patrum Capuccinorum.*

Teſtor etiam RR. Patrum è *Capuccinorum* Religioſâ familiâ explorati candoris ſyngraphum, qui mendacium tuum breuiſſimè, ſed fortiſſimè hoc pacto redarguunt.

Nos Capuccini de familiâ Oenipontanâ præſentibus vnicè atteſtamur, nos de Monopolij Ieſuitici ſpecimine, quod quidam RR. PP. Societati Ieſu Oenıponte factum adſcripſit, nihil vnquam nec audijſſe, nec ſciuiſſe, nec etiamnum ſcire, imò contrarium in Aulâ factitatum conſtare. Datum, & munitum ſigillo loci huius Oeniponti, V. *Octob. Anno* CIƆIƆCXXXIII.

Fr. Io. Baptiſta de Ala Capuc. & Guard. indignus m.p.
Fr. Ioſeph. Oenipontanus Capuc. indignus m. p.
Fr. Anacletus Hagenſis Capuc. indignus m. p.

a *Extat apud Fererum l.l. num.* 24.

Num. 71. *Accedit etiam teſtimonium PP. Franciſcanorum.*

Teſtor demum & RR. PP. Franciſcanorum germanum chirographum, qui fabellam tuam hiſce verbis funditus elidunt.

Beneuolo Lectori ſalutem.

Quum ad noſtras ex certo quodam Scripto (cui titulus Anatomia Societatis Ieſu) peruenerit aures, Se-

reniſſimum Auguſtiſſimæ mem. Leopoldum Auſtriæ Archiducem &c. ſuis quondam Aulæ proceribus, Camerarijs, atque Cubicularijs inhibuiſſe, ne quis Religioſis vllis, præterquam Patribus Societatis Ieſu, ſua confiteretur peccata, id autem veritati directè contrarietur, nullâ hac de re vnquam mentione à Sereniſſimo Archiduce p. m. *factâ. Eapropter literis hiſce ad omnem deinceps ambiguitatem tollendam teſtatum omnibus, ac ſingulis volumus, aſſertum Anatomici illius de Confeſſionibus Aulicorum ac Procerum à PP. dumtaxat Societatis Ieſu excipiendis, inane, vanum, ac merum eſſe figmentum, quum planè conſtet reipsâ contrarium à multis Aulæ Magnatibus & antehac factitatum eſſe, & adhuc fieri. In cuius rei ſinceram fidem & ſyngraphum hoc communi noſtro Prouinciæ Tyrolis ſigillo muniri curauimus. Actum Oeniponti, in Conuentu noſtro Cæſareo, 11. Martij,* CIↃIↃCXXXIV.

Fr. Henricus Sifridus, Ord. ſancti Franciſci Diffinitor Generalis Prouincialis Tyrolis m. p.

Fr. Auguſtinus Fetſcher, Ord. ſancti Franciſci Pater, & Conuentus Friburgenſis Guardianus.

F. Hieronym. Strambacher Guardianus Oenipontanus, & Prouinciæ Diffinitor m. p.

Fr. Ioannes à Cruce nouâ Lector affirmo, vt ſuprà.

a *Extat apud Fererum l. l. num.* 25.

Num.

Num 72 *Apertè mendacij conuincitur iſta Monopolij calumnia.*

Nunc è tenebricoſis latibulis, Scioppi, in quæ, ad tantorum conſpectum virorum vitabundus continuò te proripuiſti, in lucem procede, actutum exi, properans proſili. Cernis omnem procacitatis tuæ ſaltum tot teſtimoniorum indagine tam arctè cinctum, vt nuſpiam elabi, niſi in retectæ tuæ perfidiæ caſſes incidas, tibi integrum ſit? viden' tam multiplicis Ordinis, profani & ſacri fidem quà publicam, qua priuatam calumniæ tuæ iugulo imminentem? intueris hominum integerrimorum cuneos in mendacem tuam linguam, & calamum inſtructos? Iam comminiſcere, ab Archiduce Leopoldo ſuis edictum proceribus, ne quis conſcientiæ arbitris, niſi Ieſuitis, id Monopolij genus callidè eblanditis, vteretur. At improbum os tuum contundunt maximè ſummates viri ex omni genere grauiſſimi. Oenipontani Senatores, & Conſiliarij Archiducis, reuocatis ad veritatem rationibus, excuſſiſque diligenter facinoris cunctis articulis, negant criminationi tuæ ſcripturas, tempora, perſonaſque congruere; negant ab Archiduce quicquam eiuſmodi aliquando imperatum; negant illius Monopolij affectati veſtigium vllum exiſtere; aiunt Aulæ Oenipontanæ vſum omnino contrarium, tibi aduerſari; aiunt ſummam in idoneis conſcientiæ moderatoribus deligendis libertatem illic haberi; aiunt cauillum atque obtrectationem tuam eſſe falſam: Viri quoque Religioſiſſimi eâ ex familiâ, quæ peculiari ſeruituте Beatiſſimæ Dei Genitrici obſtrictam ſe eſſe gloriatur, perſpicuè ſerieque teſtantur, nihil vnquam eo de Monopolio piacularis confeſſionis à ſe auditum, ſed è contrario nonnullos ex

Sereniſſi-

Sereniſſimi illius Principis Conſiliarijs, & Cubicularijs peccata ſuos apud Patres expiare ſolitos: Capuccini item Patres, vitæ auſteritate, morumque candore Orbi conſpicui, nihil ſe vnquam de illo Monopolio audijſſe, nec ſciuiſſe, nec tum etiam ſcire, ſed contrarium in Aulâ factitatum conſtare, enucleatè aſſeuerant: Patres demum Franciſcani ex ijs, qui ſeuerioribus diſciplinæ legibus deuincti, tantâ auctoritate præſtant, nullam vnquam à Sereniſſimo Arciduce eâ de re factam mentionem, diſertè pronuntiant; fabellam tuam rectà pugnare cum veritate apertè affirmant; accuſationem tuam inanem prorſus eſſe, vanum meрumque figmentum, expreſsè decernunt; contrarium morem multis Aulæ Optimatibus vſitatum fuiſſe, atque eſſe, ſine controuerſiâ manifeſtum, diſtinctè narrant.

Num. 73. *De Monopolio mendacium iſtud ſtolidiſſimum eſt.*

Nunc quæ tibi frons, Scioppi, eſt? quæ mens? qui habitus? vt aliàs omnis verecundiæ fines tranſire tu ſuetus ſis, erísne iam ita impudens, vt in tantorum virorum ſole mendacium tuum vllâ vmbrâ opacari ampliùs poſſe cenſeas? hóccine tu audis? & non extemplo lingua tibi hæret? non inceſſus nutat? non trepidat animus? non vultus lineamenta decolorantur? Solus es, qui mentiris; qui mendacium tuum iugulant, viri auctoritatis, & fidei ineluctabilis, tot, ac tanti, & non expalleſcis? non execraris ſcelus? non veniam poſcis? ſcio pudorem iam pridem tibi eſſe decoctum; ac proinde te mentiri, & calumniari non miror; eſt verò planè, cur alius miretur ſummopere, qui ſolemne tuum ignorat, mendacium tam malè materiatum, tam inconcinnum, tam carioſum, quod

per-

perleui momento obteri poteſt, à te fuiſſe compoſitum. At ego, qui id genus delirijs tuis legendis, exſibilandisque penè occallui, hæc atque alia iam ſine admiratione tranſilio. Edixit Archidux Leopoldus ex Ieſuitarum conſilio, ne quis Aulicorum, conſcientiam delictorum eluendam alijs Sacerdoribus, quàm ijſdem Ieſuitis aperiret. Quàm ineptè? quàm inſubidè? Et nemo ex tot Dynaſtis tam duro, tam inſueto, tam infenſo edicto interceſſit? nemo interluctatus eſt? nemo in Aulâ de eo conqueſtus? rumor nullus per vrbem diditus? nulla vox edita? nullus apud PP. *Franciſcanos* clam ſaltem deplorauit? nullus ad PP. *Seruitas*? nullus ad PP. *Capuccinos*? nemo prorſus. Aíſne? nullus omninò? Quid inſolentius? quid inſanius? nempe ingens mendacium à te fulciri, niſi immaniore mendacio non poteſt. Edictum Archiducis nouum, exoticum, intolerandum Aulici omnes tolerant, omnes taciti ferunt, omnes diſſimulant. tui mendacij quoque fuco infucandi gratiâ tota aula taciturnitatem diſcit, Harpocrates fit, longa Carthuſianorum Patrum ſilentia vincit.

Num. 74. *Alijs etiam laqueis irretitur Scioppius, propter iſtam Monopolij fabulam.*

Hic quid ais, Scioppi? placétne tibi hoc conſectarium? minimè. At niſi placeat, mendacium tuum rimarum plenum eſt, vndique perfluit. Quomodo enim de illo Monopolio, niſi Aulici omnes repentinò elingues, ac muti euaſerunt, Patres *Capuccini* illic diuerſantes nihil cognouerunt? quomodo Patres *Franciſcani* nihil inaudierunt? quomodo nihil Patres *Seruitæ* perceperunt? quomodo ne ipſi quidem Conſiliarij habitâ, exercitâque

que quæſtione, quicquam expiſcari potuerunt? Placet? At ſi omnes Aulici muti atque elingues, vt tu contendis, fuerunt; quo tandem pacto myſterium tam abditum tu reſciuiſti? Cui eorum lingua ad illud tibi pandendum improuisò enata eſt? num hæc tibi dumtaxat ſecretum reſignauit, ſtatimque, ne cui alteri poſteà etiam renuntiaret, radicitus euulſa eſt? quis verò eam euulſit? an ille ipſe eques, quem memoras, ſibimet, an aliquis alius? Ridiculum portentum. Nemo Aulicorum hiſcit, nemo operta Aulæ, ne Religioſiſſimis quidem viris, quanquam ſilentij ex diſciplinæ inſtituto amantiſſimis audet credere: tibi vni tametſi mortalium loquaciſſimo, atque impotentiſſimæ garrulitatis ludioni neſcio quis errabundus genius patefecit. Ita mendacia mendacijs, quò primum ſupprimas, abſurdiſſimè à te exaggerantur.

Num. 75. *Alijs quoque ſcopulis alliditur Scioppius per iſtas Monopolij nugas.*

Apage, inquis, cum mendaci iſtâ exaggeratione. Egóne illam probem, qui improbam noui, & edictum Archiducis in Aulâ vulgatum, ab Aulicisque per vrbem longè lateque diffuſum neque inficior, neque, ſi velim, poſſum? Quod felix, fauſtumque, Scioppi. dies candido mihi lapillo notanda. Iam mentiri deſinis, iam veritati das manus. At ecce tibi rurſus indeclinabiles ſcopuli. Nam vel teipſum, vel Conſiliarios omnes Archiducis, & Religioſos Ordines, qui Oeniponte ſunt, cunctos mendacij impudentiſſimi arguas, neceſſe eſt. Qui tandem? Dic mihi, Scioppi, ſi Monopolij iſtius Ieſuitici fama toto Oeniponto, vt hîc ſtatuis, verè percrebuit; poſſúntne Conſiliarij

illi

illi fidem facere, ne leuiſſimum quidem eius veſtigium ibidem reperiri, niſi ſtrenuè meutiantur? poſſúntne Patres *Seruitæ* teſtari, ſe Deo, & conſcientiâ ſuâ teſtibus, nihil vnquam de eo inaudijſſe, niſi pari mendacio? poſſúntne Patres *Capuccini* aſſeuerare, ſe nihil ſciuiſſe aliquando, neque tum ſcire, niſi conſimili mendacio? poſſúntne Patres *Franciſcani* pronunciare, eſſe inane, vanum, merumque figmentum, niſi gemino prorſus mendacio? non poſſunt, Scioppi, non poſſunt, niſi fortè tu pro mirificâ tuâ ſapientiâ veritatem mendacio eandem facis, aut putas. Quid tu igitur ad hæc? Aut tu, qui edictum Archiducis diſſipatum Oeniponte ais, mentiris; aut illius Conſiliarij omnes, Religioſique Ordines, qui negant. Has in anguſtias tua prorupta temeritas iam compulſa eſt. Confligendum tibi eſt neceſſariò; recedere, aut deflectere non potes. Reſponde. Dásne candidè ſemel, te infrunito, inſulſoque ore, quò Ieſuitas traduceres, eſſe mentitum? Da, Scioppi, da, quod diſſimulare non potes; & ego mox Ieſuitarum omnium nomine mendacij tibi gratiam lubens fecero, probè gnarus, noſtræ innocentiæ ſat eſſe conſultum, quòd te mendacem vt ignorare non potes, ita quoque apertè fateris, nec alijs latêre pateris. At tergiuerſaris, & mendacis ſtigma probroſum, tuę detractum fronti cupiens, mendacij culpam in Conſiliarios Principis, & Religioſos illos Ordines transfers? O impudentiam horribilem! Itáne, Scioppi, vt mendacium à te in Ieſuitas ſcripto proditum tuearis, ægreque ijs facias; audes quoque longè ſceleſtiore mentiendi præcipitantiâ, innoxios manifeſtariæ veritatis patronos, ampliſſimos Ordines & grauiſſimorum Conſiliariorum, & Religioſiſſimarum familiarium, fœdiſſimi infamare mendacij? Itáne hanc ipſam mendacij infa-

miam

miam Lectoribus cunctis (quod tuæ perfidiæ conſequens omnino eſt) vis eſſe perſuaſiſſimam? Itáne eoſdem Lectores (quod indidem efficitur) planè flagitioſiſſimos, quippe qui de viris innocentiſſimis iniquiſſimè ſentiant, eſſe reputas; ne alioqui, ſi ſecus exiſtiment, ipſe tu mentitus videaris, atque vt hinc tua nequitia, ſic illinc veritas, atque integritas tam eorum Conſiliariorum, & Religioſorum, quàm Ieſuitarum, in propatulo collocetur? Quid hîc tam inſignitæ tuæ improbitati tempeſtiuè reponam? ego ſanè excogitare non poſſum, quando ad tam petulcum, impuratumq́ue os calamumq́ue, vt par eſt, obſtruendum. ne ipſum quidem cœnum video ſatis in præſens eſſe cœnoſum. Vnam tamen hanc pœnam interim luito, tecum ſæpe animo verſans, ad quàm enormia, quàm abſona, quàm inaudita mendaciorum, & calumniarum monſtra parienda immanis tua illa Ieſuitis maledicendi libido te adegerit, quod maximè hîc ego oſtenſum volui, iamq́ue voto belli potitus ſum.

Num. 76. *Detegitur Scioppij calumnia de Greuttero.*

Hinc aliud Commentum tuum *Arcanorum Societatis Ieſu Dædalus* tuus, Scioppi, ad me defert, atque hiſce totidem verbis partitè recitat: *a* *Matthæus Greutterus Argentinenſis, qui nunc Romæ imaginibus in ære incidendis vitam tolerat, ſæpe amicis narrat: quum adhuc adoleſcens ad P. Conradum Vetter in Germania veniſſet, eiq; ſuum conſilium de nomine Societati dando aperuiſſet, ſibi totidem ferè verbis ab eo reſponſum fuiſſe. Magnam equidem tibi gratiam habeo, qui tam bene de Societate noſtra exiſtimes, vt in eam quoque cooptari expetas. Verùm ego mihi minimè*

hominis

a *Pag.* 207. *&* 208.

hominis ingenui, aut boni viri officio fungi videar, ſi eum errare patiar, qui tanta de re mecum deliberare, meoq; conſilio vti voluerit. Quod ergo te, ſi Ieſuita ſias, inter meros Angelos ætatem acturum ſpe, & opinione præcipis, na te plurimum fugit ratio Si enim experimentum capias, pol tu extrema nequitia Cacodæmonas magno numero inueneris. Fabula fabuloſitate refertiſſima. O ſi liceret, Scioppi, tuis inſiſtere veſtigijs! quàm commodè ædepol, & perpol tibi redderem, teque è *Cacodæmonum* diſciplinâ prodijſſe, à quibus tam multiplicem, fœcundamque mentiendi artem didiceris, facilè vincerem? Certè quidem in hac calumniâ à te architectandâ & veneficiorum, & magicorum carminum, & Titiniæ cantionum altè preſſa veſtigia conſpicio. Ita enim hîc prodigialiter mentiendo ingeniũ tuum ſuperâſti, vt quin prauus ille *Antitheus*, & *Cacodæmonum* princeps multam tibi operam nauârit, nullus dubitem. nauauit autem? maximè. nam quis, rogo, niſi *Antitheus*, & *Cacodæmon* primarius te docuit, tamque inſolitâ vi ac facultate donauit, vt Matthæus Greutterus, qui de Ieſuitarum Ordine capeſſendo conſilium nullum vnquam ſuſcepit, mendacij tui præſtigijs ſuſceperit? qui hac de re nunquam cogitauit, tui calami præcantatione cogitârit? qui de profano ſtatu deſerendo mutandoque nihil egit, nullumque verbum fecit, tuæ linguæ Acheruntico magiſterio egerit, ac fecerit?

Num. 77. *Exſibilatur hæc fabula.*

Sed illud præ cæterorum admirabilitate inſolentiſſimum, Scioppi, eſt, quòd eundem Greutterum iam virum, natuque grandæuum, & trium etiam filiorum patrem, quando primùm cum P. Conrado Vettero colloquutus eſt, tum magicâ tuâ calumniandi licentiâ in adoleſcentem Socie-

tatis noſtræ candidatum quaſi poſtliminio retraxiſti; veneficæ Medeæ artes ita ſollertiſſimè æmulatus, cui, vt nôſti, Poëtæ eam indulsêre prærogatiuam, vt ſeneſcentes iam artus & membra in iuuentam, florentemque ætatem pro ſua lubentiâ refunderet. Vnum tamen eſt, Scioppi, quod in hac tuâ mendaciorum opulentâ ac ingenioſâ nundinatione laudare nullo modo poſſum, &, ſi mihi habes fidem, omnia tam perſpicacis tuæ indolis documenta mentiendi corrumpit. Ain' tu, corrumpit? ſcilicet. Vt video, etiam in inſomniâ ſomnias. Imò verò tu extra ſomnium, & ſomnum tuâ in fabellâ ſomniculosè admodum addidiſti, illum ipſum Greutterum tum Romæ adhuc viuere, quod tua omnia mendacia illico planè prodit, ac perdit, quibus ſi paulo melius proſpectum volebas, eundem Greutterum non amplius in viuis cenſeri, ſed iam pridem elatum, & tumulatum oportebat. At hic ſuperſtes Romæ, de frequenti illâ, quam tu comminiſceris, narratione interrogatus, germanâ fide totam tuam mendaciorum ſcenam detegit, ingenuoque iſto chirographo penitùs difflat, nec non quidquid modò ad Circæa tua calumniarum pocula ludificanda perſtrinxi, apertè confirmat.

Num. 97. *Syngraphum Greutteri.*

Ego Matthæus Greutter optima fide teſtor omnia ea, quæ in famoſo libello, ſine auctore, & loco impreſſo, cui titulus, Arcana Sucietatis Ieſu, *folio 207. & 208. ad eandem Societatem infamandam adducuntur, & meo teſtimonio perperam approbantur, falſa eſſe, & à maleuolo animo Auctoris gratis conficta. Ego enim, etſi fateor me ſenem eſſe, quem fallere poſſit memoria, ſanctè tamen aſſirmo, me eiuſmodi colloquij,*

aut

aut narrationis non meminiſſe (meminiſſe autem debe-rem, ſi tam ſæpe, vti Auctor fingit, amicis narrarem) ſed neque potuiſſe mihi in mentem venire, niſi cum hoc ipſo Auctore, audacter mentiri vellem. Nam quum Anno CIↃIↃXCIV *Ratiſponam, vbi Comitia Imperij celebrantur, mercium mearum cauſſâ veniſſem, cum Patre Conrado Vettero, verè Hæreticorum flagello, & quem ego ſemper amaui, & veneratus fui, diſputare cœpi, & conuictus etiam manus dedi, atque à Luthero, cui tum adhærebam, ad Romanam Eccleſiam acceſſi: nihil verò tunc de ſtatu mutando, aut Religione ingrediendâ actum à me fuit, aut cogitatum: aut quomodo cogitarem, qui tunc, non, vti Auctor ait, tam adoleſcens fui, ſed trium iam liberorum pater eram, & modum quærebam, quo etiam illos, ne in hæreſin educarentur, in tuto collocarem? prout feci, & liberos mecum primò Lugdunum in Galliam, ac deinde huc Romam adduxi. Ex quibus clare conſtat, ficta eſſe, quæ Auctor de me attulit ad calumniandam Societatem, quam ego ſemper amaui, & colui, & dum viuam, amabo; neque Ordinem vniuerſum vnquam vituperandum exiſtimabo, etſi hic, vel ille ſit, quod in Cœlo Angelus, vel in Apoſtolatu Iudas fuit. Ita iterum, & optimâ fide affirmo, teſtor, & propria manu ſubſcribo. Romæ* XIV. *Aprilis* CIↃIↃCXXVI. a

Ego Matthæus Greutter affirmo, vt ſuprà manu propriâ.

a *Extat apud Laurentium Forerum in Proteo Grammatico cap.7. pag. 280.*

Audin' tu hæc, Scioppi, & tuæ mentiendi infelicitati, atque inſcitiæ non iraſceris? an irritus tibi vates fui, quum innui, Greutteri no-

men

men inauſpicatò à te appellatum, eoque non viuo, ſed mortuo tuam ad calumniam illatebrandam, opus tibi fuiſſe? viden' modò, vt hic ſpirans, vidensque tua mendacia ad viuum delineat? viden', vt trium liberorum patrem ſe in adoleſcentem Societatis noſtræ aſſeclam à te reuocatum refert? viden', vt Romæ imaginibus in ære incidendis vitam exigens, tuam maledicendi, calumniandique effigiem ipſiſſimam, *Cacodæmonum* maximè propriam iiſdem ſcalpellis graphicè exprimit?

Num. 79. *Alia Scioppij calumnia P. Forero aſſuta, diſſuitur ſolâ inficiatione.*

Neque alio ſanè ſpiritu, quàm primani *Cacodæmonum*, agitatus, Scioppi, editâ tuâ *Relatione Vargianâ*, ſex integris Capitibus, nempe x. & quinque alijs proximè conſequentibus: in virum innocentiſſimum P. Laurentium Forerum effrænatiſſimè debacchatus es, eundemque incredibilium omnino ſcelerum infamiâ, atque inuidiâ turpare perditiſſimè ſtuduiſti. Illum Imperij Romani turbatorem, ac belli facem; illum hominem voracem, & guloſum; illum vinoſum & bibulum; illum libidinoſum, & ſpurcum; illum Magum, & *Cacodæmonis* in medicinâ alumnum, inſitâ tibi calumniandi procacitate, dicere auſus es. Sed quo demum rerum compendio? quo prouentu? nempe vt tuæ obtrectandi, mentiendique inſania ab omnibus viris probis, quibus Foreri innoxia vita, Religioſi mores, virtutesque eximiæ, tum ingentia de totâ Chriſti *Eccleſiâ* promerita perſpecta ſunt, iuſtiſſimâ indignatione, atque imprecatione defigatur. Nouaculam hîc ego expeto. Scioppi, adeſto, cutemque ad cædem nuda. Quo tu argumento, con-

uiciator

uiciator improbe,quo teſtimonio,quâ tabulâ,quo indicio ea delicta,quæ Forero vitio vertiſti, in aliquam ſuſpectionem ſaltem, aut credulitatis ludibrium adduxiſti? nullo prorſus,vt compertum eſt. Hoc vno igitur talitro ſi ego Iudam, infimamque tibi vellens auriculam, id ſolùm regeram, nullam à te criminum probationem,nulla documenta allata, nonne tuæ inſimulationis ſtrophæ illico decollant omnes, tuque in fuſtitudinas, & ferricrepinas inſulas, vbi viuos homines mortui incurſent boues, quò dignam tam infandis calumnijs ſtrenam lucreris, meritò, ſi legum ſcita audiamus, relegandus es? Dubium nullum eſt. Cæterùm quia hoc teli, vel ſcuti genere in alijs præiudicijs iam ſuprà vſus ſum; ſuperſedeo hîc iterum idem, quanquam diuersâ in re, moroſiùs vibrare; præſertim quum alia machinamenta, ad tuas iſtas mendaciorum ſubſtructiones diruendas, præſtò mihi ſint validiſſima.

Num. 80. *Foreri perſpecta innocentia.*

Ipſemet Forerus, vir exempli recti domi foriſque, ſuâmet virtute, & ſapientiâ clarus, tot pugnis aduersùs Hæreticos feliciter pugnatis inclytus, tot librorum monumentis in lucem emiſſis ſpectatus, tot laboribus pro Catholicâ Eccleſiâ exantlatis nobilis, tot luſtris ſacræ auditor confeſſionis Illuſtriſſimo, ac ſummè Reuerendo Henrico Auguſtano Epiſcopo, & Principi probatus, ab omnibus tuarum calumniarum nubibus ſatis ſeſe confeſſæ, atque in aperto poſitæ innocentiæ ſplendore vindicat; maior omnino,quàm vt eum quâcunque tui liuoris, odij ac malignitatis fuligine obſcurare poſſis.

Num. 81. *Grauiſſima teſtimonia pro Forero.*

Verùm ne contra muſſare porrò tu audeas, dabo prætereà integritatis, & virtutis eiuſdem Forerij, atque ex æquo mendacij tui, ac perfidiæ teſtes, dabo incorruptos, dabo luculentos, dabo omni exceptione maiores, dabo dictorum, atque actionum viri Religioſiſſimi aſſiduos, multorumque annorum tractu perpetuos ferè inſpectores, quorum auctoritate, ac fide perſpectiſſimâ, tua impudentia, vel ſi ferrea ſit, penitùs frangatur. Nam vt inuerecundâ admodum fronte, Scioppi, iam dudum ſis, an non paulùm ſaltem erubeſces, quum grauiſſimo *Cancellarij*, & Conſiliariorum Auguſtani Epiſcopi, & Principis Henrici, quem iam laudaui, teſtimonio iugulum tuarum omnium calumniarum peti ſenties? Age recitetur.

a *Exſtat apud Forerum in Appendice Protei pag. 481. integrè deſcriptum.*

Num. 82. *Conſiliariorum Epiſcopi Auguſtani teſtimonium pro Forero.*

Nos Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini Henrici Epiſcopi Auguſtani Cancellarius, & Conſiliarij, ex officio veritatis, ac innocentiæ defendendæ, notum omnibus facimus, exhibitas nobis eſſe iniurias & calumnias cuiuſdam Alphonſi de Vargas, Relationi ad Reges & Principes Chriſtianos &c. inſertas nempe à te, Scioppi, qui commentitijs hiſce nominibus tuum nomen & opus celare, ſed fruſtra, vt ſuprà docui, voluiſti) *aduersùs R. P. Laurentium Forerum Societatis Ieſu Theologum, ſcriptis ſuis aduersùs Hæreticos Clariſſimum, & memorati Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Principis Domini noſtri Clementiſſimi*

mi Confeſſarium. Tum recenſitis omnibus criminationum Capitibus, quæ ſuprà ego in anteceſſum enumeraui; ſubdunt continuò: *Quæ etſi talia ſint, vt eorum ſuſpicio in illum, quo tot annis Princeps noſter conſcientiæ ſuæ Moderatore vſus eſt, omnium, qui illum nôrunt ſententia, cadere non poſſit; nos tamen de præfati Reuerendi Patris Laurentij Fereri plurium annorum familiaritate, cohabitatione, viſu & auditu teſtes idonei, has meras eſſe calumnias teſtamur, & tantam in hoc ſæculo innocentibus maledicendi eſſe licentiam deploramus.* Mox illis ſingillatim refutatis: clauſulam ita imponunt; *Quibus breuiter pro defenſione innocentiſſimi Patris publica noſtra atteſtatione confirmatis, manifeſtum eſt, nullam hiſce calumnijs fidem tribui debere, vel poſſe. Quod Teſtimonium veritatis, innocentiæ ex officio elargiti ſumus, & conſueto Curiæ Epiſcopalis ſigillo roborauimus. Dilingæ* XVII. *Octobris Anno* CIƆIƆCXXXVI.

Matthæus VVanner D.
Cancellarius ſubſcr.

M. Ioannes Keſler
Secretarius ſubſcr.

Num. 83. *Generalis Vicarij Auguſtani teſtimonium pro Forero.*

Quod ſanè teſtimonium locupletiſſimum, etſi ad effrænе tuum os refrænandum ſatis ſit; nihilominus quò magis tuæ audaciæ ac temeritati doleant oculi; produco etiam alterum Vicarij Generalis eiuſdem, quem appellaui, Epiſcopi Auguſtani & Principis longè firmiſſimum. Recitetur.

Gaſpar Zeillerus SS Theologiæ Doctor, Vicarius Reuerendiſſimi, ac Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini Henrici Epiſcopi Auguſtani in ſpiritualibus Generalis, Omnibus notum facimus, quod ex parte Reuerendi in Chriſto Patris Laurentij Foreri Societatis Ieſu Doctoris Theologi, nobis expoſitum fuerit, quod quidam Calumniator, ſub confictō nomine, Alphonſi de Vargas, librum quendam calumnijs ac conuicijs plenum, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ & Curiæ Romanæ, Auguſtiſſimo item Cæſari, & Epiſcopis Catholicis, alijsq́; Ordinibus Eccleſiaſticis maximè iniurium (vt ego in *Lydio* meo *Lapide* oſtendi planiſſimè) *per quaſdam Europæ, potiſſimùm verò Germaniæ prouincias ſparſerit, in eoq́; etiam dicti Patris Foreri nomen atrociſſimis calumnijs, confictis criminibus, talibusq́; mendacijs, quæ honeſtæ aures exhorrent, nosq́; veluti falſiſſima ſcriptis inſerere noſtris dubitamus, impudentiſſimè obſcurare, & Orbi facere ſuſpectum malitioſè laborauerit. Quæ licet contra hunc Patrem, ob libros pro defenſione Eccleſiæ Catholicæ cum laude conſcriptos, vitamq́; religioſam omnibus notam apud bonos, & prudentes, maximè autem apud eos, qui actiones, & mores ipſius quotidie intuentur, nullam prorſus repertura ſint fidem; virtusq́; ipſius abſque vllo alio patrocinio per ſe ſatis defenſa conſiſtat: nihilominùs tamen nos innocentiæ, & veritatis amore ducti, contra calumniatores eiuſmodi in hac communi patriæ noſtræ calamitate pro innata mentiendi libidine, & inuidiâ quidlibet audentes, fidelem hunc Eccleſiæ Catholicæ propugnatorem noſtro etiam teſtimonio ab his mendacijs ex officio vindicandum eſſe duximus. Quum itaque ab annis prope viginti, quibus & Ingolſtadij, & Dilingæ Philoſophiam, ac Theologiam magnâ diligentiâ docuit, atque Illuſtriſſimi, Reuerendiſſimi ac Clementiſſimi Principis noſtri Confeſſarium egit, vitam actionesq́; Religioſi huius Doctoris ſatis perſpexerimus, ex ijs nihil aliud, quàm ardens honoris diuini vbique promouendi ſtudium, flagrantem*

grantem animarum ex hæreſi & peccatis ad ſalutem reducendarum zelum: impigerrimum in aduersâ ſemper valetudine ſcribendi laborem; temperantiam; virtutes denique eas, quæ Religioſum Societatis Ieſu decent, ſemper aduertimus. Quocirca manifeſtum eſt, crimina, quæ infamis Calumniator ſub laruâ Alphonſi de Vargas contra innocentem hunc Societatis Ieſu Doctorem impiè comminiſcitur, nonniſi apud eos, qui innocentiæ hoſtes ſunt, fidem eſſe repertura; quæ omnia nos pro diriſſimis figmentis, libidinoſis mendacijs, & impudentiſſimis calumnijs grauiſſimâ pœnâ multandis habenda eſſe ducimus, & hac noſtrâ publicâ atteſtatione talia pronuntiamus, omnes ac ſingulos ex officio obteſtantes, vt huic tam impudenti criminatori in innocentiſſimi cuiuſque famam graſſanti aures non præbere, ſed memorati Patris innocentiam, vt Chriſtiana caritas, æquitasq; poſtulat, iuxta veritatem, veluti æquiſſimi æſtimatores iudicare velint. In quorum omnium fidem has literas Officij noſtri ſigillo, & propria manus ſubſcriptione munitas fieri curauimus. Auguſtæ die XX. *Octobris Anno* CIↃIↃCXXXVI.

Gaſpar Zeiller D.

Georgius Fauler Reu^mi^ Epiſcopi Auguſtani Fiſcalis, & Conſiſtorij eiuſdem iuratus Notarius in fidem ſubſcriptorum ſubſcripſit.

Num. 84. *Calumnia inflata à Scioppio, diſrumpitur.*

Iam te percontor, Scioppi, qui venalem calamum, ac vocem in quæſtum conferre ſoles, quid peculij demum ex tuâ iſtâ Foreri traductione tam

propudioſâ confeceris, aut corraſeris? Nempe vt candida eiuſdem Foreri innocentia, virtusque ſingularis tua inter opprobramenta nitidiùs ſplendeſcat, tuaque mentiendi inſignita nequitia exaduerſum ſapientiſſimorum, & grauiſſimorum hominum ſtylis acriùs pro meritis confodiatur. Quàm improſperè enim tua obtrectandi amentia tibi expetiuit? quàm infauſtâ ſcæuâ Forerum, virum tantum, inſulſe Mome, aggreſſus es? Aut ego vehementer fallor, aut certè tu hinc pedem, niſi fuſtuario liberaliter pinſitus, non efferes. Cædò ſcapulas improbe, & probè vapula Auſus es viro innocentiſſimo affingere complura piacula. Sed meræ, impudenteſque calumniæ tuæ dumtaxat ſunt. Obmuteſce. Ampliſſimorum hominum genuina teſtificatio eſt. Ineptiſſima ſunt. Comprime os. Latâ publicâ ſententiâ damnatus es. Falſa & libidinoſa mendacia ſunt, quæ honeſtas aures horrore perfundunt. Noli obluctari. Aureum ſollertis Doctoris reſponſum eſt. Infamis calumniator es, tot flagitia ad integerrimum Dei Sacerdotem dedecorandum impiè commentus es. Caue, hiſcas. Prudentiſſimi Theologi oraculum eſt.

Num. 85. *Scioppius ſilet de ſui in Forerum odij causâ.*

Quid ſi iam, Scioppi, non ſolùm aliorum teſtimonijs, ſed tuo quoque ſuffragio Forerum abſoluo, teque ipſum nefariæ calumniæ condemno; illius innocentiam, tuamque iuxta malignitatem palàm demonſtro? Quæro ex te. Cur Forerum ex inopinato tam atrociter, atque inhumaniter criminatus es? quid bonus ille ſenex in te vnquam deliquit? In malam crucem, inquies, abi hinc dierecte: faceſſe cum tuâ iſtâ intempeſtiuâ

quæ-

quæſtione: Dieſpiter tibi oculum vtrumque, qui in quærendo tam malè oculatus es, excludat. At cur, rogo, tibi hæc rogatiuncula adeò inaceſcit? quid excandeſcis? Quid excandeſco? quia extra circulum ſaltas, quia quæ ad rem non pertinent, ſciſcitaris; Bonas hic ego preces te precor, Scioppi. Per tuam Stoicam diſciplinam te obteſtor, vt commotos furoris ac rabidi oris fluctus componas paululùm. Patientes aures tantillùm indulge. Si aliena deinde, ſi abſona interrogauero, tum me ad agnatos, gentileſque deducito; tum in Anticyram deferendum, elleboroque largiter potionandum curato. Poſſúmne igitur, te propitio, propoſitam vrgere quæſtionem? Vrge in malam peſtem, malumque cruciatum. Saltantem ſuem ridibundus ſpectabo. Bene eſt. Cur obſecro, *Comes* Illuſtriſſime, Forerum virum probum tam immiti calamo es inſectatus? cur? an non ille annis compluribus tibi intimâ familiaritate coniunctus fuit? fuit. An non ab eo beneficijs non leuibus ſæpe deuinctus es? inficiari non potes. An non eum doctiſſimum Societatis Ieſu Theologum eo in libro, quem *Fundamenta pacis* inſcripſiſti, diſertiſſimè appellâſti? fateor. An non illum de Eccleſiâ Dei optimè meritum in nonnullis tuis libellis anno CIↃIↃCXXXI. & CIↃIↃCXXXII. poſt vltima Comitia Cæſarea Ratiſponæ habita Auguſtæ Vindelicorum typo impreſſis, *a* nec non in priuatis literis non ſemel teſtatus es? concedo. An non eum his, atque alijs nominibus ita coluiſti, vt quis amicorum magis, quàm tu, fidam cum illo Societatem coïuerit, amicitiamque arctiorem conglutinârit, ne tu ipſe quidem dignoſcas? Nihil poteſt eſſe veriùs; nam idcirco ego quoque in meâ *Relatione*, *b* quam Alphonſo de Vargas

 attribui,

a *Refert Forerus in Appendice pag.* 476.
b *Cap.* 10. *pag.* 30.

attribui, non ſolùm me eius amicum profeſſus ſum, ſed talem etiam, qui *animam* meam ei *tradiderim.* Nónne hoc ipſo amicitiæ nomine, tametſi aliàs & Societatem noſtram generatim, & aliquos Ieſuitarum nominatim tum in *Actione Perduellionis*, tum in *Anatomiâ,* tum in *Flagello Ieſuitico,* tum in alijs famoſis libellis contumelioſiſſimè exagitâſti; nihilominùs Forero ſemper peperciſti, ſemper inculpatum ſilentio præterîſti, ſemper diſſimulâſti? Confeſſa res eſt. Cur igitur totus deinde mutatus ab illo, in eundem Forerum, tam hoſtilem impreſſionem ex inſperato feciſti? cur diſſutâ extemplo omni amicitiâ, implacabiles ſimultates cum illo exercuiſti? cur in eâdem tuâ *Relatione Vargianâ* primùm in eundem omni conuiciorum genere, quum in præteritis tuis lœdorijs illum omnino intactum reliquiſſes, an. CIↃIↃCXXXV. furere cœpiſti? Scioppi, te appello, te colloquor: quid ita ex tranſuerſo in hominem antehac amiciſſimum tam ferociter incurriſti? te conuenio, reſponde Quid corrugas frontem? quid tergum vertis? vno verbo expedi. Cur cariſſimum olim tibi caput repentè, & adeò impotenter inuaſiſti? Incaſſum ſententiã, frontis tegumentis inuoluis. Addam ego operam, teque hac curâ liberabo.

Num 86. *Scioppius odit Forerum propter Apologias in ſeſe conſcriptas.*

Nunc mihi tuæ fraudes, Scioppi, nunc tuæ fallaciæ lumbifragio exoſſandæ ſunt. Scilicet vbi Forerus Societatem Ieſu, & Ieſuitas editis Apologeticis, *Antimelandro, Antanatomia,* atque *Mantiſſa,* à tuis virulentis Satyris tegere ingreſſus eſt; vbi tua calumniarum monſtra, quæ in tot famoſis libellis, tam multiplicibus variata figuris ſubdolè conformâſti, ab illo funditus exenterata vidiſti; vbi

vbi Ordinis noſtri decus tuis ab vnguibus, ac dentibus, fœda, feralisque Harpyia, eiuſdem ope aſſertum, ſuoque nitori reſtitutum animaduertiſti; illico odio incitatiſſimo in eundem exarſiſti; illico vetera amicitiæ fœdera aboleuiſti; illico vlciſcendi ſæua conſilia ſuſcepiſti; illico virum compertiſſimæ integritatis ſpiſſo, horrendoque conuiciorum, ac ſcelerum agmine, quò illius monumentis in te elucubratis fidem omnem adimeres, obruere conatus es; & quem paulò ante tuâ prædicatione in Cœlum vſque ferebas, mox vt mendacia omnia à te Ieſuitis adlita, illius ſpongiâ penitùs deleta inaudijſti; ceu bipedum nequiſſimum in Latomias, ne dicam in Tartarum, imò in Tartarum quoque, & ſi quid infra Tartarum foret, damnandum, detrudendumque pronunciâſti. Erat ille tibi priùs in tuis familiariſſimis; erat doctiſſimus Societatis Ieſu Theologus; erat ſapientiæ, & Religioſarum virtutum prærogatiuis diues; erat de Chriſti Domini Eccleſiâ optimè meritus. At ſimul atque calumnias tuas Ieſuitis ſtructas iugulare, atque in lucem proferre occœpit; *a* mox, nullo alio commiſſo maleficio, homo vorax, gulæ mancipium, *vir Belial, Cimex fœtidus, incendiarius*, Cacodæmonis diſcipulus, & magus tibi factus eſt. Et quemquámne, Scioppi, tam ſtupidis naribus eſſe putas, quas tot mendaciorum tuorum, & ſycophantiarum, quibus Forerum vitæ Religioſiſſimæ ludum feciſti, nidor intolerandus acriter non perſtringat, ſubitoque non excitet? Cernis iam, opinor, me, quum cauſſam, cur Forero obtrectare inſtitiſti, quærebam, non aberraſſe, nec fuiſſe allucinatum, ſed cuniculos rectâ ad tuas ſubruendas calumnias prudenter egiſſe.

a *In Relatione Vargiana cap.*10.*vſque ad* 16.

Num. 87. *Foreri æquanimitas in perferendo Scioppij odio.*

At liceat nunc mihi pace tuâ, Scioppi, eundem Forerum, dextellam meam, paucis affari. Etſi, vir integerrime, ſapientiâ, religione, virtutibus, libris, ac promeritis ſpectatiſſime, dubitare non poſſum, quin Scioppianis contumelijs, ac probris nihil perturbatus, truces adeò barbaraſque iniurias è reconditâ Euangelij Philoſophiâ ac normâ efferatiſſimo calumniatori liberaliter remiſeris, optimè etiam conſcius, huiuſmodi calumniarum tenebras, conſpicuæ tuæ innocentiæ luminibus obſtruere non poſſe: nihilominùs alia inſuper ratio, non leuis ſanè ponderis, ne Scioppio ob ingeſta in te conuicia iraſcaris, tibi Forere, vim, penè dixi, afferre debet. Vim autem! inquis. Qui credam, quum tu paulò ante docueris, Scioppij iugulum tergumque, ſi diuina ſcita procul habeamus, atque humanis dumtaxat placitis ducamur, huc vſque incolume ſaluumque, minimè futurum fuiſſe? Facilè dabis, Forere, manus, ſi memineris, ſontes ac facinoroſos nebulones, quum equuleo, fidiculis, igne, vel ductario fune cruciantur, impune prope quæcunque turpitudinum dehoneſtamenta in iudices ipſos, ac tortores euomere, quos videlicet humanitas cunctis nobis inſita ita inſtituit, vt ea omnia probra tormentorum potiùs inhumanitati, ac violentiæ, quàm voluntati imputanda, ac proinde extra noxiam quoque ponenda, ſibi perſuadeant; ſat gnari, nil labis ſibi, vel dedecoris inde adſpergendum. Nunc quò meam hanc ſermocinationem collineem, perſpicuè intelligis, vir ſollertiſſime. Nam tua Apologetica pro Societate noſtrâ, ac Ieſuitis in Scioppium ſcripta, *Antimelander, Antanatomia, Mantiſſa, Proteus Grammaticus*, reapſe quid

ſunt.

ſunt, niſi equulei, fidiculæ, cippi, manicæ, gabuli, tunicæ moleſtæ, catuli ferrei? His tu veſanum, ſeditioſumque obtrectatorem, actis in diuerſum pedibus, diſtraxiſti; his omnes illius calumnias diuaricâſti; his cuncta eius mendacia euiſcerâſti; his vniuerſas illius technas, ac ſutelas diſplicâſti; his crura eiuſdem dolis ac fraudibus ſuffregiſti, his ſacri capitis nocentes artes, & præſtigias in crucem egiſti. Quid mirum igitur, ſi veterator infelix, perditusque Grammaticus, tot diſcruciatus ſupplicijs, adeò acerbis diuulſus doloribus, tam luculentis obſitus plagis, ita deſperanter vociferatur? ſi luxatus, ringitur? ſi diuaricatus, baubatur? ſi diſcerptus, execratur? Hinc ſcilicet tot fœda opprobramenta ab eo in te eructata; hinc tot infandæ fabulæ ab illo in te vulgatæ; hinc tot infames conuiciorum manipuli ab eodem in te congeſti. Sed tu vir humaniſſime, pro tuâ ſapientiâ, æqui bonique conſule. Nempe cruciarius ille, ac furcifer, tuorum Apologeticorum equuleis, fidiculis, laminis immane quantum torquetur, differtur, vritur. Immanitas ergo tormentorum, ac dolorum, ſceleris impunitatem à tuâ impetret lenitate, neque tibi graue ſit, ſi acerrimè tortus, in tortorem inſanit, ac furit, præſertim quum certum tibi omnino ſit, te hinc nihil planè affligi, aut lædi. Quin habeo perſpectum, te in Scioppium animo tam compoſito, & pacato hactenus ſemper fuiſſe, vt tuo priuato nomine ne hilum quidem impotenti rabulæ ſuccenſueris, calamum etiam in eum nunquam ſtricturus, niſi publici boni ratio, officiumque caritatis te impuliſſet.

Num 88. *Scioppius aduerſus allata teſtimonia hiſcere non audet.*

Quibus cum Forero haud ægrè tranſactis, ad te redeo, Scioppi, teque interrogo, an tot verberibus, & ſupplicijs tam malè acceptus, iam tandem tuo malo didiceris, tuas calumnias, & mendacia, illa etiam, quæ ſingularium figmentorum appoſitione ſtatuminare ac tegere connixus es, in Solem meridianum extracta eſſe, ac penitus eliſa? eo etiam manifeſtiùs, quo illa omnia de Societatis noſtræ, noſtrorumque innocentiâ locupletiſſima teſtimonia tum Senatûs Oenipontani, ac Religioſorum Ordinum eiuſdem Vrbis, tum Conſiliariorum, & Vicarij Generalis Auguſtani Præſulis, & Principis, tum Matthæi Greutteri ſuprà allata, etiamſi Forerus ea tibi in *Antanatomia, ſect.* 3. in *Proteo Grammatico* pag. 280. & in *Appendice* eiuſdem *Protei*, pag. 481. iam pridem obiectauit, ne verbo quidem negare, vel infirmare auſus es.

Num. 89. *Alia Scioppij calumnia, de penuriâ eruditorum, per Societatem exortâ.*

Iam quid prætereà fabuloſitatis in Ieſuitas conſuere nôſti, Scioppi? In tuo *Arcanorum Dædalo* pag. 148. ais, illorum culpâ fieri, *vt vix quemquam hodie, niſi mediocriter in literis verſatum, longeq; Corradis, Robortellis, Sigonijs* &c *inferiorem in Italia poſſis oſtendere.* O fulmen triſulcum, atque ineluctabile! fallor. Si tuam, Scioppi, Grammaticam Philoſophicam, & Rudimenta Ieſuitæ ad ſua literaria Gymnaſia, cæterique in Italiâ Magiſtri ſuos ad ludos admiſiſſent, iam ipſa Italia tota viris longè doctiſſimis, ac, ſupra omnes Corrados, Robortellos, Sigonios, ſuppares, ſcientiâ atque eruditione

clariſſi-

clariſſimis redundaret : ſed quia tua illa Grammatica, ac Rudimenta ab Italâ gente deſpiciuntur, ac velut integumenta ſcombris, & rhombis deſtinata, in angulis iacent, ſordentque; Pallas ipſa, atque Mercurius Italæ terræ irati, tam maligno hominum copioſâ doctrinâ excultorum prouentu, tantâque ſterilitate eam hodie in Ieſuitarum odium meritò damnant. Habeo tibi gratias, Scioppi, quod me adeò inexpiabilem Ieſuitarum improbitatem, quam hactenus ignoraui, tam ſubtiliter docuiſti. O nos mortalium omnium truculentiſſimos! cunctos penè viros ab interioribus literis, ingenuiſque artibus inſtructiores in Italiâ, Scioppianâ Grammaticâ relegatâ, de medio ſuſtulimus. Prô nefas ingens, immane, horrendum! Sed quibus tu cum vetulis, aut puſionibus has blatis nugas, vt deliria tam ridicula eos venerationi ſtatim habituros exiſtimes!

Num. 90. *Culpa, quæ præſentiam exigit, abſenti adſcribi non debet.*

Quàm multæ enim in Italiâ, mi nugiuende, Vrbes ſunt, in quibus hodie nulla Societati noſtræ domus, nullum Collegium eſt? Quære in totâ Ampliſſimæ Reipublicæ Venetæ regione, quære in toto Vrbinate Principatu, quære Piſis, quære Lucæ, quære Fulgini, Cæſenæ, Laude Pompeiâ, Vigleuani, Derthonæ, Sarzanæ; quære in alijs quàm plurimis Oppidis Hetruriæ, Æmyliæ, Inſubriæ, Regni Neapolitani, Siciliæ, nec non reliquarum Regionum; nullumque in his, ne tenue quidem hoſpitium noſtrorum hominum proprium reperies. Iam ſi iſtis ex Vrbibus, Oppidiſque, à quibus Societas noſtra abeſt, viri in præſentiâ minùs eruditi, ac perpoliti, quàm olim prodeunt; quæ obſecro, Scioppi, culpa Ieſuitis, qui ſcholas illic vel

nunquam habuerunt, vel iam à multis annis non habent, neqne ibi commercij quicquam vel negotij exercent, hærere poteſt? nulla prorſus, niſi fortè, quòd Æthiopes etiam criſpo ſint crine, atrâque cute naſcantur; quòd Thraces præ ſtupiditate, vt memorat Ariſtoteles, *a* ſupra quatuor numerare neſciant; quòd Athenis in quibuſdam ædibus omnes, qui edebantur in lucem, ſtulti, atque in alijs, ſtolidi omnes atque imperiti, vt tradit Plinius, *b* deprehenderentur, tu pro tuâ ſummâ æquitate, ac Tranſtiberinâ ſapientiâ Ieſuitas præcipuè criminandos autumas; quâ de amentiâ ſi tecum pluribus diſputem, næ ipſe quoque inſignitè deſipiam.

a *In Problem. ſect. 15. num. 3.* b *Lib. 19. cap. 2.*

Num. 91. *Ipſe Scioppius, Ieſuitarum diſcipulos laudat.*

Verùm age, Scioppi, fac Ieſuitas vbique in Italiâ diuerſari. Túne tot ac tantis viris in eâdem Italiâ quà omni doctrinarum genere, quà diuite literarum gazâ, etiam poſt exortam noſtram Societatem, abundantibus grauiſſimam iniuriam inferre audeas, vt vix quemquam eorum, plebi literatorum, per Ieſuitarum ſtropham, exemptum arbitreris? Et tam impudentis calumniæ nullus te pudor capit? quæ, rogo, mentiendi impudentia ſit, ſi hæc non eſt? Mentiar ego, ſi teipſum (vt cæteras omnes veritatis vindicias hîc prætermittam) mendacij tui carnificem, ac tortorem agere non cogo. Quid enim? Quàm multos tu ipſe, Locutuleie præceps, Italici nominis viros apprime eruditos, in tuæ Grammaticæ præfatione *a* enumeras, præclariſque exornas præconijs? Nónne Virginium Cæſarinum, Ieſuitarum olim diſcipulum, inter primos celebras, eumque *Literarum verè Phœnicem, & omnis*

a *Pag. 160. & deinceps.*

omnis ſapientiæ, & eruditionis Principem appellas? nónne Scipionem Paſchalium Caſalenſem Epiſcopum, *virum Hebraicè, & Græcè non mediocriter, Latinè præcipuè doctum, & cum primis Italiæ Luminibus numerandum* prædicas? nónne Ioannem Ciampolum *virum cuiuſcunque prædicatione maiorem* pronuncias? nónne Balduinum de Monte Simoncellum *quum genere, tum libris Latino, & Hetruſco ſermone cum doctiſſimi cuiuſque gratulatione editis illuſtriſſimum* ſcribis? nónne Antonium Salmatiam *ſummum Theologum, nec eorum, qui Græcarum, & Latinarum literarum laude hodie florent, cuiquam ſecundum* decernis? nónne Ludouicum Septalium *non medicinæ tantùm & Philoſophiæ Perpateticæ, in quibus planè regnat, ſed & humaniorum literarum ſcientiâ præcellentem* vocas? nónne Ioſephum Paulum Meronum *ſapientiæ, eloquentiæ, & interioris literaturæ laude optimo cuique ac doctiſſimo laudatiſſimum* aſſeueras? nónne poſtremò ipſummet Vrbanum VIII. Pontificem Maximum, eiuſque fratris filium Franciſcum Barberinum nunc *Cardinalem* Eminentiſſimum *non vulgariter Græcis, & Latinis literis excultum* teſtaris? Quæro iam de te, Scioppi; hi omnes viri ſingulari doctrinæ prærogatiuâ eximij, quo æuo vixerunt? Salomonis, Numæ, Romuli, an Abrahami? nugæ. Tuo omnes adhuc tum ſuperſtites tu ipſe recenſuiſti, cunctoſque ferè noſtrarum quoque ſcholarum quondam alumnos fuiſſe, velis nolis, fatearis, neceſſe eſt. Cuiates verò ſunt? Poloni, Galli, Hiſpani, Græci, Macedones, an Perſæ? fabulæ. Cuncti ex Italâ natione, vt liquet. Scitor prætereà, an tu Corrados, Robertellos, Sigonios alioſque horum æquales tanti æſtimes, vt quos modo viros à te adeò impensè laudatos commemoraui, doctrinâ pares illis inficieris? Non eris, credo, tam excors. Quem enim eorū magis efferas, quàm ſi literis Latinis, & Græcis non vulga-

vulgariter excultum dicas? talem nobis Eminentiſſimum Barberinum exhibuiſti: quàm ſi libris Latino & Hetruſco Sermone cum doctiſſimi cuiuſque gratulatione editis illuſtriſſimum ſtatuas? talem nobis Balduinum de Monte deſcripſiſti: quàm ſi Hebraicè, & Græcè non mediocriter, ſed Latinè præcipuè doctum, & cum primis Italiæ Luminibus numerandum cenſeas? talem nobis Scipionem Paſchalium delineâſti: quàm ſi non Medicinæ tantùm, & Philoſophiæ Peripateticæ, ſed & humaniorum literarum ſcientiâ præcellentem aias? talem nobis Ludouicum Septalium præclarè vendidiſti: quàm ſi eloquentiæ, ſapientiæ, & interioris literaturæ laude optimo cuique, & doctiſſimo laudatiſſimum iudices? talem nobis Paulum Meronem egregiè depinxiſti: quàm ſi ſummum Theologum, tum Græcarum, & Latinarum literarum nitore, nemini eorum, qui hodie florent, ſecundum affirmes? talem nobis Antonium Salmatiam tuâ oratione expreſſiſti: quàm ſi virum cuiuſque prædicatione maiorem reputes? talem nobis Ioannem Ciampolum tuo præconio decorâſti: quàm ſi denique literarum verè Phœnicem, & omnis ſapientiæ, & eruditionis principem in Cœlum tollas? talem nobis Virginium Cæſarinum mirificè reddidiſti. Quàm multa verò, & varia literarum honeſtamenta in hiſce ipſis noſtræ tempeſtatis hominibus à te modo euectis in aſtra, etiam eminent, quibus an illi Corradi, Robortelli, Sigonij, ac ſimiles ornati fuerint, obſcurum eſt, propiuſque longè verò eſt, planè caruiſſe?

Num 92 *Tota Italia eſt etiamnum Viris Doctis referta.*

Quum igitur tot tantique ex Italâ gente viri ſcientiæ ac diſciplinarum gloriâ Corradis, Robortellis,

bortellis, Sigonijs, alijsque eiuſdem pretij hominibus noſtrâ quoque ætate, poſt Societatem Ieſuitarum latè iam propagatam, vel pares omnino, vel etiam maiores, te ipſo teſte, clareſcant; quo pacto concinit, vel cohæret, quod in Arcanorum Dædalo tu fabularis, Ieſuitarum vitio accidere, *vt vix quenquam hodie niſi mediocriter in literis verſatum, longeq́ Corradis, Robortellis, Sigonijs* &c. *inferiorem in Italia poſſis oſtendere?* Nónne hæc mutuò inter ſe pugnant, ac ſeſe perimunt? nónne calumniam tuam palàm reuincunt? nónne tui inſcitiam mendacij patefaciunt? nónne tuimet mendacij carnificem ac tortorem teipſum produnt? Nónne quantâ caput tuum vertigine circumferatur, perſpicuè oſtendunt? Nónne tanto in Societatem noſtram odio conturbari te planum faciunt, vt quæ in vno libro effutiuiſti, quemadmodum Forerus a in loco tibi in os ingerit, in altero haud multò poſt reſorbeas; vel quæ hodie vorâſti, actutum deinde euomas, ac ſæpenumero etiam in eâdem paginâ tecum ipſo flagitiosè prælieris? Quid quod illi ipſi viri florentiſſimi, Cæſarinus, Ciampolus, Simoncellus, Paſchalius, Salmatia, Septalius, Meronus, Barberinus, Vrbanus, quos tu adeò còllaudâſti, è tribus dumtaxat Italiæ Vrbibus, Româ, Mediolano, & Caſale libati ſunt; non verò reliqui omnes, ijſdem in Vrbibus, eiuſdemque literarij cenſus, degentes, enumerati? Quàm ingens præterea agmen hominum liberalibus ſtudijs illuſtrium cum Robortellis, Corradis, & Sigonijs de Laureâ facilè contendentium in tot tamque multis Italiæ præcipuis Vrbibus, Venetijs, Neapoli, Panormi, Meſſanæ, Genuæ, Florentiæ, Bononiæ, Patauij, Piſis, Senis, Veronæ, Brixiæ, in toto Veneto territorio, in totâ Inſubria, in totâ Liguriâ, in tota Æmyliâ, in toto Piceno, in tota Hetruriâ, in totâ Siciliâ, in toto

a *In Proteo cap. 4. pag. 235.*

Regno Neapolitano, in tota Vmbriâ, in toto denique reliquo eiuſdem Italiæ tractu, Ieſuitis etiam in eâ verſantibus, adhuc ſuperat, quod à te penitùs diſſimulatum eſt? Quantò igitur tui mendacij, atque calumniæ enormis fœditas hinc immanior, hinc tetrior, hinc monſtroſior, hinc impudentior conſpicitur?

Num. 93. *Recitata calumnia, ſpecimen reliquarum præbent: & Scioppius, mentiendi artem profitetur.*

Sed quò, Scioppi, feror? quo rapior? mendacia omnia, atque calumnias in Societatem noſtram, & Ieſuitas à te conflata percenſere conor? O me omnium imprudentiſſimum, qui Iſthmum Corinthiacum fodere, Augiæque ſtabulum expurgare, caſſo labore, cogito! Receptui proinde cano, atque ex iam longâ diſſertatione meâ ſpecimen exploratiſſimum cuiuis in manus porrigo, quàm apertè, quàm ſolidè, quàm robuſtè quidquid mendaciorum & calumniarum in noſtrum Ordinem ac viros excogitâſti, retegatur, repellatur, reuerberetur; nec ſolùm illa portenta, quæ ſimul atque cernuntur, illico agnita, ſuâmet lue ac tabo pereunt, de quibus ſuperiore præiudicio multus à me ſermo habitus eſt; ſed ea quoque, quæ fallaci obducta ſpecie fucum incautis proniùs faciunt, omnino mactentur. Quin etiam addo, te mentiendi calumniandiq; non Ieſuitas ſolùm, ſed alios etiam, vt tibi adlubeſcit, fabrum eſſe adeò exercitatum, vt hanc ipſam artem tibi eſſe familiarem, atque in delicijs ſine tergiuerſatione, & candidè nòn ſemel indicaueris. Quod ſi fortè ſenectâ iam ætate tibi excidit, Forero gratias age, qui memoriam tibi commodùm ita refricat. a *Dixit mihi quidam magni*

a *In Mantiſſa ſect. 2 pag. 83.*

gni nominis, & indubitatæ fidei homo Scioppium, de quo antè locuti ſumus, coram quadam Eccleſiaſticâ perſonâ in dignitate conſtitutâ (vt ipſa retulerit) in familiari colloquio, ſponte ſuâ faſſum eſſe, ſe olim aduersùs Ioſephum Scaligerum, & Iſaacum Caſaubonum etiam huiuſmodi telis vſum, & falſa ac planè conficta quædam pro veris, non optimâ fide euulgaſſe: non poſſe tamen ſe huius falſitatis conuinci. Alius etiam nobilis, ac non leuis auctoritatis vir mihi ſignificauit, in Hiſpaniâ, certo quodam loco, aliquot ab hinc annis nulli dubium fuiſſe, quin idem Scioppius ibidem officio conſimili egregiè functus fuerit, quando in Sereniſſimum Iacobum Angliæ Regem infandum ſcriptum, ſub ſpecie Fragmentorum *inter Iſaaci Cauſaboni ſchediaſmata inuentorum, emiſit; ac poſteà neſcio cuius miraculi commento ſemimartyrem ſe venditauit:* quum videlicet laurè atque oppiparè præ linguæ tuæ procacitate vapulaſſes, & tergo ſaltem pœnas luiſſes. Quibus teſtibus vno plures alios vitæ integritate, iudicio, atque doctrinâ præſtantes ego ſuccenturio, quos hîc Mediolani ſyncerè mihi narrantes audiui (&, quando opus erit, nominabo, ac Legitimis etiam Iudicibus ſiſtam) quum immania quædam monſtra in neſcio quem Hæreticum, cui peſtem adornato libro machinabaris, à te torqueri intellexiſſent; moxque ex te, num ea ex æquo vera, ac mira eſſent, quæſiuiſſent; te ingenuè reſpondiſſe, tua ſolùm eſſe commenta, & fabulas, quibus hominem ludificare tibi placuit. Bonum factum, Scioppi, & mirum. Veritas mendaci tuo ex ore ſemel prodit, tuum mentiendi calumniandique ingenium artemque ſimpliciſſimè confeſſa. Ne plura. Quid Ieſuitarum innocentia à mendaciorum & calumniarum artifice ac profeſſore ſibi metuat? quis Lectorum tam hebes ſit, vt ſibi imponi ab eo patiatur? Ita prælio feliciter ego defunctus, &, te etiam inuito, victor, lætus abeo.

§. VI E

§. VII.

Septimum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Gaſparis Scioppij egregia in laudem eiuſdem Societatis, & Ieſuitarum teſtimonia.

Num. 94. *Noua cum Scioppio pugna.*

Contentioſam pugnam Scioppi, longius, quàm rebamur, vt vides, extraximus. Iam vter noſtrum magis delaſſatus ſit, tu maledicendo, an ego retundendo; tu mentiendo, an ego redarguendo; tu vapulando, an ego verberando, tibi definiendum relinquo. Modò animus mihi eſt, placidioribus te conuenire verbis, mollioribusque officijs nouo certaminis genere, tecum dimicare. Hactenus Ieſuitarum mendacem te calumniatorem prodidi, prædicatorem te oſtendam: calumnias tuas, & mendacia acri, vt par erat, ſtylo multaui, ſat ſcio; hic tam amplis laudibus, quibus nos cumulâſti, laudes non ieiunè, nec frigidè remetiar. Neque erit, puto, cur me ingrati animi, hoc quidem nomine, poſtules. Tua promerita, crede, non mihi excident. Spondeo, opiparè donatus, faxo, abibis, Scioppi; faxo, dummodo atra iſta tua ira, quam meis fortè verbis proritatam cauſſaberis, deflagret penitùs.

Num. 95. *Inijciuntur compedes Scioppio*

Quæro enim de te, quum morum cenſuram in omnes Reipubl. Ordines iamdudum inuaſeris; ſi quos viros Chriſti Domini amore, eique obſequendi ſtudio accenſos, rebus omnibus mortalibus valere iuſſis, ſponteque repudiatis, ſuas & voluntates, & mentes Deo, & ſuis moderatoribus

planè

planè addixiſſe; ſi Chriſti gratiâ in voluntariam ſeruitutem aliorum conceſſiſſe; ſi paupertate, atque obedientiâ perpetuo deuinctâ voto, Chriſti inſiſtere veſtigia, tu ipſe pronuntiâſſes; túne, Scioppi, hos eoſdem homines improbos verè cenſere poſſes? Quid ais? poſſéſne? dic. non poſſem. Quid nodum in ſcirpo quæris? ſi Chriſti enim Crucem per fidelem imitationem ij amplexantur, quo pacto ab eâ, dum illam tenent, per flagitia ſe diuellant? Rectè philoſopharis. Quid ſi eorumdem Inſtitutum ab ipſo Deo Auctore profectum non modò ſummoperè vtile, ſed etiam neceſſarium dixiſſes? ſolutúmne tibi ampliùs foret, illud ipſum impactis cornibus in cloacam arietare? minimè. Non ego tam demens ſim, vt tam diſparata in vnum, quod fieri nequit, inſanè cogam. Sapis. Quid ſi ingentes Eccleſiæ Dei, omniq́ue generi humano vtilitates ab ijſdem hominibus allatas, eâque re optimi, ac maximi cuiuſque beneuolentiâ, fauore, & auxilio digniſſimos illos iudicâſſes? eſſétne adhuc tuâ in manu, eoſdem ipſos viros eundem virtutis callem terentes compluribus, ac grauibus onerare delictis? nullo modo. Qui enim ingentes vtilitates Eccleſiæ Dei, omniq́ue generi humano afferant ij, niſi bellum implacabile gerant cum vitijs, Chriſtiq́ue Domini vexilla, ac virtutum trophæa ſtrenuè vbique erigant? Egregiè ratiocinaris. Quid ſi denique ijdem tam expertæ integritatis, atque ſapientiæ tibi viſi fuiſſent, vt illos ad Religioſæ vitæ perfectionem adipiſcendam, nec non ad opimum doctrinarum omnium cenſum comparandum, aliorum Religioſorum Magiſtros ac Duces exiſtimaueris; cumq́ue cœtum, in quo ipſi numerentur, ad Catholicæ fidei Religionem tutandam, & Religionum inſtaurationem diuinitus eſſe excitatum diſertè ſcripſeris? vlláne vel exigua rima, per quam aliquod illorum

ſcelus

ſcelus aut labem introſpiceres, tibi etiamdum ſupereſſet? Nequaquam. Quî enim Catholicæ fidei præſidium aliquis ſit, aliasque Religioſas familias iam collapſas primæuo diſciplinæ nitori reſtituat, quod operoſiſſimum eſt; niſi ipſemet priùs Religioſis virtutibus multò magis floreat? Sibyllæ reſponſum reddis.

Num. 96. *Veritas è Scioppio operosè exprimitur conſultò.*

Verùm etſi hæc omnia, Scioppi, perſpectiſſima cuiuis ſunt, tamen in incerto valde mihi adhuc res ſita eſt, num ex animi tui ſententiâ ea tu prompſeris. Itáne igitur tibi perſuaſum eſt? Ediſſere ingenuè. Imò quàm perſuaſiſſimum. At mihi hanc tuam perſuaſionem nondum perſuades. Obteſtor te per tuas fortunas omnes, per conſcium tuum pectus, vt aperias, num fuco omni ſepoſito, ſyncerè modò loquutus ſis? Et quæ te vexant, inquis, intemperiæ, verbero? nónne ſemel, iterum, tertiò, quæ mea eſſet mens, clarè patefeci? Sed noli, quæſo, Scioppi, indignari; meticuloſus homo ego ſum, & ſuſpicioſioris etiam ingenij, ne quid diſſimulem: adeoque importunæ interrogationi meæ tam multiplici, totiesque repetitæ, quæſo te, ignoſcito. Dásne tandem ſine dolo malo, eos viros, quorum tu virtutem tam multis exaggerâſti, facinoroſos à te appellari non poſſe? Et quo tu œſtro percitus (iam te obſtrepentem exaudio) tam petulanter me ludificas? An non ſæpius palàm teſtatus ſum, eam poteſtatem meis illis præconijs mihimet omnino ereptam? quid vis ampliùs vecors ardelio? Satis tu quidem explicatè, Scioppi; at neque dum mihi è palpitantibus meis præcordijs omnem tu formidinem eiecisti. Noui enim tuas fraudes, noui vafritiam, noui ſtrophas. Scio

te

te multarum figurarum Proteum, expertus ſum te lucifugum, non ſemel memini, tibi mille fallendi artes eſſe, mille tergiuerſandi præſtigias. Quare mirari non debes, ſi tot ego quæſtionibus, tui animi penetrale fodicare non deſino. Intereſt quippe totius controuerſiæ, quæ nobis in præſens eſt, plurimum, quid reapſe tu hic ſentias, diſtinctè antè percipere. Quin tota rei ſumma in hoc planè verſatur. An ergo germanâ fide decernis, quos maximis effers laudibus, à te probris iure dedecorari non poſſe? Decerno, inquis, mente ſimpliciſſimâ. Quoties ad nauſeam id mihi iterandum? At nihil agis adhuc, Scioppi, niſi etiam magnâ voce veriſſimum, pulcherrimumque iuſiurandum iures, quod hoc ætatis nihil hîc ſycophantatus ſis, nullos dolos dolaueris, fallaciam nullam compoſueris, ſed germanè prorſus, intimos quoſque animi receſſus ac ſinus excuſſeris, atque in lucem, nullâ ancipitis dicti relictâ latebrâ, produxeris. Hoc iureiurando vbi tu fidem feceris, tum ego timorem omnem ac ſuſpicionem expectorabo, laudeſque eas, quas tibi pollicitus ſum, in te manipulatim effundam. Quod ſi renuas, à me non tui laudes officij, ſed tuæ ludibria nequitiæ meritò expectato. Lis, ais, facilè dirimenda. Iuſiurandum veritas non auerſatur, ſed amat, atque, vt ipſa emicet, ſponte illud concipit. Itaque, ne aures meas diutiùs, ac moleſtiùs pergas obtundere, age; iuriſiurandi caſtiſſimi ſacramento fidem meam conſtrictam, atque oppigneratam habeto, nihil captionis hîc à me interpoſitum, neque tibi os à me ſublitum, ſed germanum in modum deſtinatò conſtitutum, eos à me ceu perditos agitari iuſtè non poſſe, quos vt virtutem cordi habere ſæpius affirmaui, ita nihil illos deinceps ab eâdem orbitâ deflexiſſe compertum eſt. Nunc vehementer amo te, Scioppi, de tam candidâ tui animi patefactione.

Nunc

Nunc tam illuſtre ingenuitatis tuæ monumentum in cœlum tollo: paulò poſt etiam prolixiùs illud idem laudibus, gratibuſque veneraturus. At has tuas tam honeſtas, præclaraſque voces tuo iureiurando confirmatas, tuoque chirographo obſignatas, ac munitas in tabulas omnino referri, diligentérque aſſeruari iubeo, ne quando eas pro tuâ lùbentiâ reuocare queas; aut ſi reuocare nihilominùs audeas, illico & mendacij, & periurij reus tenearis.

Num. 97. *Scioppius ſuos ſe in laqueos induit.*

Verùm quid egiſti, Scioppi? quò te allici, duciſque permiſiſti? næ tu, qui verſutior es, quàm rota figularis, vetuſque vulpes audis, tuúmmet in laqueum imprudens te induiſti. Iam in tranſennam incautus turdus incidiſti, vel ego certè cornici confixi oculos. Sed reclamas, meque falſum animi ratus, ridenſque, quid laquei, inquis, quid tranſennæ, quid decipuli memoras? Egóne vir tantus deceptus? Tu ipſiſſime. Quî verò aut cur? quia Ieſuitas, quos tam hoſtiliter accuſas, tuo abſoluis calculo. Ego abſoluo? quàm denſa denuò ob oculos tuos glaucoma obiecta eſt? quis tibi adeò ſubdolè obrepit? quis impoſuit? Nemo, Scioppi, nemo, præter te, qui mirificis Societatis Ieſu, ac noſtrorum Sociorum laudibus emodulatis tragulam non in me, ſed in teipſum inieciſti. Tam ampliter enim noſtrum Ordinem hominesque collaudas, vt eos vnà criminari non poſſis; vel ſi nihiloſeciùs crimineris, criminationem ipſe tuam quancunque mendacij, calumniæ, ac malignitatis iiſdem laudibus damnes. Hoc enimuerò tu non abnues. Non abnuam? Imò verò pernego. Ego Ieſuitis palpum obtruſi? ego illorum inſtitutum probaui? ego virtutem extuli? rurſum inſania ſin-

cipur

ciput occupat tuum. Mentiris Ieſuita pro Ieſuitis, nimio tui, tuorumque amore cœcus, fœdiſſimè. Bona verba, quæſo, Scioppi. Nam quòd mendacij notam mihi inuris, facis, vt de tuo ingenio alios fingas; conniueo. Sed ego tum hanc, tum aliam quamcunque maculam, etiam turpiſſimam, quo minùs nomini meo imprimatur, minimè deprecor, niſi luculentiſſima teſtimonia in Societatis noſtræ, ac noſtrorum virorum laudem à te ſcripta, atque æternæ commendata memoriæ iam in medium protulero.

Num. 98. *Obedientia Ieſuitarum laudata per Scioppium.*

Potéſne, Scioppi, negare Ieſuitarum caritatem, paupertatem, atque obedientiam exquiſitiſſimis à te verbis laudatæ? In tuâ *Thaumatologiâ* a quàm magnificè, quàm ſplendidè? *Talis etiam in ijs* (nempe Ieſuitis) *eſt*, inquis, *caritas, qui omnia ſua, quæ vel habent, vel habere poſſent, ſponte ſuâ relinquunt, & ſequuntur Chriſtum, ſiue paupertatem, & obedientiam alicui alteri, vel Chriſti Vicario, vouent, & non modò bonorum externorum dominium, ſeu proprietatem, neque modò corporis ſui poteſtatem in perpetuum eiurant, ſed etiam voluntatem ſuam, &, quod omnium eſt potentiſſimum, mentem & intelligentiam Præpoſito, ſeu Superiori ſuo ſubijciunt, ita vt nihil quicquam velint, niſi quod Præpoſitus iuſſerit, neque niſi quod eidem viſum fuerit, verum eſſe cenſeant; prorſus denique propter Chriſtum ſeipſos abnegant, & corpus, animumq́; in captiuitatem, & ſeruitutem alterius redigunt in obſequium Chriſti* (2. Corinth. 10.) *id eſt, vt Chriſto in miniſtris ſuis loquenti* (2. Corinth. 13.) *non aliter, quàm frugi mancipia, obediant.* Subditque paulò poſt, hanc Ieſuitarum, Deo penitùs deuotorum,

a *Pag.* 47. & 48.

viuendi rationem adeò eſſe operoſam, vt *meritò pro digito Dei, ſiue pro opere omnipotentiæ diuinæ ac miraculo habeatur, quum quis paupertatem, & obedientiam vouet, idq; propter Chriſtum, hoc eſt, quia Chriſtum diligit, & quod amantis eſt, eum imitari, ſiue ſimilis ei fieri auet.*

Num. 99. *Supra communem alijs Religioſis familijs Obedientiam extollit Scioppius Obedientiam Societatis.*

Scio equidem obedientiæ votum Religioſis cunctis Ordinibus eſſe commune. Sed tu eius vſum & conſuetudinem inter Ieſuitas vigere adeò vis, vt nuſpiam magis; ſingulosque eorum ad certam necem pro Chriſto fortiter tolerandam ex Præſidum nutu promptos dilucidè pronuncias, rem cæteris ita arduam, vt pleroſque à Societate noſtrâ capeſſendâ eapropter maximè abſterreri & ſentias, & notum etiam vel lippis exiſtimes. Quorum omnium memoriam ſi tu fortè depoſuiſti, tuiſmet ego verbis ipſiſſimis faciam modò, vt eorum tibi veniat in mentem. *Haud vidi magis obedientes* (inquis in tuo Eccleſiaſtico a) *quàm Ieſuitas: quum obedientia ſit illud, quo plerique Societatis eius inſtitutum præ cæteris Religioſorum, & Monachorum Sodalitatibus alioquin adamantes, ab eius ingreſſu abſterreri ſolent. Eamq; rem lippi & tonſores nôrunt: neque ipſe Rex Angliæ neſcit, ſi quis Ieſuita ſiue à Pontifice, ſiue à Præpoſito ſuo in Angliam proficiſci iubeatur, eum ex voto, quo ſe ad parendum obſtrinxet, ac velut ſacramento dicto authorauit, confeſtim illuc ad paratam ſibi necem, mortemq; perſpicuam abiturum.*

Num.

a *Pag.55.*

Num. 100. *Virtutem quoque Ieſuitarum prædicat Scioppius.*

Generatim verò de Ieſuitis, qui in literarum ſtudijs tam multi ſunt, curasq́ue ſuas in proximorum ſalutem haud ſegniter impendunt, quid ais, Scioppi? Ad illa reſpice, quæ in tuo Scaligero Hypobolimæo olim ſic exarâſti: a *Hoc certè toto illo tempore, quo Catholicis ſum aggregatus, in Patribus Societatis illius animaduerti, quod quiſque eſt doctior, & vſu rerum inſtructior, eo ſit melior & humanior.* Omitto hîc lubens alia præconia, quibus tu multorum Ieſuitarum virtutem ſingulatim cohoneſtâſti, infrà fortè commodiùs recitanda.

a *Pag.*247.

Num. 101. *Societatis Ieſu inſtitutum celebratur à Scioppio.*

Nunc quoniam, quam in ſententiam de Societatis noſtræ hominibus diſcedas, ſat pulchrè calleo; quid de eiuſdem Societatis inſtituto cenſeas, ex te audire cupio. Nónne id Chriſtianæ Reipub. quum frugiferum, tum neceſſarium, Deo ipſo Auctore coagmentatum, omniumq́ue virorum & optimorum, & maximorum beneuolentiâ, fauore, auxilioq́ue digniſſimum expreſsè ſtatuis? Nullius verbis, niſi tuis, Scioppi, credito. Recognoſce, quæ in tuo *Amphotidum Scioppianarum* a libro iam pridem ſcripſiſti. An non in eo Scioppius à te ipſo laudatus *vniuersè Societatis Ieſu inſtitutum ab ipſo Deo Auctore profectum, totiq́ Reipub. Chriſtianæ non* X 2 *modò*

a *In editione Pariſienſi Anni* 1611. *pag.* 119.

modò ſummoperè vtile, ſed omnino etiam neceſſarium eſſe credit, cui ſi conuenienter viuant, qui Religioſo ſacramento ei ſe obſtrinxerunt, propediem fore confidit, vt ad tibicines mittatur, hæreſisq; leſſus fiat, neque cuiquam ſine ſcelere aliter videri poſſe perſuaſum habet? Inſpice, quæ in tuo *Arcanorum Dædalo* à multò poſt iterum confirmâſti. Nónne illic tua mentis ſenſa ita memoriæ tu ipſe prodidiſti? *Si quiſquam eſt, qui Societatem Ieſu à Diuo Ignico, ſiue Ignatio Loiolâ conditam & conſtitutam, & Apoſtolica Sedis auctoritate confirmatam, ingentes Eccleſiæ Dei, omniq; generi humano vtilitates attuliſſe, eaq; re optimi ac maximi cuiuſque beneuolentiâ, fauore, & auxilio digniſſimam cenſet, in his ego nomen profiteor meum.*

à *Pag.* 204. & 205.

Num. 102. *Fructum populorum per Ieſuitas partum, valde commendat Scioppius, in conciliandis præſertim vel compeſcendis hæreticis.*

Quanto autem cum populorum fructu operam ſuam Eccleſiæ Catholicæ nauent Ieſuitæ, ac proinde ſuo inſtituto conuenienter viuant (quam conditionem in eo *Amphotidum* codice anno ↀↀCXI. à nobis meritò exegiſti) tu ipſe Scioppi, non ſolùm minimè tacuiſti, ſed eximio quoque elogio, atque ad inuidiam vſque mirifico glorioſiſſimè enucleâſti. Quàm inſignitè enim in tuâ *Mulſi fideliâ* anno proximo, nempe ↀↀCXII. Orbi vniuerſo renunciâſti, Societatis noſtræ, hoc eſt, Sociorum noſtrorum eam eſſe prærogatiuam, vt tum ad Catholicam fidem aduersùs Hæreticos ad propugnandam, tum ad aliorum Ordinum Religioſorum mores auitæ diſciplinæ reddendos diuinitus excitati videantur? Lege ſis tuum ſyngraphum,

phum, quod illic Poſteritati à te his totidem verbis mandatum eſt. *a Vidi etiam Ochſenhuſienſe, Weingartenſe, & Salemitanum clariſſima Sueuiæ Monaſteria, quorum Antiſtites præterquàm quod pietate, prudentiâ, & vigilantiâ ſuâ priſcam monaſticæ diſciplinæ perfectionem reduxerunt, etiam literis & Philoſophicis ac Theologicis ſtudijs Fratres ſuos imbuendos curant, vt verè Ambidexteri vocari queant, qui vitâ pariter, & doctrinâ pro Eccleſiâ propugnare, tibiq; ac Patribus tuis, Monachorum inſtitutum calumniantibus ſat eſſe queant. Vidi Dilingæ magnum Monachorum numerum ex varijs Sueuiæ Monaſterijs ad Academiam illam miſſorum, qui auſpicijs atque ductu* SOCIETATIS IESV AD TVTANDAM CATHOLICAE FIDEI VERITATEM, ET RELIGIONVM INSTAVRATIONEM DIVINITVS EXCITATAE, *Humanioribus literis & Philoſophiæ ac Theologiæ ſtrenuè operantur; quos vbi confecto ſtudiorum curriculo Antiſtites ſui reuocauerint, alios in eorum locum ſubmittent, quibus ſimiliter alij, Deo iuuante, deinceps ſuccedent, vt vſque in Hortos Dei, ſiue Monaſteria, ligna felicia, & fructifera transferantur, quæ dent fructum in tempore ſuo, quorumq; folia non defluant.* Pſalmo primo. *Quæ per ſingulos menſes afferant primitiua, quorumq; fructus ſint in cibum, & folia ad medicinam.* Ezech. 37. Quàm porrò induſtriè, fortiterque ijdem Ieſuitæ rem Catholicam ab Hæreticorum vnguibus, inſidijs, machinationibus, peſte & contagione vindicauerint, quis enodatiùs, quàm tu, paucis quidem verbis, ſed longè clariſſimis, ediſſerit? Teſtor hîc tuam illam Epiſtolam, quam Auguſtæ Vindelicorum III Idus Iulij, anno CIↃIↃCXXX. ad Illuſtriſſimum Mottmannum, Romanæ Rotæ tum Auditorem, totâque Germaniâ notum Romam perſcripſiſti, perſcriptamque Illuſtriſſimo Epiſcopo Auguſtano, ac duobus eiuſdem Epiſcopi Conſilia-

a *Pag.* 118 & 119.

rijs, antequam eam obſignares, legendam, vnicâque tantum Hiſpanicæ ceræ guttulâ claudendam porrexiſti, quam & idem Epiſcopus, & ijdem Conſiliarij, quemadmodum P. Laurentius Forerus à ſacris illius Præſulis confeſſionibus, qui & exemplum Epiſtolæ integrum in Protei Grammatici auctario *a* ſyllabatim recitat, fidem facit, humaniſſimè perlegerunt. Hac in Epiſtolâ quàm explanatè, quàm dilucidè, quàm articulatè Catholicæ Religionis in Germaniâ conſeruationem, Ieſuitarum laboribus acceptam referendam confeſſus es? agnoſcíſne ampliùs tuas illas atque has ipſas voces? *Negare tamen nec velim, nec audeam, ipſis* (nempe Ieſuitis, de quibus proximè ante ſermo præceſſit) *poſt Deum hanc deberi gratiam, quod Catholica religio ex vniuerſa Germania exulatum non iuerit.* Quid? in eâdem Epiſtolâ, in quâ de ratione Catholicæ fidei in Vrbes & Prouincias Hæreticorum tum expulſorum, tum expellendorum reducendæ, nec non de bonorum Eccleſiaſticorum ex eorum rapinâ ac manibus ereptorum diſtributione, atque addictione fusè agis, tuamque eâdem de re ſententiam ipſi Summo Pontifici Vrbano VIII. atque Eminentiſſimis Patribus per eundem Mottmannum nunciari cupis; nónne palàm indicas, Germaniæ *Monaſteria* tot Monachis quum probis, tum doctis, Ieſuitarum ope, eâ tempeſtate fuiſſe referta, quot nunquam aliàs à Catholicâ fide illic ſatâ antehac floruerunt; vt propterea alia regna ipſi Germaniæ inuidere meritò poſſint, atque ad hanc religionis procurationem fouendam, augendamque plura Collegia ijſdem Ieſuitis ex recuperatis illis bonis conſtituenda arbitreris? An non enim, vbi Ieſuitis poſt Deum hanc gratiam, quòd Catholica Religio è totâ Germaniâ pulſa non ſit, deberi ſcripſiſti, illico ſubdis: *b Tum hoc quoque*

a *Animaduerſ a pag* 373.

b *Extat apud Forerum in* Proteo Gram. *pag.* 373.

quoque verum eſſe comperio, iam inde ab eo tempore, quo Germania Catholicam fidem ſuſcepit, nunquam tot, tamq; inſignia Monaſteria quum probis, tum egregiè doctis Monachis ita plena fuiſſe, vt hodie in Suevia ſolâ videmus, vnde aliarum quoque Provinciarum ſibi Prælatos, & Antiſtites inſtaurandæ Religioſæ diſciplinæ cauſſâ adſciſcunt, vt hoc nomine alia regna cur Germaniæ inuideant, habere videantur. Optimè proinde fiet, ſi verbi gratiâ ex vno Wirtembergico Monaſterio, cuius annui reditus ſint viginti florenorum millia, quatuor Ieſuitis Collegia conſtituantur, vbi & humanas diuinasq; literas doceant, & quemadmodum Dilingæ feliciter adhuc fecerunt, Monachorum, & Clericorum Eccleſiæ miniſterio deſtinatorum curam gerant. Quæ ipſa in Saxonia, Palatinatu, alijsq; Provincijs ratio ſeruari poterit? &c.

Num. 103. *In erudiendâ iuuentute laus Societatis apud Scioppium.*

Hæc de Societate Ieſu, & Ieſuitis præconia ſanè ampliſſima à te, Scioppi, delata non illiberali equidem plauſu hoc loco proſequerer, niſi infra tempeſtiuiùs ſubductâ eorum omnium ſummâ, gratias tibi prolixè agendas differrem. Interim tu, quæ tua de noſtris literarum gymnaſijs opinio ſit, quæ de noſtro erudiendæ iuuentutis modo ac normâ tibi mens, mihi ne graueris exponere. Cedò mihi eandem tuam Epiſtolam, in quâ non obſcurè innuis, qui palmam adoleſcentum & pietate, & literis initiandorum Ieſuitis auferant, à te penitùs ignorari. Tua verba, quæ expetis, præſto ſunt. *Simul tamen*, inquis, *de Doctoribus cogitandum venit, quorum ſcilicet curâ, & labore quum Sacerdotes ad animarum curam in-*

 formentur,

formentur, tum innumerabilis puerorum numerus pietate, ac literis imbuatur. Ego ſi alios, quàm Patres Societatis Ieſu ei rei nôſſem idoneos, eorum operam non modo adſpernandam, ſed vltro obuijs vlnis complectendam arbitrarer.

Num. 104. *Ratione omnium commodiſſimâ docendi, vtitur Societas ex mente Scioppij quondam.*

Cedò mihi tuarum *Amphotidum Mantiſſam*, in quâ Humaniorum literarum docendarum rationem Ieſuitis vſitatam, etſi omni ex parte non probas, eam tamen eſſe fateris, vt, vbi melior reperiri poſſit, tibi omnino incompertum planiſſimè enuncies, ac quicquid tandem in illâ deſideratur, compluribus alijs emolumentis ab illis exæquari, manifeſtò tradas. Poſcis chirographum? Eccillud. *a Verùm tamen non minima Ieſuitæ cauſſa ſunt, cur Scioppium Eremita ferendum non putet. Nam Scioppius, tametſi Ieſuitarum diſciplinam, quantum quidem ad humanitatis ſtudia, politioremq́ literaturam attinet, non eam eſſe cenſet, quæ aureo fune de cœlo demiſſa videri debeat, quâq́ meliorem homines re potiùs, quàm venditatione eruditi, etiam inter ipſos Ieſuitas inſtituere nequeant (quamuis vbi melior inueniri queat, adhuc ignoret, ac pro ratione rerum humanarum, quæ nihil habet perfectum, omnibusq́ numeris abſolutum, hoc Catone, velut Auguſtus de Cæſare dicere ſolebat, nos contentos eſſe exiſtimet) nequaquam tamen diffitetur, ſi quid ex eâ parte Ieſuitarum inſtitutio claudicat, id Religioſo vitæ ipſorum inſtituto, quo melior temporis pars ipſis aufertur, tribui debere, & ingentibus alijs vtilitatibus cumulatè ab ipſis redimi, quùm multos egregios Sacerdotes, aut alioquin Laicos ad veram pietatem, vitaq́ honeſtatem inſtitutos, quamuis*

a *In Mantiſſâ Amphot. editionis ſecundæ pag* 364.

nis in Plauto, Lucretio, Catullo, Petronio, & Apuleio, minùs verſatos inueniri, multo plus Reipub. Chriſtianæ interſit, quàm meros Burdones, Baudios, & Heinzios ex eorum ſcholis prodire.

Num. 105. *Fructuoſiſſima Societatis opera in ſcholis, laudatur à Scioppio.*

Cedò mihi denique eandem Mantiſſam, in quâ adoleſcentes noſtris in ludis literarijs adeò proficere contendis, vt vel ipſi Ioſepho Scaligero quamuis Criticorum omnium principi eos prægredi apertè decernas. Quod honorificentiſſimè quidem de nobis à te dicitur, ſed à nobis, qui noſtros diſcipulos tanti non æſtimamus, iure reijcitur. Tu nihilominùs illic noſtram ſtudiorum diſciplinam ita maximè collaudas. a *Et tamenſi dirumpant omnes Sodomitæ (Eremitæ, inquam, tametſi alterum illud aliquanto veriùs dixero) nunquam vllum mihi dabunt, non dico Ieſuitam, ſed quemcunque adoleſcentem Ieſuiticâ diſciplina perpolitum, qui tam pudendis ſolœciſmis ac barbariſmis orationem ſuam inficiat, quàm à Burdone factum eſſe Scioppius Hypobolymæi ſui pag.* 181. *& ſeqq. itemq;* 281. *& ſeqq. vſque ad pag.* 241. *ita demonſtrauit, planumq; fecit, vt inuitis, ringentibus, & complorantibus omnibus Baudijs, & Heinzijs, veriſſimè gloriari Ieſuitæ poſſint, ſuam docendarum literarum rationem eius eſſe notæ, vt etiam adoleſcentes ea imbuti, Latinitatis laude illum Criticorum omnium Principem, imò Deum poſt ſe relinquant. Eremita hoc Scioppij de Ieſuitis iudicium adeò concoquere nequit, vt fremat, & indignetur, ac tantùm non ferro, & igne vindicatum velit, quod tot Ieſuitas, velut ſui ſeculi ornamenta, Hypobolimæi pag.*247. *enumerare, ac velut Ioſepho Burdoni opponere auſus fuerit, quum tamen vniuerſa illa Sodalitas nondum cum Triumuiris illis rei*

a *In eadem Mantiſſa pag.*365.

literaria Heinzio, Grotio, Baudio componi meruerit. Hi enim illuſtri fama ſunt, & Orbis terrarum legit ſcripta illorum, quę dulci quodam melle condita, promiſcuas omnium aures ſuauiſſima voluptate afficiunt. Sic enim cenſet Eremita de ſui ſimilibus, hoc eſt, pudoris ac honoris ſui decoctoribus, tametſi Grotium excipi non repugno, quòd nihil adhuc de illo, quale de cæteris fama diſtulerit.

Num. 105. *De tot præconijs, laudes Scioppio rependuntur.*

Hæc atque alia in commendationem quum tam enucleatè tuâ oratione illuſtrâris, Scioppi; docui, opinor, iam ſatis euidenter, Ordinem noſtrum, & Ieſuitas à te ſpecioſiſſimis præconijs (quod tu initio nullo modo in animum poteras inducere) fuiſſe exornatos. Quo tuo de officio non exiguas ſanè, aut tenues laudes, gratiasque à me tibi deberi candidè fateor, easque in pręſens, promiſſi memor, non parcè, maligneque exoluo. Nam quòd virtutum radij, qui è Societate noſtrâ emicabant, tuam oculorum aciem inuidiâ non penitùs extinxerint, ſed grato veritatis colore potiùs recreârint, noſtrique laudes tam multas, tamque magnas tuo è calamo euocârint; tuam equidem primam laudem, ingensque decus autumo, tibique pro eâ grates habeo immortales. Sed longè magis de virtute tu bene meritus es, quòd etiamſi auiti liuoris, atque odij quo in Ieſuitas Hæretici paſſim flagrant impotentiſſimè; ex quo tu eorum è caſtris exceſſiſſe videri voluiſti (quanquam nondum reliquias omnes ac fibras, ne tum quidem, quum tuis nos præconijs cumulabas, eliſeras, aut reuelleras) nihilominùs cæcari te maleuolentiâ omnino, tenebrisque vndique obſideri minimè paſſus fueris; ſed ingenuitatis, ac ſynce-

ritatis adhuc potens, noſtrorum hominum virtutes, dotes ac promerita mirabiliter commendaueris: quod profectò multo ægrius, ac laborioſius eſt. Quid enim? *Societatis Ieſu inſtitutum ab ipſo Deo auctore profectum totiq. Reipub. Chriſtianæ vtile ac neceſſarium* in tuo *Amphotidum* libro, a vt retuli, teſtificatus es? ibidem quoque, certo animi tui à nobis auerſi indicio, addidiſti: *A te non omnes omnium Ieſuitarum actiones probari, neque à te animum induci poſſe, vt Ieſuitis multum, Italis præſertim, & Græcienſibus, blandiaris.* Celebrâſti tuo in Hypobolimæo Socios noſtros, b *quo doctiores, vſuq. rerum inſtructiores,* eo quoque, vt memoraui, *meliores, atque humaniores?* illic etiam ſtatim non ſine abiunctæ à nobis mentis teſſerâ adiecisti, *ſi quis nonnullos Ieſuitarum indoctiores putet, ac proinde inſolentiores; te id non negare, neque dictum velle.* Prædicâſti tuâ in illâ ad Mottmannũ Epiſtolâ, Ieſuitis *poſt Deum hanc deberi gratiam, quòd Catholica Religio ex vniuerſa Germania, exulatum non iuerit?* In eâdem pariter, animi nobis parum amici non dubio argumento, denunciâſti, *ſi alios, quàm Patres Societatis Ieſu, iuuenta pietate & literis imbuenda nôſſes idoneos, eorum operam obuijs vlnis complectendam te arbitrari.* Aſſeuerâſti in tuâ *Amphotidum Mantiſſa*, vt obſeruaui, *politiorem* Ieſuitarum *literaturam ſtudiorumq. diſciplinam* eſſe eiuſmodi, vt *vbi melior inueniri queat,* te planè fugiat? Eodem quoque in loco negâſti eam eſſe talem, *quæ aureo fune de cælo demiſſa videri debeat,* non ſine ſtudij à nobis alienati explorato ſigno. Quaſi verò vllus noſtrum ita arrogans ſtultusque ſit, vt hoc ſomniet, aut neſciat nihil eſſe in humanis, quod ita in ſummum excreſcat, vt non augeri præterea, ac perfici poſſit. Iam quum præclaras illas in nos laudes tam bellè concinnabas, quoniam tot tantiſque áuerſi à nobis

a *Pag.* 129. b *Pag.* 247. c *Pag.* 3. 364.

bis animi, alienati ſtudij, abiunctæque mentis arietibus, vt vidimus, quatiebaris: quantum in te, Scioppi, virtutis robur, ne te expugnari ſineres, fuit? quantus veritatis, ne hanc diſſimulares, amor? quanta honeſtatis, ne hanc vitiares, vis, ac præſidium? Quas ergo tibi laudes, & gratias nunc referam, qui animi valde pendeo, an id muneris à te voluntas Ieſuitis gratificandi, an veritatis adulterandæ pudor extorſerit?

Num 107. *Adhuc officioſiùs grati animi cauſſâ, laudatur Scioppius.*

Cæterùm ſine controuerſiâ multo adhuc benigniùs nobis, Scioppi, feciſti, quum tam multis de Ieſuitarum virtute & gloriâ adornatis elogijs, armamentarium munitiſſimum, vnde telorum, & machinamentorum genus omne ad cuncta tua mendacia, & calumnias in nos poſteà fabricata, mox proterenda, ac profliganda, facile educamus, nobis eâdem operâ inſtruxiſti; nec non arma omnia ex chalybe eo duriora, atque firmiora ſuppeditâſti, quo minus gratiæ in ijs conflandis abs te Ieſuitis datum, tu ipſe ſimul præ te tuliſti; ac ne quis vnquam eos à te adulari ſuſpicaretur, religiosè admodum ſemper cauiſti. Pro quo ſingulari gratoque nobis beneficio vide iam tu, quibus congijs, quibus modijs, quibus medimnis, vtcunque magnis, amplis & laxis, laudes grateſque tibi à me perſolui cupias; tibique certo perſuade, menſuras quaſcunque à me, ne quid à meâ liberalitate deſiderare poſſis, vt lubet, geminandas, triplicandaſque. I nunc, & nega promiſſis meis de te extollendo, remunerandoque fidem locupletem extitiſſe.

Num.

Num. 108 *Scioppius arma Ieſuitis ad ſe iugulandum ſuppeditat.*

Sed ô te, Scioppi, cunctorum hominum imprudentiſſimum! quàm altum in ſcrobem voraginemque es deuolutus? non animaduertis, me tuis iſtis egregijs de Ordine noſtro teſtimonijs ſcutatum, loricatum, haſtatum, cataphractum in aciem aduersùs te procedere? non cernis meis in manibus ſoliferrea, atque falaricas ad tuas omnes calumnias tranſuerberandas de tuis iſtis præconijs coagmentata? non intueris in meo ore, calamoque geſa, lanceas, ſparos, pila, machæras, omniaque miſſilia ad vniuerſas tuas fraudes, mendacia & fallacias confodiendas è tuis elogijs eruta & vibrata? væ tuo capiti! væ iugulo! væ oculis! væ dorſo! væ cruribus! Nunc occiſiſſimus planè es. Subítne tibi recordatio, Ieſuitas à te *inimicos crucis Chriſti, viros Diabolicos, miniſtros & ſocios ſatanæ, ex patre Diabolo ortos, ſanguinarios, ſacrilegos, & ſacrilegiorum ſuaſores,* vt antè palàm feci, *a* fuiſſe appellatos? Iam vapula. Mentiris turpiſſimè. Tuis verbis te macto. Ais hîc apertè Ieſuitas pariter *propter Chriſtum ſeipſos abnegare; corpus, animumq; in captiuitatem alterius redigere in obſequium Chriſti, vt Chriſto in miniſtris ſuis loquenti non aliter, quàm frugi mancipia obediant; Chriſtum imitari, Chriſtum ſequi, eiq; ſe ſubijcere;* idque *pro digito Dei, ſiue pro opere diuinæ omnipotentiæ ac miraculo,* vt ſuprà pateſeci *habendum eſſe.* An qui Chriſto parent, Scioppi, qui Chriſtum ſequuntur, qui Chriſto mancipant, vt Ieſuitæ, teipſo præcone, faciunt; hoc denuum edunt portentoſi miraculi, vt viri *Diabolici,* vt miniſtri, & Socij *Satanæ,* vt ex *Diabolo* patre nati, vt ſanguinarij ſacrilegi, & ſacrilegiorum ſuaſores, quemadmodum tu ſcribis, cenſendi ſint? Mentiris impudentiſſimè, mentiris.

a Suprà §. 5.

Num.109. *De Phariſæorum &c. iniuſtitia, Scioppij in Societatem calumnia.*

Redítne animo, quod ſuprà etiam tibi exprobraui, a Ieſuitarum Societatem à te *Societatem Phariſæorum, Latronum & Sicariorum* eſſe vocatam, additumq́ue, *nullam eſſe Societatem Sicariorum, & Latronum, in qua iuſtitia non plus loci habeat, quàm in Societate Ieſuitarum:* Iam vapula. Mentiris flagitioſiſſimè. Tuis verbis, verbero, te euerbero. Decernis explicatè Societatis noſtræ *inſtitutum ab ipſo Deo Auctore profectum, totiq́; Reipubl non modò ſummoperè vtile, ſed etiam neceſſarium,* vt paulò ante docui. Ergóne Societatis inſtitutum à Deo deriuatũm, Reique publicæ frugiferum, & neceſſarium è Latronum Phariſæorum, ac Sicariorũ monſtris, vt tu vis, conſtat? Mentiris ineptiſſimè, mentiris.

a §.5.

Num.110. *De homicidio, &c. Scioppij in Societatem calumnia.*

Regrederíſne in memoriam, Ieſuitas à te in crimen vocatos, vt ſuprà vidimus, & ex tuâ *Aſtrologia* liquet, a quòd *fraudulentam exerceant paupertatem, Sapphiraq́; exemplo defraudent, & Spiritui ſancto mentiantur;* quòd *homicidij nefas, panem, vitam, & ſanguinem pauperibus præripiendo contrahant;* quodq́ue *ad maiorem Dei gloriam rapinas concupiſcant?* Iam vapula. Mentiris ſceleſtiſſimè. Tuis verbis te conficio. Perſpicuè hîc Ieſuitarum paupertatem & caritatem eo maximè nomine commendâſti, quod *omnia ſua, quæ habent, vel habere poſſent, ſponte ſuâ relinquunt, & ſequuntur Chriſtum,* quodq́ue *bonorum externorum dominium, ſiue pro-*

a *Cap.5. pag.18.* prieta-

prietatem, quin *corporis ſui* quoque *poteſtatem in perpetuum eiurant.* Itáne, qui paupertate & caritate adeò præſtabiles ſunt, vt tu narras; fraudulentiâ, rapinis, pauperumque ſanguine, vt tu item oggannis, execrandi ſint? Mentiris abſurdiſſimè, mentiris.

Num. III. *De Gentilium nomine per Scioppium Ieſuitis tributo.*

Si non *magis obedientes*, Scioppi, quàm Ieſuitas, *vidiſti*, vt túte fateris; ſi præ obedientiæ auſteritate pleroſque Societatis noſtræ adamantes, ab eius ineundæ conſilio, præ cæteris Religioſorum, & Monachorum Sodalitatibus, abſterreri ſoliti ſunt, vt tu refers; ſi id lippis, & tonſoribus notum eſt, vt tu quoque affirmas: quomodo ijdem *à Ieſu, & Ignatij doctrinâ, atque exemplo* adeò *deſciuerunt, vt Gentilium ſiue Phariſæorum nomen multo meliori iure, quàm Chriſtianorum, aut Ieſuitarum in eos conuentat*, vt tu in *Anatomia* calumniaris, a quum perſpectiſſimum ſit, S. Ignatium Chriſti Domini exemplo, qui obedientiæ victima, in arâ crucis Æterno Patri litauit, obedientiam præ reliquis virtutibus & cordi maximè habuiſſe, & ſuis ſummoperè eſſe voluiſſe? Si noſter Ordo *ingentes Eccleſiæ Dei, omniq́ generi humano vtilitates attulit*; *Societasq́ noſtra ad tutandam Catholicæ fidei veritatem, & Religionum inſtaurationem diuinitus excitata eſt*, vt tu hîc ſtatuis: quo, quæſo, pacto affine vero ſit, Ieſuitas, vt in tuâ *Aſtrologia* indignaris, b *ambulare in aſtutia, adulterare verbum Dei*; *nec fidem, nec caritatem Dei habere?* Si inficiari non vis, neque audes Ieſuitis *poſt Deum hanc gratiam deberi, quòd Catholica Religio ex vniuerſa Germaniâ exulatum non iuerit*; vt anteà tuo ex ore audiuimus; qui tandem ijdem Ieſuitæ,

a *Pag.* 76. b *Cap* 3. *pag.* 10. *Cap.* 12. *pag.* 45.

Ieſuitæ, vt illos in eâdem tuâ *Aſtrologia* carpis, a *impedimentum alijs in procuranda aliena ſalute afferunt, & Eccleſiæ Dei plùs, quàm Hæretici nocent?* Si *inde ab eo tempore, quo* Germania *Catholicam fidem ſuſcepit, nunquam tot, & tam inſignia Monaſteria quum probis, tum egregiè doctis Monachis ita plena fuerunt; vt hodie in ſola Sueuia, ductu & auſpicijs Societatis Ieſu, videmus*, quemadmodum tu ipſe pronuncias; quâ, obſecro, ratione in eâdem *Aſtrologia* Ieſuitas criminaris, b quòd *Ordinem S. Benedicti velut inutilem ſuu monaſterijs velint euertere?* Sentíſne igitur, Scioppi, querneâ tuorum verborum clauâ tuum caput pulſari, tuum dorſum tundi, tua crura ſuffringi? viden' inſanas tuas calumnias tuum per guttur fœdè redire? cernis tua mendacia à teipſo palàm refelli, ac reſorberi? ſed vberior adhuc virgindemia te manet: puſillum opperitor; ne dubita, illâ non fruſtraberis.

a *Cap.* 14. *pag.* 54. *Cap.* 19. *pag.* 71. *in margine.*
b *Cap.* 20. *pag.* 75.

Num. 112. *De Actione Perduellionis.*

Attende intereà animum. Nónne vſitatam Societati noſtræ docendi rationem eam reputas, vt nuſquam meliorem reperire iamdudum ante potueris? Ita mihi viſum. Nónne Auctor aliquando fuiſti, *ea vnumquemque meritò contentum eſſe debere*; ac ſi quid tali inſtitutioni deſit, *magnis alijs vtilitatibus redimi?* ſic exiſtimaui. Nónne edixiſti, *à noſtris diſcipulis, ne dum à noſtris Magiſtris, vel ipſum Criticorum omnium Deum Ioſephum Scaligerum Latinitatis laude poſt ſe relinqui?* Vtique. Quid tum? Nónne ſpem inieciſti, vt Ieſuitarum inſtitutum à Deo manaſſe, ac Reipub. Chriſtianæ neceſſarium credebas, ita ſi ei congruenter illi viuerent, *Hæreſi Leſſum propediem fore, neque cuiquam ſine ſcelere aliter*

ter videri poſſe? Eſto. Nónne Societatem noſtram *optimi, & maximi cuiuſque beneuolentia, fauore, & auxilio digniſſimam* es arbitratus? Aſſentior. Nónne adeò frugiferam operam à nobis Eccleſiæ Chriſti nauari iudicâſti, vt propterea ex nonnullis Monaſterijs, quæ olim aliorum Religioſorum Ordinum fuerant, ex Hæreticorum prædâ denuò recipiendis, complura Ieſuitis Collegia conficienda ſanxeris? Negare non poſſum. Quâ fronte igitur *Actionem Perduellionis* in Ieſuitas omnes, ceu ſacra capita certo in hunc finem libello perſcripto, tam atrociter intendis? quâ fronte adeò frequenter cunctos nos velut Reipub. noxioſiſſimos inſtar *Templariorum* internecione delendos in tot tuis famoſis codicibus vociferaris? quâ fronte Principes vniuerſos ad noſtræ familiæ tanquam flagitioſiſſimæ excidium inuitas, animas, impellis, inflammas? Et tam immania tua mendacia ipſo tuorum verborum preſſu crepare ac dirumpi non intelligis? tuiſmet ſtylis tam nefarias calumnias tuas iugulari non perſpicis? tam propudioſo tuo rerum ac verborum diſſidio ceruices cunctis tuis dolis ac fraudibus cædi non intueris? Et neque dum tot ſycophantiarum veniam poſtulas? Quid moram nectis, Scioppi? tergum illico, tergum expedi. Ad flagra putas? Parum eſt. Iam fuſtuario non illiberali ſat donatus es. At dorſum modò tot tantiſquę calumnijs, quibus Ieſuitas, aliosque iniuriâ onerâſti, meritiſſimò oneratum, talionis lege planè æquiſſimâ, laboreque improbiſſimo à te geſtandis, tibi exdorſuandum eſt. Sed caue, ne tanto ſub pondere fatiſcas ſtatim: grauis enim adhuc ſarcina tuis mox imponenda humeris ſupereſt, & præſto eſt.

Num.

Num. 113. *Obedientia cæteris virtutibus ſtipata: Scioppij libelli contra Ieſuitas ſcripti, vno ictu omnes mactantur.*

Nam quum tam nobili obedientiæ prærogatiuâ Ieſuitas inſignitos prædicâſti, an neſcis, eos virtutum omnium choro ſtipatos à te agnitos, ac laudatos? certè obedientia tanto reliquarum comitatu virtutum honeſtata, ſolet incedere, vt non dubitet maximus ſapientiæ myſtes Auguſtinus, a eam *quodammodo matrem omnium cuſtodemq; virtutum* aſſeuerare, illudque magno Gregorio b olim enunciatum oraculum vulgatum iam eſt, hanc ſolam eſſe virtutem, *quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertasq; cuſtodit*: neque immeritò à B. Laurentio tanti æſtimatur, vt exploratam in eâ victoriam ſitam eſſe conſtituat: *Illa enim*, inquit, c *facit hominem triumphare.* Eiuſdemque ſummâ admiratione, atque amore captus inclytus ille Pambo, Anachoretarum Parens, hiſce eximijs præconijs ipſam nobis decorat, & commendat: d *Obedientia ſalus eſt fidelium: obedientia genitrix eſt omnium virtutum, obedientia regni cœleſtis inuentrix eſt: obedientiâ cœlos aperit, & homines de terra eleuat: obedientia cohabitatrix eſt Angelorum: obedientia Sanctorum omnium cibus eſt. Ex hac enim ablactati ſunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.* Quare quum exertiſſimè tu ipſe teſtatus ſis, *magis obedientes*, quàm Ieſuitas, à te minimè viſos, pauciſſimis verbis Ieſuitas virtutum omnium pulcherrimo cinctu, trabeâque chlamydatos, ac paludatos depinxiſti: adeoque non mirum, ſi eiuſmodi viros ad

virtutum

a *Lib. 14. de Ciuit. cap. 12.* b *Lib. 35. Moral. cap. 10.* c *Lib. de ligno vitæ, cap. 3.* d *Lib. 5. in Vitis Patrum, cap. 14.*

virtutum omnium perfectionem, obedientiæ alis bellè volantes, & durâ paupertate exercitos, & excoctâ caritate præferuidos; & mortis pro Catholicâ religione obeundæ candidatos; & Reipub. ſummoperè frugiferos, ac neceſſarios; & Chriſtianæ fidei propugnacula; & aliorum Religioſorum Ordinum reformatores; & optimi cuiuſque ac maximi beneuolentiâ, fauore, atque auxilio digniſſimos, vt iam demonſtraui, affirmatiuè pronuntiâſti. Quibus omnibus conſequens neceſſariò eſt, vt quo iure Societatis noſtræ homines obedientiæ, ac reliquarum virtutum omnium inſtructu ornatos cenſuiſti, eodem pariter & vitæ integros, omniumque ſcelerum puros fateri cogaris. Quid enim vitij, aut quid labis ei hæreat, Scioppi, quem cunctarum virtutum promum condum tu ipſe innuiſti? Hinc ego rurſum macheram vtrâque manu altiùs tollens, fortiuſque tuum in caput librans, famoſos tuos libellos in Societatem noſtram emiſſos vno ictu omnes perimo, funditusque perdo. Nam quid tu ſordis, aut piaculi ex iiſdem libellis ad nos dehoneſtandos proferre potes in medium, quod tuorum verborum ſpongiâ illico non repellatur, ac deleatur? Quid fremis, Scioppi? quid vitio nobis vertis? Quid criminaris? Sunt illa omnia mendacia cumulata mendacijs, calumniæ exaggeratæ calumnijs, de tuo maledicendi ingenio ſceleſtè deprompta; tuque ipſe eorundem mendaciorum, & calumniarum iudicem, carnificemque vltro te præſtas, dum ſingula illa, & cuncta flagitia ijs affingi abs te, inficiari non potes, quos tu quouis crimine omnino innoxios prædicâſti.

Num. 114. *Exceptio Scioppij de Ieſuitis in peius lapſis.*

Hui quàm ſtupidum, inquies, cunctorumque puſionum ſannis multandum Dialecticum te prodis, de præterito tempore ad præſens, quaſi verò plurima inter os & offam non caderent, ineptè tranſiliens, abſurdeque colligens: Ieſuitas ſuperioribus annis innocentes laudâſti. Igitur innocentes adhuc ſunt, neque à te modò vituperari poſſunt. Quâ ratiocinandi ſubtilitate nullo negotio etiam euinces, Iudam Iſcarioten, quia aliquando inſons inter Apoſtolos numeratus fuit, violatæ poſteà fidei, deditique per infandum nefas Domini ſui immeritò ab Euangelij præconibus, ac Patribus argui, damnarique. Quæ ratio philoſophandi tam impia haud aliter, quàm ſacrorum Quæſitorum igne expianda eſt. Ego toto cœlo hac amentiâ diſcedo. Ieſuitas, quum S. Ignatij inſtitutionibus congruentes vixerunt, ſyncerè, & meritò celebraui: deinde vbi ab illis deſciuerunt, iure exagitaui. Quo officio quid æquius, aut ſanctius?

Num. 115. *Exceptio Scioppij eliditur.*

Iam enimuerò, Scioppi, expectationem meam longo interuallo ſuperâſti. Neque enim adeò te in Logicorum adyta, vt cerno, te penetrâſſe putâram. Nos verò fungi inertes, & talpæ, quibus adire Corinthum, atque eo vſque appellere non licuit. Cæterùm cui Dialecticorum leges magis antiquæ ſint, tibi, an mihi, age, periclitemur. Quis, rogo, de grege venalium arreptus Cappadox, tam plumbeus, & bardus ſit, qui tuis illis in libellis probroſis extemplo non animaduertat, à te vnâ eâdemque falce non ſolùm hodiernos Ieſuitas,

ſed

ſed priſcos quoque ac veteres cædi? ipſum quoque Ordinis noſtri Conditorem S. Ignatium, tum noſtras *Conſtitutiones*, & Regulas à te, vt in meo *Lydio* Lapide *part. 2. cap. 6. & 8.* planè reuici, ſugillari? omnes prorſus tam antiquos & priores, quàm recentiores, & poſteriores, qui ad illarum præſcriptum vitam exigunt, à te pulſari? Deinde quum apertum, dirumque bellum Societati noſtræ, ac Socijs noſtris anno CIↃIↃCXXXII. *Actione Perduellionis* in publicum propoſitâ, indicere primùm cœperis; an ex omni memoriâ iam tibi euulſa ſunt, quæ ſub idem ferè tempus biennio ante, ad Iulij Idus anni CIↃIↃCXXX. in Epiſtolâ ad Motemannum, vt ſuprà narrauimus, exarâſti, in quâ tam ſeriò teſtatus es, Ieſuitis *poſt Deum hanc deberi gratiam, quòd Catholica Religio ex vniuerſa Germania exulatum non iuerit?* Meminiſtíne in eâdem Epiſtolâ, tibi compertum fateri te *iam inde ab eo tempore, quo Germania Catholicam fidem ſuſcepit, nunquam tot tamque inſignia Monaſteria quum probis, tum egregiè doctis Monachis ita plena fuiſſe, vt hodie in Sueuia ſola videmus*, idque ductu & auſpicijs, Societatis Ieſu, vt disertè tum ibi, tum in tuâ *Mulſi Fidelia* dixiſti; ac proinde optimè futurum, vt mox in eâdem Epiſtolâ ſubdis, ſi ex varijs *Monaſterijs* è rapacibus Hæreticorum manibus in libertatem aſſertis, complura Ieſuitis Collegia conſtituerentur? Veniſtíne iam in obliuionem eorum, quæ anno CIↃIↃCXXXV. tuo *Arcanorum Dædalo* enuncianda dediſti, *Societatem Ieſu ab Ignatio Loyola conditam ingentes Eccleſiæ Dei, omniq; generi humano vtilitates attuliſſe, eaq; re optimi, ac maximi cuiuſque beneuolentia, fauore, & auxilio digniſſimam à te cenſeri*, vt anteà non ſemel memorauimus? Iam quo te vertis, Scioppi? ad veteres Ieſuitas, quos ſolos à te laudatos pertendas? Mentiris euidenter, nam tuæ Satyræ nos omnes omnino corripiunt, neque

illis,

illis, vt indicaui, parcunt. Ergo quum nihilominùs eos ipſos priſcos, quibus etiam tuum genuinum infixiſti, tam copioſè dilaudes, tu ipſemet Iudex & carnifex, tuas obtrectationes mendaciorum & calumniarum conuincis, atque in crucem agis. Ad Socios hodiernos Ieſuitas tuas criminationes pertinere vis? Iterum mentiris, quum ad ſuperiores quoque, vt explicaui, eas porrexeris. Sed eſto hodiernos tantummodò perſtringant: rurſum tamen mentiris, quia ampliſſimis tuis decretis, & ijs quidem, quæ illis ipſis tuis opprobramentis coætanea ſunt, vt planum feci, eaſdem tuas criminationes expungis, ac penitùs obteris.

Num. 116. *Scioppius non probat, Ieſuitas deteriores euaſiſſe.*

Sed collato magis adhuc pede, Scioppi, mutuò certemus. Ais Ieſuitas, quos ante annum CIƆIƆCXXXII. in aſtra extuleras, poſteà exuiſſe priſtinos mores, & longè teterrimos euaſiſſe. At ego mentiri te, aio planiſſimè, teque in deteriùs, non Ieſuitas, lapſum eſſe. Fateor ſanè, quum ſæpius Ieſuitarum opera honorificâ oratione verè tu commendaueris; deinde tam atroci obiurgatione culpaueris; alterutrum prorſus ineluctabile, vel te immutatum, vel Ieſuitas. Tu hanc nobis dicam impingis, ego tibi. Cui fides habenda? ei, qui fecerit, in confeſſo eſt. Nos te nullum in crimen anteà vocauimus. Tu prior tot infandis editis libellis dedecorare nos ſtuduiſti, ſed nullam fidem ijs, vt ego hactenus tot præiudicijs generatim, & Forerus noſter tot Apologeticis ſpeciatim patefecimus, adhibuiſti. Neq: nos ab anterioribus Ieſuitis degeneràſſe probàſti. Ergo hoc ipſo ſatis apertè docuiſti, non Ieſuitas, ſed te à priore normâ deflexiſſe, atque ad peiora etiam vitia tranſcurriſſe.

Num.

Num. 117. *Nemo hominum ex optimo repentè in peſſimum abit.*

Nequaquam, inquis. Ieſuitæ à ſeipſis diſceſſerunt, non ego à meipſo. At quo demum pacto, Scioppi, id cuiquam perſuades? Nónne anno cIↃIↃCXXX. ſub Idus Iulij in ſæpius appellatâ illâ ad Mottmannum Epiſtolâ, in quâ, quid de Ieſuitis ſentias, ad ipſum Pontificem Maximum, atque Eminentiſſimos *Cardinales* referre vnà cum reliquis, de quibus ibi diſſeris, nominatim poſtulas, iidem Ieſuitæ à te adeò laudibus in cœlum elati ſunt, vt negare neque velis, neque audeas, *ipſis poſt Deum hanc deberi gratiam, quòd Catholica Religio ex vniuerſa Germania exulatum non iuerit?* omnino. Vt non obſcurè ſignifices, eoſdem aliorum Religioſorum Ordinum, quemadmodum etiam in tuâ *Mulſi Fidelia* enucleatiùs affirmas, reductores & reformatores eſſe adeò præclaros, vt *iam inde ab eo tempore, quo Germania Catholicam fidem ſuſcepit, nunquam tot, tamq; inſignia Monaſteria quum probis, tum egregiè doctis Monachis ita plena fuerint, vt hodie in Sueuia ſola videmus, vnde aliarum quoque Prouinciarum ſibi Prælatos, & Antiſtites inſtauranda religioſa diſciplinæ cauſſâ adſciſcunt, vt hoc nomine alia regna, cur Germaniæ inuideant, habere videantur;* Ita ſanè. Vt propterea ad Catholicam fidem in prouincijs ab Hæreticorum oppreſſione vindicatis propagandam id ſolùm, vnicumque conſilium ineundum exiſtimes, vt ex pluribus *Monaſterijs* recuperatis varia Collegia Ieſuitis conſtituantur, ac diuerſa etiam Seminaria magno Alumnorum numero ſuſtentanda, & quum pietate, tum literis ab iiſdem Ieſuitis imbuenda ferantur? Nullus dubito. Hæc igitur, Scioppi, tua de Ieſuitis mens tum fuit, hæc ſententia, quam ipſi quoque Summo Pontifici, & Purpuratis Patribus, tuo

nomine

nomine nunciari voluiſti? fuit. Tergiuerſationi locus non eſt, habetur tuæ exemplum Epiſtolæ iam pridem typis vulgatum, tuoque de chirographo ſyllabatim exſcriptum. Quomodo igitur Ieſuitæ tam luculento elogio à te anno cIↄIↄcxxx. Idibus ferè Iulij celebrati, vno tantùm alteróue anno pòſt ex tuâ *Actione Perduellionis* anno cIↄIↄcxxxII. ex *Flagello Ieſuitico*, eodem tempore; ex *Myſterijs Patrum*, ex *Ieſuita exenterato*, ex *Anatomia Societatis Ieſu*, anno cIↄIↄcxxxIII. ex *Conſultatione Fr. Iuniperi de Ancona*, ex *Fr. Ludouici Soteli Relatione*, ex *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, anno proximo cIↄIↄcxxxIV. ex *Arcanorum Dædalo*, & *Relatione Alphonſi de Vargas* anno cIↄ.ↄcxxxv. inopinatò *inimici crucis Chriſti, hypocritæ, viri Diabolici, miniſtri, & ſocij Satanæ, ex patre Diabolo* ſati, *homicidæ, ſanguinarij, ſacrilegi, & ſacrilegiorum ſuaſores* prodierunt? quomodo à S. Ignatij placitis ita alieni, vt *Gentilibus*, vel Phariſæis propiores videantur? quo modo Eccleſiæ Chriſti ipſis Hæreticis nocentiores, & planè *Athei?* quomodo tam breui ſpatio ab illis tam flagitioſè mutati? Scioppi, quid reſpondes? quis *Cacodæmon* Ieſuitas tibi adeò monſtroſè transfigurauit? quomodo paſſim cunctos ita deformauit? quibus dolis tam citò infatuauit? Erant tibi anno cIↄIↄcxxx. Ieſuitæ vitæ honeſtate, ſapientiâ, eruditione, bonarum artium exercitatione viri ſtrenui, digniique, qui ad Catholicam religionem tuendam, ac dilatandam à Pontifice Maximo, & *Cardinalibus* præ alijs omnibus adhiberentur: altero anno poſt derepentè in mortalium omnium ſceleratiſſimos transſcripti ſunt. Portentum immane! Quando Ieſuitæ tot illis flagitijs ſe contaminârunt? ante annum cIↄIↄcxxx. vel poſt? ante? Mentiris, Scioppi, naniter. Tu ipſe eodem anno eoſdem velut Catholicæ fidei vindices, aliorumque Religioſorum Or-

dinum

dinum reformatores Pontifici Summo,& *Cardinalibus* commendâſti. Niſi fortè,vt mendacium pinguiore adhuc mendacio redimas, hæc munia ab improbiſſimis hominibus obeunda comminiſceris., & magnis illis etiam capitibus perſuaſum cupis. Altero poſt anno, hoc eſt, c I ɔ I ɔ c x x x I I? Mentiris rurſum. Quâ enim ratione Ieſuitæ tantulo interuallo ab eo virtutis,doctrinæ,& pietatis tramite, quem paulò ante, te etiam teſte, inſiſtebant, paulò poſt adeò nequiter declinârunt? quî tam impijs criminibus extemplo ſe polluerunt? Vbi hæc illi commiſerunt? quomodo ea ſtatim per ora hominum cucurrerunt? Vnde tu ea reſciuiſti? quandonam,quò in illam tuam *Perduellionis Actionem* à te conijci tempori poſſent, reſciuiſti? Quàm indubitanter, certóque reſciuiſti? Hæccine tu quæris? Maximè. At noli quærere, ſed mihi crede. At mihi potiùs crede, Scioppi, niſi tu alias calumnias,atque mendacia quæras, quæ hactenus enumeratis paulò vendibiliora viris non omnino obeſæ naris reddas, te aquam cribro haurire; ſiquidem iſta decollant omnia.

Num. 118. *Alia Scioppio diuerticula intercluduntur.*

Quid enim? Certóne tu illa immania Ieſuitarum piacula tum compereras? certò,ilicet, exploratè. Cur igitur eorum omnium Mottmannum, & per eum, Pontificem Maximum,atque Eminentiſſimos *Cardinales* certiores deſubito non feciſti? cur te tuâ de Ieſuitis opinione deceptum illis non denuntiâſti? cur priorem tuam ſententiam de iiſdem non reuocâſti? cur aliter rei Catholicæ procurationi, quàm per Ieſuitas, conſulendum non monuiſti? Cur, ſi non Reipubl. ſtudio, ſaltem priuati tui damni auertendi curâ ductus, ne ſi diſ-

ſimulares, Catholicæ fidei proditor à Pontifice, & *Cardinalibus*, quibus homines tam nefarios, atque inteſtabiles ad ſacroſanctam illam prouinciam adminiſtrandam obtruſeris, habereris, maturè lupos eiuſmodi à nouellis Chriſti agnis arcendos, non exclamâſti? Imò verò exclamaui, inquis, monui, reuocaui, denunciaui, ſed fruſtra. Fruſtra? Quibus? Mottmanno? nihil minùs. Pontifici? ſcilicet. *Cardinalibus?* fabulæ. Scripſi, ſed epiſtolæ interceptæ ſunt. Quoties ſcripſiſti? ſæpius. Et cunctæ interciderunt? Cunctæ. Nugæ. Cur verò in re tanti momenti literas tamdiu non iterâſti, quoad aliquas Romam in manus eorum, ad quos illas dederas, perueniſſe cognoſceres? Cur per alios viros probos, ac magnos tam indignas Ieſuitarum corruptelas à te denuò obſeruatas ad Summum Pontificem, Patresque Purpuratos actutum deferri non contendiſti? cur huiuſmodi officijs omnino neglectis, Ieſuitas omnium nequiſſimos, pluribus famoſis libellis in lucem ex tranſuerſo emiſſis, Orbi vniuerſo ingerere ſtuduiſti? Quid enim procliuius, ſi ea Ieſuitarum facinora ſequiora tibi adeò perſpecta erant, vt ſomnias, quàm de illis ſeu per te, ſeu per alios Pontificem, & *Cardinales* seriò docere? Quæro igitur de te, Scioppi: cur docere illos, vt debebas, ſuperſediſti? cur ſub commentitiorum nominum laruâ Ieſuitis, palàm editis Satyris, obtrectare maluiſti? In promptu cauſſa eſt. Nempe tot flagitiorum, quibus Ieſuitas oneratum ibas, mendacijs, & calumnijs, in Hæreticorum territorio ſeu Baſileæ, ſeu alibi, tuo ſine nomine ſemper, vnâ *Aſtrologiæ* tuâ exceptâ, typò imprimendis (quemadmodum ita prorſus factum, ſuprà probaui *a*) nullum à Cenſore in eorum editione periculum, operam præſertim ijſdem Hæreticis vltro, libenterque adden-

tibus,

a *Cap. 4. 5. & 6.*

tibus, imminebat: At eadem mendacia, & calumniæ Summo Pontifici, & *Cardinalibus* Romæ renunciata, agnitâ confeſtim tuâ malignitate, & fuco, hoc vnum illico perſuaſiſſent, frænum tam effræni mendaciquc calumniatori, hoc eſt, tibi, quàm primùm ſeuerè, atque atrociter inijciendum. Quod ne temerè ego, aut fruſtra diuinare videar, ipſæmet Antonij Barberini *Cardinalis* Eminentiſſimi literæ ſuprà *Cap* 4. recitatæ manifeſtò idipſum confirmant; tum titulis libellorum à te in nos edendorum Romam ab Apoſtolico apud Heluetios Nuntio miſſis, ſic ille tum è Pontificis auunculi, tum è ſuâ ſententiâ eidem Nuntio reſpondet; *Gaſparis Scioppij ſpiritus nimis quàm inquieti ſunt; & videtur obſtinaſſe ad lacerandam ſcriptis ſuis, quæ ſub ſictis nominibus euulgat, Patrum Ieſuitarum famam. Eorum proinde, quæ in hodiernum diem ſtudet imprimere titulos à Dominatione Veſtrâ huc tranſmiſſos, Sanctiſſimus D N cum ſenſu diſplicentiæ vidit, & ex meorum Eminentiſſimorum ſententiâ mandauit, vt in lucem edita, tanquam ſuppoſititij Auctoris opera à S. Congregatione Indicis prohiberentur. Romæ* VIII. *Decembris* an CIƆIƆCXXXV. Vnde liquet perſpicuè, quum famoſos tuos libellos in nos adornatos, quos ſuprà *Cap.* 3. recenſui, omnes ab anno CIƆIƆCXXXII. vſque ad CIƆIƆCXXXV. peruulgaueris; totâ eâ temporis intercapedine ab anno CIƆIƆCXXX quo Ieſuitas in eâ ad Mottmannum Epiſtolâ in cœlum ſupra cæteros tuâ apud Pontificem, & *Cardinales* prædicatione euexiſti, vſque ad finem anni CIƆIƆCXXXV. nihil penitùs illis de criminibus, quæ nobis obiectas, Pontifici, vel *Cardinalibus* à te narratum vnquam, aut commemoratum. Sed in nos dumtaxat nullâ religionis, aut veritatis reuerentiâ, probroſis codicibus clanculum foras datis, ſæuitum. Negare igitur ampliùs, falſo pudore, tibi fas, Scioppi, non eſt, ea, quæ

nobis inferebas, delicta, vera delicta non fuiſſe, ſed inania, ſed mera tua commenta, ſed adipata tua mendacia, ſed impudentes tuas calumnias; ac proinde neque dum demonſtrâſti (quod tibi alioquin maximè præſtandum erat) hodiernos Ieſuitas à priſcis illis tam longè, vt in tuis Lœdorijs toties cauillaris, abijſſe.

Num. 119. *Veræ cauſſæ, quas Scioppius ſuo in Ieſuitas odio prætexit, ſuauiter ridentur.*

Verùm vt tu nihil prætereà verborum pro te facias, me certè conſcientia non parùm remordet, nec ſilere patitur, ſuppetere adhuc tibi complures anſas, è quibus facilè arreptis prono ſaltu efficias; hodiernos Ieſuitas à veterum normâ valde degenerâſſe. Sic quippe tecum ipſe, etſi explicare non audes, rationes peracutè, ni fallor, ſupputabis. Quem, obſecro, clam eſt, Bernardinum Caſtorium Ieſuitam, ne ego ſtabili domicilio in Collegio Germanico Romæ potirer, interceſſiſſe? quis neſcit, me expetito diu literarum regno, Ieſuitarum culpâ, excidiſſe? cui non perſpectum, meam Philoſophicam Grammaticam in Ieſuitarū Gymnaſia nunquam irrepere potuiſſe? Quem fugit, meam docendi rationem ab ijſdem ſuæ ſemper poſthabitam? quis non indignetur, non leuem pecuniæ ſummam mihi ob eximia in Sacrum Romanum Imperium promerita, ſeu honorarij, ſeu ſtipendij loco deinceps annuatim pendendam, fruſtrà à Cæſare, atque Electoribus Ratiſponæ an. CIↃIↃCXXX. non ſine Ieſuitarum, qui conſcientiarum eorum Principum arbitri erant, quibusque negotium hoc ſeriò commendâram, dolo malo, petitam? Quis ignorat cuncta hæc eſſe tam certa, vt ne tu quidem anteà ea conuellere auſus ſis, *a* ſed veluti effata

a *Cap. 8.*

perſpicua tuo ex Forero in medium adduxeris? Et ego tot tantisque nominibus à Ieſuitis prorita-tus, iure, quàm qui optimo, in eos nón excandeſcam? Eoſdem totos planè à priſcis illis eſſe mutatos non meritiſſimo decernam? tanta illorum ſcelera libellis meis vindicibus iuſtiſſimè non vl-ciſcar? Ne plura, Scioppi, ne plura. Arcanam tuam, portentoſamque doctrinam ſatis, niſi ludor, intelligo. Audite vos, doctrinarum omnium inuentrices Athenæ, inaudita turbulenti Grammatici oracula. Diſcant cuncta Peripateticorum Lycea nouam delirantis rabulæ Philoſophiam. Suſpiciant vniuerſæ Philologorum ac Dialecticorum exedræ amuſſitatam, exaſciatamque impotentis hariolì haruſpicinam, & Logicen. Ieſuita Caſtorius, quòd lupum ab ouibus ſibi creditis ſubmoueret, ne Scioppius in Collegio Germanico, fœda, ac certa lectiſſimornm iuuenum peſtis, nidularetur, ſanctiſſimè vetuit; Ieſuitæ literarum omnium imperium affectanti Scioppio minimè, vt ille cupiebat, aſſentati ſunt; Ieſuitæ Scioppij Grammaticam ſuas in ſcholas, Emmanuele Aluaro proſcripto, recipere è Repub. non putârunt; Ieſuitæ inſtituendi pueros formam à Scioppio præſcriptam minùs probârunt; Ieſuitæ pecuniam Scioppio à Cæſare, atque Electoribus impetrare, quod ſui muneris id non cenſerent, noluerunt; vel ſi pium honeſtæ ſtipis opus cenſuerunt, tamen non potuerunt. Ergo Ieſuitæ (ô tonitru horrendum! quomodo non ſubſultat ſolùm? quomodo in ima non dehiſcit tellus?) ergo Ieſuitæ *inimici crucis Chriſti* ſunt. Ergo *viri Diabolici* ſunt. Ergo *miniſtri Satanæ*, & *ex patre Diabolo* nati ſunt. Ergo *homicidæ*, & *ſanguinarij* ſunt. Ergo *ſacrilegi*, & *ſacrilegiorum ſuaſores* ſunt. Ergo quicquid Scioppius in tot ſuis famoſis libellis ad eorum infamiam, mentitus, & calumniatus eſt, id totum ipſi reuerà ſunt. Hæc quippe ipſiſ-

ſima eſt conſequentia admiranda atque ineluctabilis, in quam vnam tui illi libelli omnes, ſi probè excutiantur, poſtremò recidunt. Quid vis modò, Scioppi, vt tantâ tuâ ſtrenuitate dignum enunciem? Viciſti; tibíque de omnibus Logicis, & Dialecticis, quos mirè debellâſti, non ſolùm ouatio, ſed triumphus quoq; debetur. Nos Ieſuitæ omnes captiui, catenis vincti, atque inglorij poſt tuum triumphalem currum ducimur, tibíque pœnas ſoluimus. Neque deeſt plauſus, riſus, ioci, ſales. At tibi non ita, vt reris, blandi. Nam Logici omnes, quibus etiam vel vnica Dialectici ſalis mica ſupereſt, ſummam tuam amentiam ac ſtuporem effusè rident, qui de antecedentibus tam alienis conſequentia adeò diſſentanea pepereris.

Num. 120. *Præconijs Scioppij, hodierni quoque Ieſuitæ abſoluuntur.*

Quamobrem quum neque his, neque alijs tuis ſutelis oſtendere queas, Ieſuitas peiorem in partem, quàm tu eos ante annum cIↄIↄcxxxII. deprehendiſti, verſos deinde eſſe, ac mutatos; neque inficias ire iure potes, quin ijſdem omnino præconijs, quibus tu eos ante eundem annum cIↄIↄcxxxII. exornâſti, illi ipſi ſint decorandi; atque adeò tua eadem præconia iugulum tuarum omnium Satyrarum, quas poſtmodum in nos euomuiſti, rectà petunt, earumque cuncta mendacia, & calumnias, quòd nos ijſdem præconijs minimè congruenter egiſſe tu non perſuades, funditus mactant. Igitur quum Ieſuitæ à veteribus illis, vt planum feci, mutati non ſint; neceſſe omnino eſt, te ab eo, quem te priùs, quum eos dilaudabas, profitebaris, eſſe mutatum, atque in mendacem, procacemque calumniatorem, vt ex ijſdem tuis lœdorijs ſat ſuperq; compertum, turpiſſimè conceſſiſſe.

Num.

Num. 121. *Fruſtra Scioppius obtendit, paucos Ieſuitas à ſe reprehenſos.*

At nondum das manus, negasque tua, quibus de nobis bene merere ſtuduiſti, præconia tuis libellis poſteà ſcriptis aduerſari; ſiquidem in his non omnes Ieſuitas, ſed paucos dumtaxat à te reprehenſos, mones, vt quum initio *Anatomiæ*, a tum in *Arcanis*, b expreſsè caues; atque idcirco probra ad paucos tantùm, hoc eſt, ad minorem partem, laudes verò ad multò maiorem pertinere, nullo ſcilicet veritatis diſſidio, vel conuicio. Verùm quem, rogo, Scioppi, plauſibili iſtâ tuâ ſtrophâ à te circumuentum putas? quem? méne? me, qui veteratorias tuas artes cunctas habeo exploratiſſimas? Quaſi verò ex tuis Hæreticis frandibus hæc maxima, & potiſſima non ſit, vt quod ſummoperè vrges, id interdum negligere, atque in contrarium niti velle videaris. Obtendis tu quidem alicubi verbis quàm ſpecioſiſſimis, Ieſuitarum piacula nonniſi ad paucos ſpectare: ſed reâpſe eò præcipuè collineas omnia, vt cunctos illos ferè improbos eſſe omnes ſibi inducant in animum. Niſi enim huc tenderes, an tu, qui in *Anatomia* paucorum Ieſuitarum deprauationi tantummodò à te dicam ſcribi, principiò clarè indicaueras; in eâdem *Anatomia* poſteà cum PſeudoMarianâ mentireris; c *Miraculi ſimile eſſe, aliquem inueniri in Societate, qui ſeditionibus ac tumultibus non ſit implicatus?* An in eâdem, niſi venenum tuæ maledicentiæ latiùs ſerpere velles, calumniareris; d *Maiorem partem Societatis aſſentiri ſuo Generali etiam deliranti, & erranti?* Num ibidem, niſi hoc idem tibi eſſet in votis, fabulareris;

a *Anatom pag.* 3. b *Arcan. pag.* 50. c *Pag.* 33. d *Pag.* 33.

ris; *a Fel amaritudinis eſſe toto corpore Societatis diffuſum, vt nemo vel fratri ſuo germano fidem habere poßit?* Cur illic quoque adiecisti; *b Si euoluantur Patris Generalis ſcrinia, ne vnum quidem in tota Societate virum bonum videri?* Cur eâdem in Satyrâ ais? *c Paßim Ieſuitas factitare illa, quæ moneantur in libello Inſtitutionis ſecretæ,* quæ tamen omni flagitiorum genere referta eſt? Cur demum tum in *Anatomia*, tum in alijs tuis probroſis Codicibus tuum omnem conatum eò rèfers, vt Societatis noſtræ nomen, tum nos omnes cunctis inuiſos reddas?

a *Pag.* 34. b *Pag.* 41. c *Pag.* 49.

Num. 122. *Non mirum eſt, Scioppium tot abire in ſententias: quia eſt Vir duplex animo, inconſtans in omnibus vijs ſuis.*

Noli igitur, Scioppi, cæteris tuis mendacijs hoc etiam decumanum adiungere, vt inficieris, egregia illa tua elogia ad Ieſuitarum virtutem commendandam à te bellè concinnata, quicquam cum poſterioribus tuis opprobramentis pugnare, neque iſta ab illis expungi. Quam tuam inconſtantiam, atque à teipſo diſcordiam ſi quis miratur, mirari deſinet, ſi cum Iacobo Apoſtolo tibi in mentem reuocet: *a Virum duplicem animo* (qualis tu es) *inconſtantem eſſe in omnibus vijs ſuis;* & cum magno Athanaſio, *b* qui hoc Apoſtoli ſcitum aptat Arrianis, ſecum reputet, omnium Hæreticorum illud genuinum eſſe ingenium, vt *nunquam eandem ſententiam, ſed aliàs aliam foueant, dictaq; ſua nunc laude, nunc vituperia proſequantur, vt quod iam probârint, è veſtigio damnent.* Iam quum tu, vt in meo

a *Iacob.* 1. b *In Epiſtola de Nicæna Synodo.*

meo *Lydio* demonſtraui, tot Hæreticas inſanias ſceleſtiſſimè inſanieris, ſcilicet Hæreticorum more etiam, quæ priùs cum Catholicis faciens prædicâſti, eadem poſteà diſſentiens exagitâſti. Et quia *defertur is plerunque*, vt ſapienter *b* Luciano notatum eſt, *qui honore quodam alios præſtat, nempe ijs inuidioſus, qui ſpe illius fruſtrati ſunt:* vbi tu Societatem, & Socios noſtros ad aſtra vel à te ipſo ſublatos vidiſti, nec ſpei quicquam ad eos conſequendos tibi reliquum cenſuiſti; quæcunque demum ea lux in Ordine noſtro ſplendeſcens, tuos oculos adeò perturbauit, vt ad illam obſeruandam denſiſſimas calumniarum nubes offundere conatus ſis. Ad quam fallaciam doctè expediendam arma calumniatorum propria, vt eſt apud eundem Lucianum, *mendacium, periurium, ſupplicium, impudentiam, denique innumeras impoſturas aduersùs abſentem* ſedulò adhibuiſti, ac deprompſiſti. Ad hæc omnia arma, fallaciæ, ſtrophæ, ac ſycophantiæ in tuum demum caput, vt experimentis compluribus hactenus didiciſti, reciderunt. Tanti videlicet interfuit, huius in limine diſputationis tam operosè effatum illud ſancire, non poſſe à te, quem laudas, in eo, quod laudas, vnà vituperari.

a *Loco laudato de non credendo calumniæ.*

Num. 123. *Scioppium, mentiendi priuilegium ſuum nihil iuuat.*

Vnum tamen adhuc aſylum tibi patêre video, Scioppi, quò ſi tu confugias, me victum omnino fateri, neceſſe eſt. Quod illud eſt? quæris? nempe vt conceptis verbis firmatam fidem des, eo mentiendi, calumniandique priuilegio, Hæreticorum proprio, quo olim vnà cum illis gaudebas, nunquam te penitùs fuiſſe abdicatum, atque adeò validè vrgeas tua illa omnia de Ieſuitis nobilia teſti-

monia, huiuſmodi tuo mentiendi & calumniandi priuilegio nondum antiquato, nihil poſſe incommodare. Hoc tu priuilegium, Scioppi, ſi obducas, herbam ſtatim tibi porrigo, victumque me, clamo. At vel ita victus, victoriâ mihi quàm optatiſſimâ ſimul gloriosè potior, quando hoc vnum maximè tuis illis elogijs in medium allatis, molitus ſum, vt te mendaciſſimum Societatis noſtræ, & Sociorum noſtrorum calumniatorem, tum mentiendi, calumniandique priuilegio nemini ſecundum probarem, quod iam tu vltro concedis.

Num. 124. *Digna gratia repenſa Scioppio.*

Quare ad tam ſingulare beneficium bene merenti tibi, meo aliquo qualicunque ſaltem merito munerandum; tametſi gratias tibi anteà habui, quòd rhomphæam ad omnia tuæ Hydræ, hoc eſt, veſanæ obtrectandi Ieſuitis libidinis, capita tuis illis luculentis præconijs amputanda mihi præbuiſti; lubet tamen hic coronidis loco auctarium apponere, & quidem tui imitatione plauſibile. Nam quum Ieſuitæ nonnulli, in quibus quoque Forerus, te non inuiti, ſed ſponte, ac volenti animo olim laudârint, conſilio vtique honeſtiſſimo, vt te Eccleſiæ Catholicæ recentem ab Hæreſi demererent; vt te ad dediſcendos, quibus ſcatebas, errores, atque ad vitia, quibus laborabas, perſecanda, ne ſerperent, inuitarent; vt in Catholicâ fide, ne in hæreſim relabereris, confirmarent; vt denique compluribus alijs nominibus, de quibus in meo *Lydio* a abundè, Chriſto te lucrarentur; quas, obſecro, vices, grati animi monumentum, eis reddidiſti? cædò quas? duras, barbaras, inhumanas. Nam in tuâ *Prdiâ diuinarum & humanarum*

a *Part. 3. cap. 4.*

rum literarum a recitatis aliquorum Ieſuitarum in tui prędicationem teſtimonijs, ad flagitioſæ gratificationis exemplum, hæc totidem verba ſubijcis.

a *Pag.*37.

De Foreri eivsqve similivm Confessione Sciopii Ivdicivm.

Non accipio à Diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Inuitus dixit Diabolus, ſed exactus & tortus: ait S. Ambroſius ſerm. 91.

Hæc tu in Ieſuitas falsò, ac perfidioſè, qui te, vt agnum de lupo facerent, pio ſtudio laudârunt, vt dixi. Vide nunc, an non iure optimo, ac veriſſimè ita poſſim tuis omnibus, quæ de nobis edidiſti, præconijs reponere, ac retorquere.

Jesvitarvm de Scioppii Confessione Ivdicivm.

Non accipimus à Diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Inuitus dixit Dabolus, ſed exactus, & tortus: ait S. Ambroſius ſerm. 91.

Certè, quum Hæreticum in Ieſuitas odium tuo ſemper in pectore foueris, etiam quando eos efferebas, vt ſatis tum ex his *Vindicijs*, tum ex *Lydio* meo paret; in Dæmonem præ inſitâ mentiendi, calumniandique conſuetudine tranſcriptus, illos nonniſi à veritate exactus, & tortus, inuitus ad-

modum collaudâſti. Eſtné iam, Scioppi, dignum patellâ operculum, & tuis promeritis operæ pretium ſolutum? Perge bene mereri. Par pari ſemper præſto erit.

§. VIII.

Octauum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Ieſuitarum teſtimonium à Scioppio probatum.

Num. 125. *Scioppius Ieſuitis fidem habere cogitur.*

Ægrè tibi, Scioppi, opinor, fore perſuaſiſſes, vt tam officioſa pro Ieſuitis quondam à te dicta teſtimonia, adeò graues poſteà de tuâ obtrectandi licentiâ pœnas aliquando ſumerent, vt paulò ante à me doctus es, & tuo malo expertus. Cerno ego iam tot plagis te irrigatum, pigmentiſque vlmeis tam fœdè pictum, vt tui vicem admodum miſeratus, non te nouo adoriendum prœlio, neque vllo ictu referiendum, ſed iucundo potiùs acroamate recreandum, demulcendumque exiſtimem. Audi rem inter omnia mira mirificiſſimam. Scio te Ieſuitarum hoſtem eſſe inueteratum, Scioppi; ſcio te nobis infenſiſſimum. Quid ſi ego nihilominùs iam breui te cogo, Ieſuitarum dictis velut oraculis fidem habere, pluſque tuis hoſtibus, quàm tibiipſi credere? an non ſuaue, ac lepidum erit acroama? lepidiſſimum ſanè, inquies, hoc eſt, ſupra fabellas omnes fabuloſiſſimum. Mitto tricari. Tu aures patientes modò præbe; tum niſi promiſſis ſtetero, me vel circulatorem, nedum fabulatorem voca.

Num.

Num. 126. *Amœnius paulò recreatur Scioppius.*

Aio Ieſuitarum innocentiam quibuſcunque tuorum libellorum, hoc eſt, mendaciorum & calumniarum machinationibus inuictam planè, atque inexpugnabilem ſtare, non ſolùm ob ea præiudiciorum munimenta, quibus illam hactenus circumſepſi; ſed hunc etiam ob aggerem omnino inſuperabilem, quia ijdem Ieſuitæ ſe innocentes prorſus à tuis afflictis criminibus, te verò mendaciſſimum calumniatorem eſſe, perſanctè teſtantur. Hic tu, Scioppi, riſu nequis te admoderari, nec furtim modò, ſed toto hiante ore, cachinnos tollis. Et quis, ais, non tolleret, dum tu tam ridicularia propinas? Hoſtis hoſti credat? Tu ipſe anteà longâ diſſertatione negâſti. Et ego Ieſuitis? an tibi ſanum ſinciput? ha, ha. Vbi verò gentium teſtis pro ſeipſo datur, vel excitatur? Ita ſontes omnes erunt ſuo ipſorum teſtimonio inſontes, nulloque negotio cunctos ludificabunt Iudices, & carnifices. Demens ſim ego, ſi quicquam dementius tu garrire poteras. Atqui ego, Scioppi, tuâ de hac ſententiâ vehementer amo te, nam ex parte iam vici. An non enim tibi voluptabile acroama pollicitus ſum? an non afflictas tot verberibus tuas vires aliquâ amœnitate exhilarandas, ac releuandas dixi? Vide iam: riſu penè corruiſti, luſiſti, exploſiſti, conſpuiſti. Fidem ergo iam liberaui meam. En reuixiſti, conualuiſti, reuiruiſti. Commiſerationi proinde ſatis iam indulſi; atque adeò nunc pugnam iure meo redintegro. Scioppi, tu caue tergori, caue gutturi; Ieſuitis, velis nolis, mox adſtipulaberis.

Num. 127. *Laudat Scioppius, pleroſque mortuos Ieſuitas nominatim.*

Narro tibi. Tametſi duos inter aduerſarios nullus eorum, cuius verba ſolâ ipſius fide nituntur, teſtis legitimus ſit, vt naturæ ductu, & totius Orbis conſenſu, ſatis cuique conſtat: tamen vbi alter alterius dicta ſuo muniuit chirographo, & eius teſtimonium probauit, iam ſe illius fidei permiſit, facultatemque ab eo diſſentiendi in eo ſibi penitùs ademit, vt liquet. Iam ſi oſtendero, Scioppi, Ieſuitas in hac controuerſiâ teſtes à te ipſo laudari, prædicari, ac recipi; cauſſarine quicquam poteris, quin audiendi ſint? Quid muginaris? Poterisne eos reijcere? Quid nutas? poterisne? De hoc poſteà videbimus, inquis. Interim telam pertexe. Maximè. Sed quid tu filum abrumpis? Prô quàm moroſus, inquis, vitilitigator es? Age. Fac non poſſe. At Ieſuitas teſtes à me aduersùm me laudatos, anile ſomnium eſt. Faxo propediem, Scioppi, vt è veterno excitatus, in mentem, ac memoriam veritatis vel inuitus redeas, & delirare deſinas.

Num. 128. *Magna Societatis Nomina, agnoſcit Scioppius.*

Nónne, bone vir, in tuo *Hypobolimæo* a amanda, & colenda tibi, atque alijs *magna illa virorum nomina, Toletos, Bellarminos, Maldonatos, Pererios, Suarezios, Valentias, Clauios, Benzios, Perpinianos, Schottos, Gretſeros, & illud, quod tu ob ingentem rerum omnium ſcientiam eximium, & admirandum habes, M. Antonij Del Rio*; diſertè ſcribis? nónne Chriſtophorum Clauium nominatim *ſingulare Germaniæ ornamentum* appellas? b nónne *Benedicti Pererij ſummi viri nomen apud omnes eruditos, etiam Hæreticos*

a *Pag.* 247. b *Ibid. pag.* 283.

eo ſeſſe apertè pronuntias? *a* nónne Ioannem Maldonatum *humanitatis, pietatis, ac modeſtiæ exemplar, atque ſpecimen fuiſſe*, grauiſſimo etiam Eminentiſſimi Peronij *Cardinalis* Galli teſtimonio confirmas? *b* nónne à Franciſco Arias, & Alfonſo Rodriquez *c vita ſpiritualis magiſtris perfectum hominis officium* egregiè explicatum tradis?

a *Ibid.* b *Ibid.* c *De ſcholarum ratione conſult* 1 *pag.*29.

Num.120. *Generatim etiam plurimos ex hodiernis Ieſuitis laudat Scioppius.*

Sed ne ab his paulo antiquioribus S. Ignatij aſſeclis iam denatis cauſſam recentium Ieſuitarum, qui modò ſuperant, minimè fulciri cauilleris; quid de hodiernis noſtris hominibus tu ipſe, Scioppi, decernas, teipſum teſtor, etiam in ipſiſmet tuis libellis famoſis, quos in Ieſuitarum dedecus condidiſti. Quid? in his an non palàm præ te fers Societatem noſtram plerisque viris probis florere? non ais in *Anatomia a* explicatè, vt ſuprà indicaui, *Corruptelam non niſi ad paucos pertinere*; *magnum aliorum numerum ſibi in virtutis amore, ac ſtudio conſtare?* non ibidem perſpicuè repetis? *b Bonos ac innocentes in Societate multò plurimos inueniri?* non iterum in *Arcanis* tuis *c* fidem ſincerè facis, *Societatem habere multos viros ſine malitia, non paucos etiā quum doctrinâ, tum virtute minimè vulgari præditos?* nónne hoc ipſum & in *Pædia diuinarum, & humanarum literarum*, in quâ nomen tuum ſine vllo fuco profiteris, dilucidè inculcas? *d Quòd multos inſigni virtute ac doctrinâ memorabiles, omniumq; bonorum amore dignos in Societate numerari ingenuè ſemper faſſus fuiſſes?*

Num.

a *Pag.*3. b *Pag.*99. c *Pag.*50. d *Pag.*22.

Num.130. *Certiſſimum nequitiæ teſtimonium eſt, à Viris bonis damnari.*

Nunc rogo te, Scioppi, quid tandem tot tantique Viri, vel tuâ ipſius ſententiâ, *in virtutis amore conſtantes, boni, atque innocentes, doctrinâ, & virtute non vulgari memorabiles, omniumq; bonorum amore digni* de te cenſeant? quid iudicent? Omnes hi, nemine dempto, omnes eam animo opinionem iamdiu imbiberunt, vt te mentiendi calumniandique facultate cunctis anteſtare mortalibus arbitrentur; tum, quæ in Ieſuitas, & eorum Inſtitutum elatrâſti, eſſe falſiſſima; quæcunque verò contra te Viri de Societate noſtrâ doctiſſimi Paulus Laymannus, Laurentius Forerus, Henricus VVangnereck, & alij ediderunt, eſſe veriſſima; illos omnes ex Ordine noſtro, qui te priùs laudârunt, quum pio tui conuertendi ſtudio, tum ſimulationis, atque nequitiæ tuæ ſupercilio, cæterisque tibi ſuetis præſtigijs fuiſſe deceptos: tua autem mendacia atque calumnias, à Forero ita eſſe exenterata, atque difflata, vt ea nullâ ratione tegere, aut celare queas: tam verò diuturno, pertinacique ſilentio, quò Foreri pro Ieſuitis Apologetica tacitus perfers, fateri te non obſcurè, nihil à te, niſi propudioſum, temerarium, ac falſum, contrà regeri poſſe; denique has meas Societatis Vindicias, *Lydium*que *Lapidem*, nec non cætera quoque mea amuleta tuæ malignitati, atque inſcitiæ admota, totidem eſſe prorſus oracula.

Num.131. *Ieſuitæ velut mendaces à Scioppio reijci nequeunt.*

Audin' Scioppi, qui Ieſuitæ hodie ſuperſtites, atque à te pro innoxijs, pro doctis, & probis habiti,

biti, de te ſentiant? quid de te ſtatuant? placétne? ô ſcelus, exclamas, hinc in ſolas terras publicitus deportandum! itáne ſcitaris furcifer, placétne? nulla mihi inſolentia magis, quàm iſta, diſplicita eſt, hei quàm mihi hic tuus fœtet ſermo? Apage te à me. Mentiris oppidò. Mentiuntur omnes Ieſuitæ. Sed compeſce paulùm, quæſo te, Scioppi, familiares tuas iſtas intemperias; rationiſque modò impotens, vbi furor detonuerit, caue, ne ſimiles alogias effutias. Intelligentiâ vtitor, phrenesi ne obſequare. Fruſta es, rurſum excandeſcis, mentiris tu, mentiuntur tui. At vide, Scioppi, quos mendacij inſimules. Nil refert. Mentiuntur. At *boni viri, & innocentes* à te appellati ſunt. Eſto. Nihilominùs mentiuntur. At homines *ſunt ſine malitia, tum doctrinâ, & virtute non vulgari præditi,* atque à te ipſo vt tales agniti, ac probati. Nil curo. Tamen mentiuntur. At certè *in virtutis amore ac ſtudio hoc ſibi conſtare,* tu ipſe dixiſti. Quaſi verò religioni id mihi ſit, ne iure repetam, mentiuntur planè. At profectò hos ipſos *virtute ac doctrinâ memorabiles, omniumq́; bonorum amore dignos* tu ipſe confeſſus es. Quid tum poſteà? attamen impudenter mentiuntur. Scioppi, quæ monſtra loqueris? Putabam ego, mentiri, haud eſſe boni viri. Nunc tuâ iſtâ ex Philoſophiâ diſco, viros probos, & ſine malitiâ inſontes mentiri; doctrinâ & virtute inſigni præditos mentiri; omninm bonorum amore dignos mentiri. In virtutis amore, ac ſtudio ſibi conſtantes, mentiri. Quis, obſecro, *Cacodæmon* exotica iſta deliria te docuit? Nam ſi boni viri ſunt, quî per malum mendacium mali redditi, boni adhuc ſunt? ſi in virtutis amore, ac ſtudio ſibi conſtant, quomodo mentiendo inconſtantes ſe produnt? ſi innocentes tibi perſuades, quomodo mendacio obnoxios, & nocentes credis? ſi bonorum omnium amore dignos cenſes, quomodo

mendaces reris, & omnium odio dignos facis? ſi doctrinâ memorabiles, & virtute non vulgari præſtantes iudicas, quomodo mendacia vulgi more venditare comminiſceris? Quis nodos iſtos pluſquàm Gordianos ſoluat, aut ſcindat? Quis tam recondita myſteria fando vnquam audiuit? At quis ea non rideat? quis non exſibilet?

Num. 132. *Ieſuitis magis credendum, quàm Scioppio.*

Simpliciùs ego tecum, Scioppi, agam, multoque candidiùs. Sine fuco & fallaciâ. Dic, quæſo. Quid propius verò eſt, probum virum, an improbum mentiri? Næ tu improbiſſimus es, ſi hanc lauream improbo aufers, vel inuides Quid ais? Improbi eſſe mentiri, non probi, probè ſcio. A ſi veri ſimilius eſt, improbum vnum, quàm probum vnum, mentiri: quanto adhuc ad veritatem propenſius eſt, improbum vnum, quàm multos bonos, imò quàm omnes probos mentiri? Faterſne? Quid moraris? inquis. Tenetur res manibus; perge. Tu verò, Scioppi, quid hominis es? non quęro, atérne, an albus; ſed probúsne, an improbus? Audebíſne te improbiſſimum, ne dum improbum, negare? Demitte, ſi ſapis, auriculas, atque hanc nomenclationem æqui boniq; conſulens, demuſſa alacriter, non ſanè iniuriam vllam, ſed ingenuâ veritatem, iam ſuperioribus præiudicijs toties conteſtatam. Noli antiqua vulnera, ſi vis ea coaleſcere, retractare. Noli iraſci, noli tergiuerſari; alioquin totum *Lydium* meum *Lapidem*, atque has omnes *Vindicias* ruſum ingeram tibi, teque infandis ſceleribus coopertum, in primis verò mentiendi procacitate effrænatum oſtendam planiſſimè. Iam ſi Ieſuita aliquis ex ijs, quos tu quoque *inſigni virtute & doctrinâ memorabiles* memoras, ac veneraris, Societatem Ieſu, & Socios eius cunctos illorum flagitio-

rum,

rum, quibus eos obſtrictos, tuis in libellis famoſis deblateras, abſoluat omnino, innocenteſque pronunciet; te autem contrà calumniarum damnet, tuoſque illos libellos mendaciorum totidem emporia aſſeueret; vtri magis credendum eſt? tibi ex tam multis tamque exploratis iam teſſeris improbiſſimo, an eiuſmodi Ieſuitæ, vel tuâ confeſſione memorabili, quum inſigni virtute, tum etiam doctrinâ? Arctiſſima compes eſt, elabi non potes. Tali Ieſuitæ, velis nolis, aſſentiendum vides. Quid ſi non vnus tantùm è probis Ieſuitis, ſed plurimi, atque integri manipuli, omnes priſcorum morum, & notæ fidei, te ſuo teſtimonio percellant, teque calumniatorem mendaciſſimum, & quos libellos in nos cudiſti, tuorum mendaciorũ & calumniarum agrum eſſe fœcundiſſimum ſummâ animi religione confirment? an non tibi de ſubito animam intercludent? an non ſtatim te, atque illos euertent? Atqui, Scioppi, non vnus Ieſuita, ſed, vt iam expoſui, plurimi omnino *in virtutis amore ac ſtudio*, te ipſo quoque teſte, ac ſubſcriptore, *ſibi conſtantes; boni, atque innocentes; viri ſine malitia*; nec non *virtute minimè vulgari, atque doctrinâ præditi*, agmine facto, in te vnà ruunt omnes, ac Societatem Ieſu, ac cæteros quoque Ieſuitas innoxios; tuas autem in nos vulgatas Satyras mendacijs & calumnijs eſſe refertiſſimas; ac proinde mentiendi & calumniandi palmam tibi deferendam, communibus ſuffragijs, nemine diſſentiente, ſtatuunt, clamant, vociferantur. Quid iam tibi animi, Scioppi, hic reliquum eſt? quæ tua mens? quæ vox? num tibi vni potiùs, quàm tot è regione viris integerrimis fidem habendam putas? tibi improbiſſimo, quàm tot non ſolùm probiſſimis, ſed tuâ quoque ſententiâ probatiſſimis? tibi mentienti, & mendacij toties manifeſto, quàm innocentiæ, virtutis, ac Religionis compertiſſimis?

Num.

Num. 133. *Viri boni non mentiuntur, etiam cùm reprehendunt.*

At enim nimis ſeuerus, inquis, Stoicus es, qui ob leuia huiuſmodi, atque officioſa mendacia, Ieſuitas viros alioquin bonos, bonos ſtatim eſſe deſinere opinaris. Boni ſunt, ſed quia nemo omnibus abſolutus eſt numeris, atque optimus ille cenſetur, qui minimis vrgetur; quid mirum, ſi, vt homines, in cauſsâ propriâ contra Scioppium ad tuendos Socios mentiuntur? Nónne Regio Vate, *a* atque Apoſtolo *b* ſciſcentibus, *Omnis homo mendax?* Neſciebam, Scioppi, mendaciorum tam eruditum, atque acutum patronum. Tibi, tuiſque ſimilibus mentiri leue ſemper fuit; at ſeueriore Chriſti Domini Philoſophiâ ad omnem perfectionem eruditis nota nequaquam leuis eſt; quod quia adhuc ignoras, operæ facies pretium, ſi Alfonſum Rodriquez *c* tibi laudatum, quò imperitiam redimas, ſedulò conſulueris. Fruſtra verò Dauidis, Pauliſque effatum appellas, quo rectè illi quidem, quid hominis deprauata natura, *d* ad malum omne, nedum ad mendacium, prona ſuggerat, quoúe impellat, admonent; tu verò, quid poſſit diuina gratia, quæ vitiatam naturam corrigit, atque emendat, minimè attendis: ſed Religioſi viri eiuſdem gratiæ ope de mendacibus in veraces egregiè migrant, veritatemque, quam natura ſæpe deſerit, virtute arctè tenent, ac nunquam, qui non ſegniter in eâ proceſſerunt, deſtinato violant.

a *Pſal.115.* b *Rom. 3.*
c *Part.2.Tract.2.cap.11.*
d *Ap Rom.3.*

Num.

Num.134. *Mentientis inconſtantia, libidinem mentiendi conſtantiſſimam prodit.*

Verùm ne adhuc, Scioppi, obluctèris, & neſcio quid leuiculum rurſum obtrudas; addo, eoſdem illos Ieſuitas à te laudatos, ſententiam paulò ante in te prolatam tam certam exploratamque affirmare, vt omnia quoque adiurare verè poſſint, &, ſi opus ſit, reapſe etiam adiurent, nihil in eâ gratiæ, vel odio datum, nihil doli dolatum, ſed cuncta candido è pectore eſſe deprompta. Vnde facilè conſtat, hîc mendacium, ſi periurium inſuper ei comitetur, leue delictum eſſe non poſſe, quum quoduis iuſiurandum de re præſenti, vel præteritâ vtcunque leuì falſitatis, conſcium, lethiferæ ſemper culpæ, vt tradunt Theologi omnes, exitialis ſit fœtus. At ecce Ieſuitæ complures, tuo etiam calculo innocentes, inſignique virtute ac doctrinâ decorati, ſacrâ execratione vltro ſeſe deuinciunt, iurantque tuos illos in Societatem Ieſu, ac reliquos Socios, editos libellos eſſe mendaciſſimos; iurant te in eoſdem impudentiſſimè mentiri, iurant te nequiſſimè iiſdem calumnias ſtruere; iurant te improbiſſimi oris, & calami eſſe conuiciatorem. Tu contra, Scioppi, quid reponis? Tot bonorum virorum ſacramentum, veritatis germanam ſobolem agnoſcis, mendaciique accuſare non audes? Occidiſti penitùs. Mendaciloquum enim te eſſe, atque in Ieſuitas improbè mentitum Ieſuitarum ipſorum teſtimonio à te probato & probas, & prodis, quod vnum ego à te vel inuito hîc extorquere cupio. Renuis, & Ieſuitas peierare contendis? Nihiloſeciùs periiſti. Nam dum Ieſuitas, quos adeò probos ais, periurii adeò grauis arguis, teipſum mendacii palàm conuincis; & qui eoſdẽ viros innocentes & virtute præclaros vendis, non

ſolùm

ſolùm minimè bonos, ſed haud leuiter improbos, & adipatæ nequitiæ labe ſordidos detegis. Quò te vertis? vtrum arridet? Neutrum, credo. Sed pedica inexplicabilis tuis pedibus iniecta eſt. Si enim Ieſuitæ mentiuntur, & peierant, mentiris tu, qui eos virtute memorabiles arbitraris; ſi non mentiuntur, mentiris tu adhuc multò magis, quia illi toties te eſſe mentitum verè teſtantur. Vide, quid horum te magis delectet. Si Ieſuitæ, inquis, me eſſe in meis libellis mentitum, teſtantur, teſtificor ego huiuſmodi teſtes eſſe mendaces; & ſi iurant, omnino eſſe periuros. At bonos tu, atq; innocentes eſſe dixiſti. Eſto. Nihilominùs mentiuntur, & peierant. At viros ſine malitiâ integros, doctrinâ, & virtute minimè vulgari præditos, tu ipſe aſſeuerâſti Non inficior, tamen mentiuntur, & peierant. At in virtutis amore, ac ſtudio ſibi conſtare, tu ipſe prædicâſti Aſſentior. Sed nihilominùs mentiuntur, & periurant. At bonorum omnium amore dignos tu ipſe iudicâſti. Vt vt eſt: attamen mentiuntur, & peierant. At Ieſuitæ omnes à te celebrati te mentiri ſanctè teſtantur, ac iurant. Quid tum? Mentiuntur omnes, ac periurant. Nullus ergo inter Ieſuitas vir probus? nullus. Omnes mendaces, & periuri? omnes. At tu ipſe Societatis Ieſu *corruptelam non niſi ad paucos pertinere*, vt ſupra docui, ac *multo plurimos in ea bonos, atque innocentes inueniri* dilucidè teſtatus es. Nil refert. Si me mentiri cenſent, omnes mentiuntur, omnes peierant, omnes ſunt improbi. Et ego quoque ſtrenuè mentitus ſum, qui probos eos renunciaui. Sed vnde, Scioppi, & ex quâ Africâ tot portenta? Plurimi Ieſuitæ innocentes, ac virtute inſignes à te laudati, quia te bipedum improbiſſimum mentiri ſanctè iurant, mentiuntur, & peierant; tu, qui improbiſſimus es, & tot mendacijs compoſitis mentiendi palmam adeptus, viros inno-

centes

centes & virtute memorabiles, mendacij omnes poſtulas, extra aleam omnem mendacij es? Et quo tu putas plauſu huiuſmodi tua monſtroſa inſulſaque mendacia, niſi pedum, ſibilorum, atque thyrſorum, excipienda?

Num. 135. *Proborum nomen improbis improbè impertitur.*

Plurimos Ieſuitas bonos, atque innocentes eſſe; corruptelam nonniſi ad paucos pertinere; conſcientiâ adigente, veriſſimè ſcripſiſti. Sed quando eos tam facilè mentiri, & pejerare vis, non tam probos, quàm improbiſſimos eſſe finxiſti. Quos enim Ieſuitas ſine malitiâ in Societate, multâ doctrinâ, & virtute excultos, reperiri credis? qui mendacia & periuria paſſim nundinantur, homines ſceleſtiſſimos. Quos in virtutis ſtudio atque amore ſibi conſtare? qui mentiendo, & periurando ſunt exercitatiſſimi, nebulones flagitioſiſſimos. Quos omnium amore dignos? qui mentiri, & peierare inter indifferentia numerant, tenebriones nequiſſimos: tam concinnè omnino, ac ſi, quum virtutem deſignas, vitium intelligendum ſit; quum noctem, dies; quum veritatem, mendacium; quum vitam, mors; quum ſapientiam, ſtultitia. Quid faciant porrò Ieſuitæ illi plurimi, innocentiæ, & probitatis, te quoque Iudice, ſingularia exempla, quid faciant, Scioppi, qui hinc ſuam innocentiam, & Sociorum omnium, hinc tua mendacia & calumnias manibus ipſis tractant? Hos ſibi innoxijs, & veritatis conſcijs fidem habere vetas: tibi improbiſſimo & mendaciſſimo habere iubes? hos quia mentiri neſciunt, mendaces nuncupas? quia tibi mentienti repugnant, periuros decernis? quia tecum mentiri & peierare nolunt, perditiſſimos ſtatuis?

Num. 136. *Muſtulenta Sciop̄pij amentia.*

Apage, inquis, cum tuis iſtis Dialecticis præſtigijs, quas ego Orco peiùs odi. Ego Ieſuitas plurimos in virtutis ſtudio ſibi conſtare, ac bonorum omnium amore dignos eſſe, non fictè, ſed ex animo non ſemel dixi, neque hos vnquam improbos mihi perſuaſerim. Cæterùm non propterea eoſdem quoque exortâ inter nos controuerſiâ, teſtes contra me legitimos, omniq́ue exceptione maiores vnquam ſomniaui. Quis enim neſcit, cuiq́ue fas eſſe, teſtes qualicunque vitæ probitate etiam ſpectatiſſimos, ſi cùm ipſis lis ſit, repudiare? Contendunt mutuò ſubinde, viri quoque conſummatæ ſapientiæ, & virtutis; & tamen neutra pars alteri fidit. Præſtabiles igitur inſigni virtute, & doctrinâ in Societate Ieſu ſint plurimi, vt ingenuè faſſus ſum. At eoſdem ad liberandos Socios alios, & Societatem à manifeſtarijs criminibus, aduerſùs me, meoſque libros iure teſtari poſſe, expreſsè ac meritò pernego. Viros bonos non inficior, ſed tamen in cauſsâ propriâ teſtes mihi ſuſpectiſſimos verè pronuntio. Nunc tandem aliquid, Scioppi, ad rem accommodatius dicis. Sed vt mittam cætera omnia, quæ adhuc aptè obuertere tibi hîc poſſem: Quid ſi plurimos Ieſuitas non ſolùm bonos viros à te laudatos, ſed etiam probos, & locupletes teſtes à te in teipſum armatos, atque excitatos demonſtro? Quid ſi eoſdem poſt conteſtatam inter vtroſque litem adhuc probatos probo? ſcilicet. Scilicet? Tamen ſi probauero, nónne Ieſuitarum quoque teſtimonijs mox iugulaberis? nónne cuncta tua mendacia ſtatim elidentur? nónne calumniæ omnes prolixè vapulabunt? Vbi Græcæ Calendæ appetent, ais, tum id præſtabis. Scio, nunquam mihi tam muſtulentam amentiam excidiſſe.

excidiſſe. Imò neſcis, Scioppi, te obliuioſum ſenem; quumque tam verſipellis ſis Proteus, quot in formas, & monſtra, & vultus diſceſſeris, memoria te falli perquàm ridiculè. Sed ne dubita, in eam meo beneficio, facilè regredieris.

Num. 137. *Ipſomet Scioppio teſte, nullum mortalium teſtimonium de Scioppio, plus habere fidei debet, quàm Ieſuitarum.*

Nam libellum tuum perexiguum de *Pædia humanarum & diuinarum literarum*, quem anno ∞IↃIↃCXXXVI. Patauij, vbi etiámnum, dum hæc ſcribo, verſaris, in lucem poſt reliquos omnes famoſos ſuprà à me enumeratos, annis ſuperioribus iam diuulgatos, emiſiſti, non potes non habere in recentiſſimâ memoriâ. Atqui in eâdem *Pædiâ* Ieſuitas teſtes tu ipſe teſtaris, & laudas. Ego teſtor? Tu ipſiſſime. Næ ego teſtis inteſtabilis ſum, ſi tam malos teſtes probaui. Improbiſſimus ego ſim, niſi à te probatos probè oſtendero. Faceſſant iurgia, Tua ipſiſſima verba litem dirimant. Lege ſis, quæ illic pag. 30. ſic exarâſti: *Nullum mortalium teſtimonium de Scioppij talentis plus fidei habere debet, quàm Reuerendorum Patrum de Societate Ieſu. Hos enim ſat exploratum eſt, nec intelligentiâ, & indicandi facultate defici, neque in Scioppij gratiam quicquam velle mentiri.* Quis nunc, Scioppi, tuus ſenſus eſt? quid cogitas? quid agis? non rubore ſuffunderis? non trepidas? non exanimaris? cauſſam tuam ad reſtim, nedum ad incitas, redactam non cernis? Oppugnant te acriter, mendacemque te calumniatorem aiunt. Qui? Ieſuitæ *virtute, & doctrinâ memorabiles*, vt in eodem libello a indicas. Tuas in Ieſuitas conſarcinatas Satyras mendaciorum

a *Pag* 31.

Z fæcutinas

ſæ culinas eſſe cloacas ſeriò denunciant. Qui? Ieſuitæ *in virtutis ſtudio ſibi conſtantes*, quos *ſatis exploratum eſt*, vt tu ipſe teſtaris, *nec intelligentiâ, nec iudicandi facultate defici.* Eaſdem Satyras tui liuoris, iræ, atque odij in Ieſuitas certa eſſe monumenta partitè affirmant. Qui? Ieſuitæ, *viri boni, atque innocentes*, quos tu quoque *in Scioppÿ gratiam nolle quicquam mentiri*, palàm fateris. Nihil proinde fidei tibi, nihil tuis iſtis Satyris habendum vociferantur. Qui? Ieſuitæ, *bonorum omnium amore digni*, homines tantæ auctoritatis, atque integritatis, vt tu ipſe explicatè aſſeueres, *nullum mortalium teſtimonium de Scioppÿ talentis plus fidei habere debere, quam Reuerendorum Patrum de Societate Ieſu.* Nunc ergo quæro diſertiſſimè, quod tandem eſt, Scioppi, Patrum de Societate Ieſu de tuis *talentis* teſtimonium? quod elogium? quod iudicium? Hoc omnium conſenſu firmatum, ac roboratum: *talenta* tua eſſe *talenta* obtrectandi omnium hominum generi, præſertim Ieſuitis, vt in meo *Lydio* reuici; a *talenta* portentosè mentiendi de nobis, *talenta* inſanè nos calumniandi, vt in eodem *Lydio*, b atque in his *Vindicÿs* ſatis commonſtraui. Quod iudicium, elogium, ac teſtimonium & certiſſimum, & veriſſimum eſt, *nullumque aliud de te plus fidei*, vt tu ipſe decernis, *habere debet*, à te quoque approbatum, atque ſubſcriptum. Viden' iam, Scioppi, vt Ieſuitarum dictis tanquam ſtylis confoſſus, peris? Viden', vt Ieſuitarum verbis credere coactus es? viden', vt iucundum acroama initio propoſitum, tuum per dorſum, & corium feſtiuè luſerit??

a *Part. 3. cap. 4.* b *Ibid. cap. 6.*

Nunc

Num. 138. *Multa Scioppij mendacia condonantur.*

Nunc quid ſupereſt ? Scioppi, præclarè tecum actum puta, quod cum ijs tibi res eſt, qui lucrum exiſtimant, pluribus à te contumelijs, quas tibi vltro libenterque Chriſti gratiâ remittant, obrui. Alioquin ſi qui hoc officium caritatis ac indulgentiæ minùs cordi haberent, cunctique illi Ieſuitæ à te laudati, in iuſtam tuæ procacitatis pœnam, vno dumtaxat talitro vel leui nares tuas ſinguli percuterent; quàm ſubitò denaſatus enormiter, ridendo prorſus ſpectaculo, qui alios tam petulanter irrides, plebeculam recreares? ſed parco, mihique in præſentiâ ſat eſt, vt ijſdem naribus tua mendacia omnia, atque calumnias in nos vulgata, Ieſuitis teſtibus à te probatis euerberata, atque exciſa funditus, hîc odoreris.

§. IX.

Nonum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, Apoſtolicæ Romanæ Sedis, tum Sacroſanctæ fidei Quæſitoris Hiſpanici iudicia.

Num. 139. *Nona diſputationis conditio.*

Animaduerto, Scioppi, lepido illo acroamate, quod paulò antè ex me audiſti, non vſque adeò te, vt mihi pollicebar, exhilaratum; quin potiùs luxatas tibi admodum non ſolùm aures, ſed etiam ſcapulas, Ieſuitarum nempe teſtimonijs tam duriter, immiſericorditerque pulſatas.

vt ad pugnæ reliquum pugnandum requieſcendi ſpatium tibi indulgendi priùs, viresque nonnihil reficiendas exiſtimem. At Panchreſtum medicamentum adeò præſentaneum tibi iam porrigam, vt eo inunctus, omni mox laſſitudine, ac dolore leuandus ſis. O fabulas & fucos, indignabundus exclamas, ſpecioſè tuo de more bracteatos! Et ego his ampliùs fidam? Nunquam pòſt id locorum, ſi quid in me fidei. Piſcator ictus ſapiet, Fefelliſti me toties, & adhuc quæris, quem porrò ludum facias venefice? Iam falſum me animi fateor, Scioppi; neque enim rebar tantum ſpiritus, atque audaciæ tibi adhuc ſuppetere. Cui tamen paulùm, credo, moderaberis, iramque non inuitus ebullies, vbi intelliges, non eò me hîc reſpicere, vt tu mihi adhuc credas, ſed vt mihi non poſſis credere. Sed quorſum, inquis, iſtuc? operam perdis, actumque agis, quum iam pridem animo obſtinauerim, tibi non credere. At nondum exputas, quam ego inſiſtam viam. Efficiam, Scioppi, vt quæ dicturus ſum, oculis cernas, adeoque mihi fidem eorum habere nequeas.

Num. 140. *Venitur ad publica Ieſuitarum Innocentiæ præiudicia.*

Nam ſi ego omnia tua vulnera, quæ tibi hactenus à me inflicta ſunt, iam non modò alligabo, ſed etiam percurabo; nónne à te omnis morſus doloris illico faceſſet? nónne humanitatis meæ ac lenitatis officium oculis ipſe tuis ſpectabis? nónne tui ipſi oculi, teſtes vtique oculati, nullum extraneæ fidei locum relinquent? Vide nunc, Scioppi, quàm liberaliter, ac prolixè tibi indulgeam. In integrum planè te ego vltro ac lubens modò reſtituo. Omnia innocentiæ Ieſuitarum præiudicia hucuſque à me intentata, quibus ego

tanquam

tanquam telis, clauisque toties te confodi, atque mactaui, induci cupis? inducantur. Cuncta aboleri vis? aboleantur. Vniuerſa nulla eſſe poſtulas? nulla ſint. Nihil debilitatis viribus, nullis neque verberibus, neque verbis à me cęſus, nunc primùm in arenam meum deſcendere expetis? deſcendito. Age age. Iam primitus congrediamur. Priuatis præiudicijs vſque adhuc certauimus: iam publicis iudicijs, tanquam decretorijs armis, præliemur. In illis Dialecticorum ſalebras vel inſidias potes metuere, in iſtis minimè. illic Ieſuitarum artes cauſſari, vel ſuſpectare; iſtic nequaquam. Ibi auctoritatem, vel rationes eludere, hîc nullo modo.

Num. 141. *Scioppij libelli famoſi à S. Congregatione vetiti Innocentiam Societatis produnt.*

Iam etiamſi nullis præiudicijs, Scioppi, laborares; an non te exanimat prorſus, ac perdit Auguſtiſſimi Eminentiſſimorum Patrum Senatus iudicium grauiſſimum, quo præcipui famoſorum tuorum libellorum, quos in noſtri probrum edidiſti, apertè damnati ſunt, ſimulque Societatis noſtræ atque Sociorum innocentia à cunctis tuis mendacijs, atque calumnijs non obſcurè vindicata eſt? Ad tantum nomen num frons, oculi, vultus tibi adhuc conſtant? non vox faucibus hæret? non conſternaris animo? non nutat inceſſus? non totis artubus perhorreſcis? ſed neque dum Apoſtolicum ipſum interdictum exaudiſti. Quis tibi erit ſenſus, quis color, vbi illud audieris? Recitetur,

Decretum S. Congregationis Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum D. D. S.R.E. Cardinalium à Sanctiſſimo D.N. Vrbano Papâ VIII. Sanctâque Sede Apoſtolicâ ad Indicem librorum, eorundemque permiſſionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſſionem in vniuerſa Repub. Chriſtiana ſpecialiter deputatorum, vbique publicandum.

Sacra Indicis Congregatio Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium infraſcriptos libros damnat, & prohibet, mandans omnibus, & ſingulis cuiuſcunque gradus, & conditionis, ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, ne vllus impoſterum eos imprimere, legere, aut quouis modo apud ſe retinere audeat, & ſi quis aliquos illorum habuerit, vt ſtatim omnes à præſentis Decreti notitiâ Locorum Ordinarijs, aut Inquiſitoribus conſignet.

LIBRI AVTEM SVNT.

Actio perduellionis in Ieſuitas S. R. I. iuratos hoſtes Authore Philoxeno Melandro.

Notet Lector, plures alios libros vnà cum iſtis fuiſſe interdictos, ſed quum ad hanc cauſſam nihil pertineant, à me hic omiſſos.

Anatomia Societatis Ieſu, ſiue Probatio Spiritûs Ieſuitarum.

Ieſuita exenteratus.

Myſteria Patrum Societatis Ieſu.

In quorum fidem manu & ſigillo Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Dn. Cardinalis Pij S. Congregationis

Præfecti

Præfecti præſens decretum, ſignatum, & munitum fuit. Romæ die XXIII. *Auguſti* CIↃIↃCXXXIV.

C. Epiſcopus Portuenſ. Card. Pius.

Locus Sigilli.

Fr. Io. Baptiſta Marinus
Ord. Prædicat. S. C. *Segret.*

Die VII. *Septemb.* CIↃIↃCXXXIV. *ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac alijs locis ſolitis & conſuetis Vrbis per me Dominicum Manglium* S.D.N. *Papæ Curſorem.*

Pro D. Magiſtro Curſorum Antonius Bardus Curſ.
Romæ, ex Typogr. Reuer. Cam. Apoſt.
CIↃIↃCXXXIV.

Num. 142. *Reliquis quoque Scioppij famoſis libellis nota inuſta.*

Eodem Apoſtolico Interdicto quin cæteris quoque tuis in Ieſuitas deinceps vulgatis famoſis libris nigrum theta tacitè inuſtum ſit, nemo, Scioppi, qui nôrit eos omnes iiſdem mendacijs, iiſdem calumnijs, iiſdem impietatis, nefariæque doctrinæ piaculis eſſe refertos, ſoliſque nominibus ferè, vel rerum ordine diuerſos, in dubium reuocauerit. Cæca nimirum inuidia, effrænis ira, pertinax odium, impotenſque vindictæ libido ob inanes iniuriarum vmbras, futileſque prorſus offenſiunculas, quas te à Ieſuitis accepiſſe ſomnias, & fortè etiam non parua munera ab inimicâ manu, a vt meritò conicctat Forerus, oblatâ, de mentis poteſtate te deiecerunt, eaſque tuo ori, calamoque faces ſubiecerunt, vt tot ac tam veſana tam flagitioſa, tam abſurda, tamque exe-

a *In Mantiſſa, ſect. 4.*

eranda portenta in nos enitereris, quæ nullus Iudicum non poſſet, ac deberet maximè improbare. Quod ſanè in primis ipſamet Purpuratorum Patrum Sacra Indicis Congregatio probè animaduertit, atque perſpexit; ideoque ad compeſcendam tanti calumniatoris procacitatem, tum ad tot innocentium honeſtam exiſtimationem propugnandam, Orbi vniuerſo, quid tuis iſtis de libris cenſendum eſſet, publico edicto ſapienter patefecit. Quid enim? ſcatent tui probroſi libelli vitioſâ doctrinâ? hanc Patres Eminentiſſimi damnant. Mendacijs farti ſunt? hęc ijdem damnant, E calumnijs in Ieſuitas compoſitis toti conflati ſunt? has itidem ijdem damnant.

Num, 143 *Iudicium* Cardinalium, *Scioppij libellos euertit penitùs.*

Iam ex te quæro, Scioppi, quid de hoc ampliſſimorum *Cardinalium* Apoſtolico Interdicto ſentias, quid ſtatuas? Non quæro, quo id apud te loco ſit, quæ illius apud te auctoritas, quæ reuerentia. Nam quum exploratiſſimum habeam, vt in meo *Lydio* oſtendi, *a* & primarios Eccleſiæ Catholicæ Antiſtites à te irriſos, & Eminentiſſimos Vaticani Patres à te deſpectos, & Pontifices Maximos pro nihilo à te putatos, & Apoſtolicam Sedem à te obtritam, & conſputatam; *b* næ ego inter varrones nimis ſtuperem, ſi huiuſmodi Apoſtolicum pſephiſma Catholicæ fidei, ac Ieſuitarum innocentiæ quoque conſulens maiore obſeruantiâ, quàm cætera, à te cultum arbitrarer; tuque me iure tuo albis dentibus ſtatim derideres, quòd tam aliena à tuo more genioque mihi in mentem veniſſent. Noui, Scioppi, noui tuam in ſcelere peruicaciam; noui auctoritatem Romanorum Ponti-

a *Part.3 cap.5.* b *Parte 2 cap.3.*

Pontificum, & *Cardinalium* in minimis à te poni; noui interdictionem librorum tibi eſſe ludibrio; noui damnatos Codices à te legi, laudari, ac recudi; *a* noui propudioſas tuas Satyras in contumeliam noſtri foras datas, tametſi ab Apoſtolicâ Sede vetitas, ſummo ſtudio & contentione proſeminari, inculcari, foueri, vt pluribus aliàs tum hîc, tum in *Lydio* meo docui. *b* Non igitur tam morus ego ſum, vt iſta quæram, quæ iam teneo tam probè, ac meum nomen: ſed quæro, quo numero hanc ipſam tuorum libellorum damnatoriam tabellam à Summis Sacræ Reipub. Capitibus latam apud verè & probè Catholicos eſſe tibi perſuadeas? effare, quantum ponderis, quantum grauitatis ac religionis, auctoritatem, nomenque Vicarij Chriſti Domini apud bonos & genuinos Eccleſiæ filios in huiuſmodi ſcriptis proſcribendis habere autumas? Potésne, Scioppi, vtcunque audacis, ac præcipitis ingenij ſis, negare, quin maximi à cunctis, vt par eſt, pendatur? quin talis tuorum voluminum damnatio, tuæ cauſſæ penitùs euerſæ teſſera ſit apertiſſima? quin calumniarum tuarum, quas nobis ſtruxiſti, crux certa, & dira ſit? quin quibuſuis priuatis ſequioribus iudicijs, atque exceptionibus ſufflamen inijciat? Caue hiſcas, Grammatice, caue muſſes. Iam tua mentiendi obtrectandique effrænatio coërcita eſt, iam tua calumniandi impudentia profligata, iam Societatis noſtræ innocentia luci reddita, non priuatis ſolùm Ieſuitarum Apologeticis, ſed, quod caput eſt, publico etiam, ac Sacro Eminentiſſimorum Patrum Senatuſconſulto.

a *Part.1.cap.*14. b *Ibid.*

Num. 144. *Scioppiani libelli famoſi, alijs pœnis multati.*

Hæc quum ita ſe habeant, Scioppi, vidésne, quàm malè votis tuis, maledicendi nobis artes, atque conſilia à te ſuſcepta reſponderint? Vides, quàm turpe fronti tuæ, ac tuis lœdorijs ſtigma inſcriptum ſit? Vides, vt debitas tuæ temeritati, ac malignitati pœnas tandem dependeris? quanquam nequedum ſatis. Haud enim ignoras diuino humanoque iure ſancitum, vt crimini ſupplicium par ſit, & per quæ quis delinquit, per hæc & torqueatur; ac proinde vt qui gladio ferit, gladio etiam pereat; vt Ægyptij Nili aquas in ſanguinem verſas bibant, *a* quas ipſi demerſis in eo innoxijs Hebræorum pueris infando ſcelere polluerant; vt Azotij, qui *Arcam Dei extra limites ſuos*, *b* quemadmodum notat magnus Auguſtinus, *pertraxêre, interaneorum ſuorum foràs prominentium fœdâ affligantur clade*; vt Iſraelitæ, *d* qui ex oblato auro vitulum aureum, quem Dei inſtar colerent, ſibi conflârant, eundem à Moyſe in auri ramenta redactum, ſibique aquâ ſuperfusâ propinatum potent. Iam verò quæ ſunt à te deſignata, Scioppi, quæ geſta facinora? Religioſos Ordines mutuâ inter ſe concordiâ bellè ante coniunctos tuorum libellorum malleolis ad noxioſiſſima diſſidia accendere ſtuduiſti, immanem carnificinam in tot innocentes viros virulentis tuis dentibus, & calamis exercuiſti, nomen tuum, offuſis tot Clariſſimorum hominum ſplendori tuorum conuiciorum tenebris, illuſtrare conatus es: tot Hæreticæ nequitiæ documentis, Catholicæ Reipubl. illuſiſti, vt perſpicuè in *Lydio* meo reuici:

a *Exodi* 1. b 1 *Reg.* 5.
b *Lib* 2 *de mirabil. ſact ſcript. cap.* 5.
c *Exodi* 32.

teuici: & iſta omnia, aliaque piacula tam grauia tibi impunita ſint, ac planè libera? Falleris. Fraternâ vnanimitate concinentibus viris diſcordiarum faces ſubieciſti? flammis ſeditioſa tua ſcripta dedentur. Alienæ exiſtimationis ſæuum egiſti carnificem? Carnificis manibus, tuos libellos, tui prolem ingenij addici, atque infamem in rogum iaci ſenties. Lucem tibi è tuarum calumniarum nocte quæſiuiſti? Igne, furua atque atra tua volumina collucebunt. Tam multas Hæreticæ perfidiæ teſſeras ediditi? incendio, iuſto Hæreticorum ſtipendio, donari eas tuis oculis cernes.

Num. 145. *Flammis abſumpti famoſi libelli à Scioppio ſcripti.*

Fatua, inquis, importunæ Ieſuitarum vertiginis prognoſtica, & ludicra prorſus terriculamenta, quibus ne ſeptuennes quidem puſiones moueantur, aut fidem præſtent. Fatua & ludicra, ain' tu Scioppi, prognoſtica, & terriculamenta? Quid ſi hæc omnia ſupplicia de nonnullis famoſis tuis libellis iam ſumpta demonſtro? Nullam interpono moram. Accepiſtíne, quid pœnarum illi propudioſi codicilli in noſtri ignominiam vulgati, quorum pars maxima te parentem nuncupat, Madriti in Hiſpaniâ anno c i ɔ i ɔ c x x x i v. perſoluerint? Ne inſcientiam deinceps cauſſari, vel prætexere queas, narro tibi, eiuſmodi codicillos Apoſtolicâ auctoritate, atque ſententiâ illuſtriſſimi Antonij de Sotomayor è Religioſiſſimâ Dominicanorum Patrum familiâ Archiepiſcopi Damaſceni, ac Generalis in Catholici Regis prouincijs Sacræ fidei Quæſitoris, damnatos eo ipſo anno, atque igni adiudicatos; tum clitellario iumento impoſitos.

poſitos, ſolemni pompâ, ſacroſancti tribunalis prælato vexillo, tympanis tubiſque perſtrepentibus, longo per vrbem agmine circumductos, in foro denique S. Saluatoris à carnifice in accenſam pyram miſſos, ac flammis abſumptos; præter alias pœnas tum fulminis Pontificij in cunctos Religioſorum Ordinum calumniatores intorti, tum orbationis omnium munerum ijſdem ſontibus indictæ, quæ cæteris illic additæ ſunt. Hoc pacto tua flagitia inſigne theatrum aliquando nacta, incredibile dictu eſt, quantum ſplendoris ab eo carnificis igne tuo nomini comparârint. Ego certè cum quocunque mortalium ſponſione certare auſim, te multo potiore iure ab eiuſmodi carnificio incendio *Comitem*, quàm à Clarâ Valle appellandum.

Num. 146. *Fruſtra reclamat Scioppius damnationi libellorum ſuorum.*

Hîc enimuerò tu excandeſcis, Scioppi, ſummamque iniuriam tui nominis claritudini fieri à me queſtus, negas quicquam talis exempli in te ſtatutum vnquam Madriti, aut alibi, clamaſque hæc cuncta Ieſuitarum eſſe commenta ad te dedecorandum excogitata. Vtinam Scioppi, germana fides cordi tibi adeò ſemper fuiſſet, ac Ieſuitis, ne tu tot calumniarum manipulos in eos nunquam commentus fuiſſes. Fruſtra de compoſitæ fabulæ fraude expoſtulas, vbi publica acta hiſtoriæ, quam tibi expoſui, luculentam fidem faciunt. Teſtor ego incorruptas ſententiæ illius, reique totius geſtæ tabulas, quas ex autographo Hiſpanicè exaratas, Latineque verſas Forerus in *Mantiſſa, Sect.* 4. exhibet, tibique ego totidem verbis, quanquam Latinis tantùm, candidè hoc loco reddo.

Num. 147. *Sacri Quaſitoris ſententia.*

Don Frater Antonius de Sotomayor, per gratiam Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Archiepiſcopus Damaſcenus, Inquiſitor Generalis in omnibus Regnis, & Dominijs ſuæ Maieſtatis, eius Confeſſarius, & de Conſilio Status &c. Conſiderando plurimum intereſſe, vt Religiones in veneratione ſint apud fideles, & vt euitentur occaſiones, quæ dare poſſunt motiua Hæreticis, qui ordinariè in ſuis ſcriptis illas traducere procurant, quum illæ ſint, quæ cum libertate Chriſtiana illorum falſa dogmata impugnant, totum ad maius Dei Domini noſtri obſequium, & eius Eccleſiæ, quam adeò affligunt hæreſes horum temporum, pariterq; deſiderando vnionem, pacem, & concordiam Religionum, & vt omnimodè ceſſent, diſſidia periculoſa conſcientijs, quæque generale pariunt ſcandalum, magnâ cum læſione exiſtimationis eorum, qui occaſionem dant iſtis nouitatibus. Ideò vtendo autoritate Apoſtolicâ nobis conceſſâ, tenore præſentium mandamus, vt quæcunque perſona Eccleſiaſtica, vel Secularis horum Regnorum, cuiuſcunque ſtatûs, conditionis, dignitatis, aut præminentiæ illa ſit, quæ à die publicationis huius noſtri edicti, Religiones, aut Religioſos taliter iniuriauerit, vt offenſio, ſeu iniuria redundet in Religionem, ſiue dicta offenſio aut iniuria à verbo facta ſit ex pulpito, aut cathedrâ, ſiue ſcripto, aut quicunque ad id iuuerit, incurrat in pœnam Excommunicationis maioris; declarando illum ex nunc, vti illum declaramus, priuatum quocunque officio, aut functione, quam habebat ab Inquiſitione, inſuper inhabilem, & incapacem ad ea retinenda, nec poſſit vllo tempore in integrum reſtitui, præter alias pœnas, & exemplares caſtigationes, quæ conformiter iuri in tranſgreſſores executioni dabuntur, & vt omnino ceſſent temerarij auſus hiſce diebus deprehenſi in publicatione librorum abſque Authoris, Loci, & Typographi

phi nomine contra Religionem Societatis Ieſu, eiuſque inſtitutum, iis falſo imponendo Leges, & Inſtitutiones politicas, indignas ſuâ ſacrâ Religione, animo (quantum apparet) illam infamandi, & exiſtimationem ipſius apud fideles imminuendi, impediendique fructum, quem facit in ſeruitio Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ; ideò ad penitùs abolendam memoriam, & ad caſtigandos, quantum quidem fieri poteſt, in illis eorum Authores, cum placito Dominorum, qui ſunt de Conſilio ſuæ Maieſtatis Sanctæ Generalis Inquiſitionis ſtatuimus, vt publicè comburantur (quod iam factum) tamquam impii, calumnioſi, & ab omni veritate alieni; tractatus intitulatus: Singulares & ſecretæ admonitiones &c. *& alius, cuius titulus eſt,* Admonitiones ſecretæ ad bene intelligentes &c. *& ille, qui nuperrimè ſparſus incipit, verſu Græco, & mox ſubiungitur:* Magiſter Franciſcus Roales, *hoc eſt,* Manifeſtatio & Satisfactio in luce totius Eccleſiæ Sanctæ Dei &c. *& in fine impreſſis literis ſubſcriptus eſt:* Magiſter Franciſcus Roales. *Mandamus ſimiliter, vt deinceps nulla perſona Eccleſiaſtica, nec ſecularis, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, qualitatis, dignitatis, vel præminentiæ ſit, illos imprimat, retineat, vendat, nec legat impreſſos, ſub pœna Excommunicationis maioris latæ ſententiæ, trinâ Canonicâ monitione præmiſſâ, & quinquaginta ducatorum pro ſumptibus Sancti Officii, & ſub iiſdem Cenſuris & pœnis intra diem tertium publicationis huius noſtri Edicti, & cùm ad notitiam veſtram peruenerit, vt illos tradatis, & exhibeatis Secretario infraſcripto, aut cuicunque Commiſſario Sancti Officii, vt illos præſentet in Conſilio ſuæ Maieſtatis, Sanctæ Generalis Inquiſitionis, & deinde cauſſa cognita prouideatur de eo, quod magis conuenerit, tractetur que de remedio tam grandium exceſſuum. Quicunque etiam ſcieritis alias perſonas, quæ illos tractatus penes ſe habeant, id dictis Miniſtris mani-*

feſtare

ſtare intra dictum terminum, ex quo ad veſtram notitiam peruenerit, ſub eadem pœna & Cenſuris ſupra contentis, in quas nunc ſtatim incurriſſe declaramus illos, quicunque contrarium feceritis. intimantes, quod contra inobedientes & rebelles noſtris mandatis, vltra iam dictas pœnas proceſſuri ſumus ad alias iure conformes. Et ne vlla perſona prætendat ignorantiam, aut excuſationem, mandamus dari & damus Edictum iſtud ſubſcriptum noſtra manu, inſignitum noſtro ſigillo, & regiſtratum à Secretario ſuæ Maieſtatis, & Conſilij infraſcripti. Datum Madriti 30. Iunij Anno 1634.

Frater Antonius Archiepiſcopus Inquiſitor Generalis.

Ex mandato ſuæ Dominationis Illuſtriſſimæ: Licentiatus Sebaſtian de Huerta. Signatum à Dominis Conſilij ſuæ Maieſtatis Sanctæ Generalis Inquiſitionis, Ortiz, Pacheco, Farinnas, Salazar, Frias, Zapata, Iberra.

Concordat cum Regiſtro meæ Secretariæ. Subditur dein

Execvtio Decreti iam recitati.

Num. 148. *Executio Decreti iam recitati: quomodo facienda.*

Ego Don Ioannes de Mendoza Canonicus Sanctæ Eccleſiæ Cathedralis Legionenſis, & Secretarius Sancti Officij Inquiſitionis Toletani Teſtificor, & fidem facio, quod die Iouis, feſtiuitate Sancti Petri Apoſtoli ſacra, nimirum vigeſima nona Iunij, Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti, hora ſexta veſpertina, conuenimus in ædibus Domini Licentiati, D. Ioannis Dionyſij Fernandez Portocarreri, Inquiſitoris Apoſtolici Regni Toletani, quæ ſunt in platea vallis viridis huius vrbis Madridienſis, D. Ioan. de Sancta Cruce

primarius

Primarius Iudex dicti Sancti Officij Inquiſitionis Toletani, & Ludouicus Malo Familiaris dicti Officij, & Præfectus Congregationis Miniſtrorum dicti Sancti Officij in hac vrbe, & magnus numerus Familiarium. Cùm omnes conſcendiſſemus equos, & dictus Præfectus cum vexillo dictæ Congregationis, omnes in ordinem diſpoſiti, præcedentibus tubis, & tympanis, & Iumento clitellario cooperto rubro holoſerico, cui ſuper impoſita erat magna area igneis flammis depicta, in qua geſtabantur tractatus illi, qui per ſententiam Dominorum Conſilij ſuæ Maieſtatis Sanctæ Generalis Inquiſitionis, nono Martij huius dicti Anni ſexcenteſimi trigeſimi quarti iubentur comburi, & antequam abiremus à porta ædium dicti Domini Inquiſitoris, clarâ & intelligibili voce promulgatio facta eſt ſequentis tenoris.

Num. 149. *Publicatur Executio huius Decreti.*

Notorium & manifeſtum ſit omnibus, quod Sanctum Officium Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem, & Apoſtaſiam, conſiderans auſus hiſce diebus palàm viſos in publicatione librorum abſque nomine Authoris, Loci, & Impreſſoris Contra Religionem Societatis Ieſu, & ſua Sancta Inſtituta, ijs imponentes falsò Leges & Inſtitutiones Politicas tam ſacrâ Religione indignas; animo *(quantum apparet)* illam infamandi, & exiſtimationem illius apud Fideles imminuendi, & impediendi fructum, quem facit in Dei, & Eccleſiæ ſuæ ſeruitio; *ad abolendam penitùs illorum memoriam, & ad caſtigandos, quantum quidem fieri poteſt, in illis eorum Authores; mandauit, vt Tractatus intitulatus:* Singulares & ſecretæ admonitiones, &c. *Et alius, cui titulus eſt;* Admonitiones ſecretæ ad bene intelligentes,

&c.

&c. *Et ille, qui nuperrimè ſparſus incipit à verſu Græco, & mox ſubiungitur :* Magiſter Franciſcus Roales: *Hoc eſt*, Manifeſtatio, & ſatisfactio in luce totius Eccleſiæ Sanctæ Dei, &c. *Et in fine ſubſcriptus eſt, literis impreſſis* Magiſter Franciſcus Roales. *publicè comburantur tamquam impij, calumnioſi, alieni ab omni veritate, pleni detractionibus contra quoſdam Religioſos, & tam Sanctam Religionem, bene meritam de Eccleſia, cui tam nota & manifeſta præſtat beneficia. Id vt in notitiam veniat vniuerſorum, publicè publicari mandatur.*

Num. 150 *Eadem Executionis forma in effectum deducta.*

Publicatione peractâ, dicto Ordine perreximus per dictam plateam Vallis viridis, & inde per illam de Fuencarral peruenimus ad Sanctum Ludouicum, & ad portam Solis, & pergendo per plateam maiorem, & tranſeundo portam de Guadalaſchara, peruenimus ad forum Sancti Saluatoris, quod forum vrbis dicitur, in quo parata erat magna ſtrues Lignorum, iuxta quam facta fuit altera publicatio ſimilis priori, quâ factâ, carnifex arcam iumento impoſitam demiſit, eâq; in ſupradictam ſtruem iniecit dictos illos tractatus, qui in ea geſtabantur, & mox ipſam quoque arcam, ſic vt cuncta ſimul fuerint combuſta. Quod vt omnibus conſtet, do iſtud teſtimonium nomine meo ſubſcriptum, & ſignatum ſigillo Sancti Officij. Madriti trigeſimâ die Menſis Iunij, Anno CIƆIƆCXXXIV.

Concordat cum teſtimonio, quod tradidit Licentiato Sebaſtiano de Huertâ Secretario Suæ Maieſtatis, & Conſilij Sanctæ Generalis Inquiſitionis.

L. S.

Don Ioan. de Mendozâ.

Num.

Num. 151. *Hiſpanicæ Inquiſitionis tribunal, Scioppij libellos deſignat.*

Hactenus compertiſſima Sacri Quæſitoris acta. Iam te, Gaſpar Scioppi, interrogo; in quem iſta Auctorem animaduertunt? Cuius libros damnant incendio? omnia in te potiſſimum collineari non cernis? Quos enim Codices, quæ volumina grauiſſimum illud Hiſpanicæ *Inquiſitionis* tribunal, ſeueritate, doctrinâ, ſapientiâ, ac maieſtate maximè verendum, abolenda iudicat? ea, quæ ſine nomine Auctoris, Loci, & Typographi impreſſa, Religioſam familiam Societatis Ieſu, eiuſque inſtitutum vituperant. At quid tibi cunctis in tuis Satyris, nullo loci editoriſque nomine, perſonatoque Auctore vulgatis, magis offirmatum, quàm Ordinem noſtrum, atque inſtitutum exagitare? ea, quæ conſecratos Deo homines obſequiosâ populorum veneratione expoliant. At quid ijſdem in Satyris tibi adeò deſtinatum, quàm Religioſos viros, præſertim Societatis noſtræ dedecorare, ludibrio habere, cunctis inuiſos, ac deſpicatiſſimos reddere? ea, quæ Religioſos inter cœtus periculoſa ſerunt diſſidia. At tuis in libellis quid tibi adeò conſtitutum, quàm Societatem Ieſu cum alijs omnibus Religioſis familijs committere, ſummamque in inuidiam apud omnes adducere? Num dubium cuiquam eſt, ſecurim eiuſmodi Apoſtolico interdicto ijs præcipuè ſcriptis infligi, quæ occaſionem Hæreticis Religioſorum Ordinum traducendi aperiunt? Tu in tuis eoſdem Hæreticos tetærrimis exemplis ad viros Deo peculiari ſacramento authoratos irridendos laceſſis. An obſcurum, plagam ijs codicillis ibidem inijci, qui nobis leges atque inſtitutiones politicas noſtro

Reli-

Religioſo cœtu indignas affingunt? Tu in tuis hoc ipſum operoſiſſimè moliris. An controuerſum, illic eos maximè libellos multari, qui animo nos infamandi, atque exiſtimationis noſtræ apud Catholicos deterendæ, tum fructus etiam, quem Eccleſiæ Chriſti afferre ſtudemus, corrumpendi, nos, & noſtra dehoneſtant? Tu in tuis hùc pariter omnes tuos conatus refers, huc cunctos neruos intendis; ad Societatem noſtram ac Socios infamiâ premendos, vrgendosque, nihil non mendaciorum & calumniarum architectaris. Quid porrò *Singulares* illæ, & *Secreta Admonitiones* ſunt, quid *Admonitiones Secreta ad bene intelligentes*, quæ eâ Madritienſi conflagratione tam abſumptæ ſunt, quàm ipſiſſima illa *Secreta Inſtructio*, quam tuæ Anatomiæ totidem verbis intexuiſti?

Num. 152. *Scioppij libellos contra Ieſuitas, Hiſpanica Inquiſitio pro mendacibus habet.*

Sed cur, quæſo, Scioppi, tui iſti libelli in noſtri contumeliam emiſſi ab Ampliſſimo illo Sacræ fidei Magiſtratu vnà cum alijs anno CIↃIↃCXXXIV. Madriti damnati ſunt? Nullius reſponſum hîc ego accipio, niſi publicæ eiuſdem Magiſtratus ſententiæ ſuprà recitatæ verbis expreſſum. Cur, inquam, tui iſti Codicilli tum damnati ſunt? quia *ab omni veritate alieni.* Cur iumento clitellario impoſiti, & per vrbem ad probrum circumducti? quia *calumnioſi.* cur carnifici traditi? quia *pleni detractionibus contra Societatem Ieſu*, cur flammis cremati? quia *impij.* Hæ quippe illæ ipſæ notæ ſunt, hæc illa crimina, præ quibus, vt palàm illic denunciatur, ijdem damnantur, iumento imponuntur, carnifici deduntur, igni comburuntur.

Vnde grauiſſimo præterea præiudicio & cæteri tui famoſi libri in noſtrum Ordinem foràs dati, ceu à veritate alieni, ceu calumnijs referti, ceu obtrectationum pleni, denique ceu impij meritò perculſi cenſendi ſunt. Quamobrem illud à me planè confectum differri ampliùs ſaluo pudore non potes; etiamſi Societatis noſtræ, & Ieſuitarum innocentia nullis anteà præiudjcijs euocata, in lucem ſe emerſiſſet; geminis hiſce Iudicijs tum Sacræ Indicis *Congregationis*, tum Generalis *Inquiſitionis* Hiſpanicæ egregiè laudatam, de omnibus tuis mendacijs, & calumnijs glorioſiſſimè nihilominùs triumphare.

§. X.

Decimum innocentiæ Societatis Ieſu præiudicium, paucitas delinquentium.

Num. 153. *Iterum Scioppio gratia fit.*

Quanquam tot præiudicijs, atque iudicijs à me tranſuerberatus, Scioppi, iam planè iaceas, digitumque exſerere, velis, nolis, neceſſe habeas: age tamen, meâ indulgentiâ iterum lucis vſurâ fruitor, probeque glutinatis vulneribus, ſoſpes intergerque euadito: cum eo tamen, vt in arenam denuò mecum deſcendas. Hic ego nouum prorſus, inauditumque certaminis, & victoriæ genus auſpicor. Abiectis ſcuto, gladio, thorace, & haſtâ, inermis in aciem procedo; nihilominùs ſcutato, thoracato, atque haſtato longè munitior. An non magni id inſtar portenti? Parum eſt. Cauſſam ipſe meam vltro prodam, ſuccumbamque, & tamen ſuccumbendo victor multo fortior excedam. Quàm inſolens monſtrum! Mox, Scioppi, ſpectabis.

bis. Fallacias, vel ludificationes ne ſuſpicator. Tu animum aduertito, ego opus aggredior.

Num. 154. *Ieſuitas omnes perfectos eſſe, nemo Ieſuitarum credit.*

Ieſuitas omnes ex formulâ viuere, ſi quis me roget, Scioppi, ingenuâ ſynceráque fide pernegem; omnes innocentes eſſe, ego non credo, omnes vndique perfectos, ac beatos non puto; neque aliter cuiquam ex noſtro Ordine videri, omnino mihi perſuadeo. Quis enim noſtrum tam hebes ſit, vt neſciat, nullum eſſe corpus humanum tam bene conſtitutum, cui ſua fex deſit? nullam faciem tam ſpecioſam, quæ næuo careat? nullum cœlum tam purum ſudumque, quod ſpiſſæ interdum nubes nobis non intercludant? Certè Tertullianus Catholicæ hoſtes Eccleſiæ ex nonnullis improbis, qui eius in cœtu cenſentur, illius calumniandæ anſam arripientes hoc potiſſimùm repellit telo, quod *Neceſſe eſt in corpore, & quantumvelis integro aut puro,* quemadmodum ipſe ſcribit, a *vt næuus aliquis effruticet, aut verrucula exurgat, aut lentigo ſordeſcat. Cœlum ipſum nulla ſerenitas tam colata purgat, vt non alicuius nubecula flocculo reſignetur.* Et quiſquam Ieſuitarum ita inſaniat, vt in Religioſæ noſtræ familiæ corpore, cœloque tam magno (ſiquidem Religioſum ſtatum etiam Beatorum Cœtui, ne dum cœleſti Orbi rectè componi probat noſter Platus b) nihil vſpiam exſtare labis, nihil fuliginis, aut maculæ arbitretur? Nemo noſtrum adeò delirat, Scioppi, nemo prorſus. Quid enim mirum, aut inſolens; ſi pauci aliqui de tam numeroſâ Sodalitate ab officio diſcedant, cæteri tam multi præclarè eo fungantur? Tu ipſe olim in tuo *Hypobolimæo* hoc ipſum vidiſti, c vbi ex-

a *Lib 1. ad Nationes.*

b *Lib. 3. de Bono Status Relig. cap. 14.* c *Pag. 147.*

expreſsè caues: *Quod ſi quis nonnullos è* Ieſuitis *putet eſſe indoctiores, & proinde inſolentiores (quod vt non nego, ſic neque dictum volo) quid tandem mirum hoc ſit in Sodalitio tam numeroſo, & amplo?* Quin multo etiam poſt, quamuis iam tuorum libellorum tempeſtatem peſtemque ferè omnem in nos effuderas, idem nihilominùs tum in tuo *Arcanorum Dadalo*, a tum in tuâ *Anatomia* b conceptis verbis confirmâſti, diſertè teſtatus; *Corruptelam* Societatis noſtræ *nonniſi ad paucos pertinere; magnum aliorum numerum ſibi in virtutis amore ac ſtudio conſtare:* vt aliàs iam non ſemel quoque antea commemoraui.

a *Pag.* 50. b *Pag.* 3.

Num. 155. *Refellitur Scioppius, paucos aberrantes iniquè carpens.*

Vnde facilè, opinor, animaduertis, Scioppi, iam tibi à me amicam dexteram porrigi, iam me exarmatum, quod tibi pollicitus ſum, pugnare, imò nec pugnare, nec repugnare, ſed tua in caſtra volentem, lubentemque tranſire. Paucos tantummodò Ieſuitas ab inſtituto deflectere vis. Ego ipſe vltro cum omnium Ieſuitarum aſtipulatione id tibi largior. Quid cupis amplius? Nónne iam totus in tuo ære ſum? At cerne nunc quanto nobiliorem, lætioremque victoriam ex hac ipsâ meâ conceſſione reporto. Nam tameſi paucos dumtaxat deprauatos Ieſuitas eſſe fatearis, tamen præ hiſce paucis cæteros quoque innocentes atque in virtutis ſtudio ſibi conſtantes, vt tu ipſe ſcribis, tuarum Satyrarum flagris acerbiſſimè cædis, quâ carnificinâ vt nihil immanius, ita nihil iniquius. Quid enim ſæuius, atque improbius, quàm de noxijs paucorum pœnas ab innoxijs repetere? Ego verò ad flagitioſam hanc tuam ſycophantiam frangendam,

com-

compeſcendamque, grauiſſimum illud magni Auguſtini patrocinium, *a* quo is ſimili planè in cauſâ aduersùs obtrectatores aliquando vſus eſt, à quolibet noſtrorum moderatorum tempeſtiuè obduci, tibique iiſdem hiſce totidem verbis tum pro ſe, tum pro cunctis ſubditis commodùm ingeri ſentio; nec quiſquam ſanus aliter exiſtimabit. *Quantumlibet enim vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quàm Arca Noë,* b *vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus eſt; aut melior ſit, quàm domus Abrahæ,* c *vbi dictum eſt:* Eijce ancillam, & filium eius. *Aut melior ſit, quàm domus Iſaac,* d *cui de duobus geminis dictum eſt:* Iacob dilexi, Eſau autem odio habui: *Aut melior ſit, quàm domus ipſius Iacob,* e *vbi lectum patris filius inceſtauit: aut melior ſit, quàm domus ipſius Dauid,* f *cuius filius cum ſorore concubuit; cuius alter filius* g *contra Patris tam ſanctam manſuetudinem rebellauit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod ſuperiùs commemorauit;* h Foris pugnæ intus timores; *nec diceret, quum de Sanctitate, & fide Timothei loqueretur;* i Neminem habeo, qui germanè de vobis ſolicitus ſit: omnes enim ſua quærunt, non quæ ſunt IESV Chriſti: *Aut melior, quàm cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua vndecim boni perfidum, & furem Iudam tolerauerunt: aut melior ſit poſtremò, quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt.* Hæc cum Auguſtino ſinguli noſtrorum Præſulum validiſſimè.

a Epiſt 137. b *Gen.* 7. c *Gen* 19. d *Gen* 21. *Malach.* 1. e *Gen.* 49. f 2. *Reg.* 11. g 2. *Reg.* 15. h 2. *Cor.* 7. i. *Phil.* 2.

Num.

Num. 156. *Ingenti exemplorum vi, refutatur Scioppius.*

Quid tu iam oggannis? quia aliqui Ieſuitarum deſcriptam Ignatij formam deformant moribus, tu reliquis omnibus diem dicis? quàm præpoſterè! Quanta Noe Patriarchæ ſanctitudo? quàm exiguus octo hominum in Arcâ numerus? & tamen vir ille tantus tantulum numerum à ſceleſti Chami infamiâ liberare non potuit. Et ſi qui ex tot Ieſuitarum millibus à primæuo ſpiritu degenerârunt, illico nos omnes reprehendas? quàm dementer! Quanta Abrahami tot gentium parentis integritas? & tamen hæc alterum è duobus filijs Iſmaelem ab improbitate abſtinere nequiuit. Tu ſi omnes è tot millibus filiorum Ignatii probi non ſunt, crudeliter omnes dilaceras. Quàm improbè! Quanti Iſaaci ad aram vſque obſequentis innocentia? & tamen hæc vnum è gemellis Eſau à perfidiâ minimè retraxit. Iam ſi aliqui noſtro ex Ordine tam conferto, retro reuoluuntur, confeſtim nos cunctos execraris. Quàm ſtolidè! Sanctiſſimorum virorum Iacobi, & Dauidis ædes delictorum expertes non ſunt, Pauli Apoſtoli hoſpitia à piaculis intacta non ſunt, in Chriſti Domini Apoſtolico Senatu vnus proditor Iudas non deeſt, cœlum ipſum perduellium Angelorum nequitiâ inquinatur; Et tu omnes noſtras domos, omnia noſtra Collegia nullâ penitùs ſorde fœdata, Iacobi, ac Dauidis laribus mundiora eſſe iubes? inſubidè. Apoſtoli contubernio religioſiora? ineptè. Chriſti Apoſtolico Senatu ſanctiora? abſurdè. Cœlo ipſo puriora? inſcitè, ac ſtultè.

Num.

Num. 157. *Scioppius paucorum Ieſuitarum piacula cæteris omnibus affingit.*

Verùm multo adhuc te flagitioſiorem oſtendis, Scioppi, non ſolùm, quia Ieſuitis vitio vertis, quòd nonnulli ex ipſis, vt iam indicaui, Religioſis legibus minimè congruenter viuant; ſed etiam quia ex paucorum vitijs cæteros quoque omnes pariter eſſe vitioſos, & tu ipſe colligis, & reliquos etiam in eandem ſententiam conaris pertrahere; ac tametſi corruptelam Societatis noſtræ nonniſi ad paucos pertinere, ac multo plurimos è noſtris Socijs innocentes reperiri perſpicuè ſcribis, vt vidimus; nihilominus ita vniuerſam Societatem, & Ieſuitas omnes, vt ſuprà, atque in *Lydio* meo *a* planum feci generatim allatras, perinde ac ſi nullum prorſus excepiſſes: ne hilum quidem etiam, quod tecum ipſe turpiter pugnes, ſolicitus, dummodo Ieſuitas quacunque demum ratione omnes oppugnes. Cui enim Ieſuitarum tuæ illæ calumniæ pronuper à me *b* è tuis libellis famoſis commemoratæ parcunt? *Miraculi inſtar eſſe aliquem in Societate inueniri, qui ſeditionibus ac tumultibus non ſit implicatus? fel amaritudinis eſſe toto corpore Societatis diffuſum, vt nemo vel fratri ſuo germano fidem habere poſſit? ſi euoluantur Patris Generalis ſcrinia, ne vnum quidem in tota Societate virum bonum inuentum iri?* & alia huiuſmodi probra innumera tuis inculcata codicibus, quæ vniuersè nobis omnibus inuruntur?

a *Part.* 4. *cap* 8. b *Suprà* §. 7.

Num. 158. *Iniquiſſimè paucorum culpa tribuitur omnibus.*

At quanta eſt tua iſta amentia? quanta iniquitas? quanta impudentia? nónne ex illâ nebulonum turbâ deriuata, de quibus indignabundus Auguſtinus, *Ad quid aliud,* exclamat, *a ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi, vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, iactent, contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari?* Hæc eſt præclara tua Dialectica, Scioppi; pauci ex Ieſuitis probi non ſunt. Ergo omnes improbi, etſi non dignoſcuntur. *Hæ ſunt voces mundanorum blateronum* (vt verba Auguſtini egregiè edifferit Hieronymus Mautinus Narnienſis è ſacrâ Capuccinorum familiâ Pontificins Concionator, *b* à Forero etiam laudatus) *c qui linguam falci ſimilem, quæ ex omni herbâ fœnum metit, geſtant. Omnes Epiſcopi, omnes Clerici, omnes Monachi, omnes Moniales, omnes Fratres,* adde etiam noſtri gratiâ, omnes Ieſuitæ *huic, qui malè audit, pares ſunt. Sed nobis omnes noti non ſunt, ſed non omnes poſſunt manifeſtari.*

a *Epiſt.* 137. b *Concione de S. Thoma Apoſt. part.* 2. *pag.* 175 *Romanæ editionis anni* CIↃIↃCXXXIII.
c *In Epilogo* Anatomiæ *pag.* 261.

Num. 159. *Etiam in Rebus publicis, nihil multitudini præiudicant paucorum errata.*

Nunc ſine, quæſo, Scioppi, vt breui, ac paucis de mirâ huiuſmodi tuâ Logice te interrogem. Pleraſque vxores fuiſſe vſurarias, nec deeſſe, quæ fidem coniugi datam infami adulterio polluant, in confeſſo eſt. Num tu propterea matrem tuam quoque alteri, quàm patri tuo, conſuêſſe, pudoremque profanâſſe cenſes? apage. Quot puellæ virgini-

virginitatem fœdè proſtituunt? num idcircò tu vel ſorores tuas omnes, vel cunctas affines nullis iunctas viris connubio, proſtitutis annumeras? ô nefas! Quot fures, quot latrones, quot ſicarij, quot proditores flagitijs vexant rempublicam? num ideò tu continuò hiſce ſontibus tuos conſanguineos omnes accenſes? abſit tantum ſcelus. Et nihilominus ſi qui Ieſuitarum delinquunt, cæteros omnes Socios extemplo adulteros, fures, ſacrilegos vociferaris? Quis furor vſpiā erit, ſi is non eſt, & quidem limphatus, atque phanaticus? *Et tamen etiam ipſi, quum aliqua maritata inuenitur adulterata* (cerne fulmen, quod in caput tuum tuoſque congerrones intorquet Auguſtinus a) *nec proyciunt vxores ſuas; nec accuſant matres ſuas:* ſeu vt explicat Narnienſis iam appellatus, b *quum alicuius vxorem in adulterio deprehenſam accipiunt, ferre nequeunt, vt eius infamia ad cæterarum mulierum commune nomen pertineat. Neque propterea domo pellunt proprias matres, neque à proprijs coniugibus abſcedunt, neque patiuntur culpam ſceleſtæ ad alias trahi, ne pudicæ matrona huiuſmodi calumnijs vllo modo perſtringantur. Quâ in re ſapiunt, meritoq; laudandi.*

a *Epiſt. laudatâ.* b *Loco indicato.*

Num. 160. *Retorquentur tela immiſſa.*

At quæ te deinde importuna vertigo tranſuerſum, quæ tuo de grege comites vecordia præcipites agit, vt viros Deo ſacratos menſurâ adeò peruerſâ metiamini? vt *quum de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur,* quemadmodum luget idem Auguſtinus, a *aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtetis, ſatagatis, ambiatis, vt de omnibus hoc credatur?* Sed præſtat eundem Narnienſem in te, ac tui ſimiles captiones ſapienter ita perorantem audire. b *Cur deinde adeò in Religioneo*

a *Loc. laud.* b *Loc. indic.*

efferantur, vt quidquid noxiæ vni affingitur, ſeu verum, ſeu falſum, ad bonos etiam omnes, totumq́ Religionis corpus transferendum velint? Cur ſecum non reputant, in magnis Religionum Prouincijs Religioſos imperfectos, & malos vnà cum bonis, ſine horum vllâ noxâ, poſſe vitam exigere? Cur non cogitant homines eſſe, qui vnà cum vitæ genere naturæ fragilitatem non exuerint? cur non conſiderant fucos eſſe, qui inter apes verſentur, præ quibus neque aluearia pereant, neque apes pellantur? Cur non animaduertunt, eſſe Religionum Cananæos, qui præſides exercent, & bonorum virtutem probant? Cur denique non expendunt, eſſe tot errabundas oues, filiosq́ imbecillos, qui paſtoris humeris, matrisq́ gremio indigeant? Vide igitur, Scioppi, qui vnius Ieſuitæ, vel paucorum ob labem, inuidiam nobis omnibus conflare niteris, cunctosque rabidè carpis, quo pacto matrem tuam, patrem tuum, conſanguineos atque affines tuos ab adulterij, inceſtus, furti, latrocinij, aliorumq́ue ſcelerum ſuſpicione, ac dedecore vindicare queas. Aut ſi æquo animo ferre non potes, huiuſmodi rationes à te exigi, diſce aliquando in Ieſuitas, tam generatim præcipuè, non inſanire.

Num. 161. *Scioppius Inſtitutum Ieſuitarum exagitat infeliciter.*

Cæterùm tua nos calumniandi libido non hîc lineas ſibi admoueri patitur, neque dum extrema tangit; ſed inofficioſâ paucorum vitâ culpam in ipſum quoque Ieſuitarum inſtitutum, vt pluribus in *Lydio* meo *a* exequutus ſum, transfert; ijs omnino par, qui à corruptis nonnullorum Catholicorum moribus, vel eiuratâ etiam diuinâ fide religionem quoque ipſam turpiter vitiatam non minùs inſanè, quàm impiè fabulantur, de quibus appoſitè

a *Part. 2. cap. 8.*

appoſitè Tertullianus; *Solent quidem iſti myriones, inquit, a etiam de quibuſdam perſonis ab hæreſi captis ædificari in ruinam. Quare illa, vel ille fideliſſimi, prudentiſſimi, & vſitatiſſimi in Eccleſiâ in illam partem tranſierunt? Quis hoc dicens, non ipſe ſibi reſpondet, neque prudentes, neque fideles, neque vſitatos æſtimandos, quos hæreſes potuerunt demutare? Et hoc mirum (opinor) vt probatus aliquis retro, poſteà excidat? a Saul bonus præ cæteris, liuore poſteà euertitur. b Dauid vir bonus ſecundùm cor Domini, poſteà cadit, & ſtupri reus eſt. c Salomon omni gratiâ, & ſapientiâ donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio ſeruabatur ſine delicto permanere. Quid ergo, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere?* Eâdem prorſus & tu oberras chordâ. Quia nonnulli Ieſuitarum gratiam laxatæ luxatæque Religioſæ diſciplinæ ſibi faciunt, nimiſque ſe indulgent, ipſum eorum Inſtitutum infrunito ore criminaris, taciteque illa piacula, quæ ab eo damnantur, tueris. Sed num *ex perſonis*, vt aptè ſubdit Tertullianus *probamus fidem? an ex fide perſonas?* parique ratione an ex Ieſuitis Societatis Ieſu inſtitutum probandum? an ex Inſtituto Ieſuitæ? hoc omnino: nam ij probati ſunt, qui ei ſe probant, illudque in opus ducunt, vt conſtat: non è contrario illud improbum, quia aliqui ex his ab eo vitâ diſſentiunt.

a 1.*Reg*.10.& 13. b 2.*Reg*.12. c 3.*Reg*.3.

Num. 162. *Exploditur Scioppius.*

Quare tuæ malignitatis, ac nequitiæ ſumma ea eſt, quòd maculas omnes, quæ nonnullis Ieſuitis, diuino conſilio, atque ſapientiâ conniuente, vt reliquorum virtus tanto magis ſplendeſcat, impreſſæ ſunt, ad vniuerſam Societatem noſtram cunctoſque Socios noſtros dehoneſtandos temerè,

flagitioſeque traducis. *Nam medica macula in fronte*, vt acutè notat Tertullianus, *a in parte quadam exemplari riſa, quo vniuerſitas munda eſt. Maior boni portio medico malo ad teſtimonium ſui vtitur.* Quam diuinam Philoſophiam qui cœno merſus non aſſequeris, minùs iam miror, te ab eâ tam longè peregrinari: Interim inconſultam tuam audaciam, ferreumque os iuſto hîc à me prœlio ſubacta ac domita inficiari non potes. Pugnaui inermis, armatum te debellaui. Sponte me tibi dedidi, inuitum te expugnaui. Vltro cecidi, victor ex acie glorioſior excedo, in lucro magno ponens, quod lubens perdidi.

Abſolui iam, Scioppi, decem innocentiæ Societatis Ieſu, tuarumque calumniarum, præiudicia, quibus tuos omnes famoſos libellos in eam noſtroſque Socios à te editos, etiamſi nullis alijs arietibus prætereà illos pulſarem, funditus profligaui. Sed age reliqua quoque machinamenta in eoſdem fabricata modò luſtremus.

a *Lib.* I. *contra Nationes.*

§. XI.

Singulares innocentiæ Societatis Iesv Vindiciæ.

Num. 164. *Reſponſiones ad famoſos Scioppij libellos recenſentur ſigillatim.*

Hactenus, Scioppi, Præiudiciorum generali ferè certamine ad tuos codicillos omnes nobis infeſtos obterendos feliciter defunctus, venio nunc ad ſingula quæque tuorum mendaciorum, & calumniarum capita peculiaribus mactanda Apologeticis.

Intean-

Intendiſti primùm *Actionem Perduellionis*, & *Flagellum Ieſuiticum* Hæc Laurentius Forerus noſter, vulgato *Antimelandro* Monachij apud Nicolaum Henricum anno ,CIↃIↃCXXXIII. penitùs eliſit.

Emiſiſti deinde *Anatomiam Societatis Ieſu*, & *Ieſuitam exenteratum*. Vtrumque idem Forerus *Antanatomiâ* Oeniponte apud Ioannem Gâcchium anno CIↃIↃCIV. forâs datâ, iugulauit.

Succenturiâſti poſteà *Myſteria Patrum Societatis, Conſultationem Fr. Iuniperi de Anconâ*, & *Relationem Fr. Ludouici Soteli*. Has omnes etiam laruas idem Forerus, *Mantiſſâ Antanatomiæ* eâdem in vrbe apud eundem Gâcchium anno CIↃIↃCXXXV. impreſsâ, nullo negotio difflauit.

Commentus prætereà es *Arcana Societatis Ieſu, Aſtrologiam Eccleſiaſticam, Relationemq́ Alphonſi de Vargas Toletani*. Hæc omnia quoque idem Forerus, *Proteo Grammatico* vnà cum *Appendice* Ingolſtadij apud Gregorium Hænlin ann. CIↃIↃCXXXVI. publicato, funditus euertit.

Enixus inſuper es *Padiam Politices* ſuppetias Politicis falſas omnino ferentem, nobis quidem nominatim non aduerſantem, ſed Chriſtianæ Reipubl. grauiter incommodantem. Quam proinde Henricus VVangnereck itidem noſter, *Vindicijs Politicis* Dilingæ anno CIↃIↃCXXXVI. Gaſparis Sutoris operâ luci creditis, in crucem planè egit, ac de Gemonijs præcipitauit.

De tuo etiam Sacco *Padia humanarum, & diuinarum literarum*, tum *Renati Verdæi Statera* deprompta ſunt; quæ ego tum hîc, tum in meo *Lydio* haud tralatitiè euerberaui.

Reliqua ſunt denique complura alia de Grammaticâ, de Latinitate, de Politiore literaturâ, de Ratione docendi, & diſcendi, de artium, & diſciplinarum compendijs, deque alijs multis

rebus tua nugamenta, & ſomnia, quæ tu ipſe in tuâ *Grammaticâ Philoſophicâ*, in *Rudimentis Grammatices*, in *Auctario*, in *Paradoxis*, in *Mercurio bilingui*, in *Diſſertatione de Rhetoricarum Exercitationum generibus*, in *Conſultationibus de ſcholarum, & ſtudiorum ratione*, alijsque in libris pingui Mineruâ expoſuiſti; quibus ego cunctis animi gratiâ abigendis, explodendisque non horribiles haſtas, aut bipennes, ſed concinnum, lepidumque *Dentiſcalpium*, elegantem *Strigilem*, ſcitamque *Nouaculam* adornaui.

§. XII.

Coronis totius Operis ad Lectorem.

Num. 165. *Ad æqui Lectoris iudicium prouocatur.*

Age nunc, Scioppi. Quoniam multiplici præiudiciorum contentione tua omnia mendacia, atque calumnias, quibus Societatem Ieſu, & Ieſuitas malignè onerâſti, hactenus priuatâ in palæſtrâ penitùs fregi; ambula iam mecum in ius, vt publico tandem, legitimoque iudicio controuerſia omnis dirimatur. Non eſt, cur hîc vadimonium promittas; ſiſtas, neceſſe eſt, hoc ipſo temporis articulo. Sollers enim catusque Lector tuos in libellos, measque Vindicias arbiter ac iudex nunc ſedet. Quem putas? quem fers? quem cupis? Hæreticum fortè, vt in Hæretico territorio Lœdorias tuas à te emiſſas in lucem, certum eſt? Ego omnino Catholicum. Tibi obœratum? ego à ſtudio partium alienum. Vænalem improbumque? ego tenacem recti ac probum. Fallacias, ac dolos habentem in conſilio? ego ratione cuncta metientem, ac moderantem. Quid honeſtius? quid iuſtius? quemcunque mortalium tibi ſume, dummodo

modo à cupiditatum mancipio liberum; dummodo non gratiæ indulgentem, ſed iuſtitiæ obſequentem; dummodo vnius rationis patronum ac vindicem; ad eundem mox ego quoque lubens adibo. Quid ais? placétne? ſi renuis, Satyras tuas omnes tu ipſe perimis, quippe quas Lectoribus nonniſi improbis probari poſſe, tibi perſuaſum oſtendis: ſi annuis, nihilominùs eaſdem perdis, quas probi, probatique Lectores non poſſunt non improbare.

Num. 166. *Iniuria à Scioppio facta Lectori.*

At ego ſeu te volente, ſeu te inuitò, ad huiuſmodi Lectorem, incorruptum Quæſitorem ac Iudicem iam prouoco, eumque hac meâ ingenuâ candidâque oratione in præſens ſic appello. Gaſpar Scioppius, humaniſſime Lector, Societatem Ieſu, & Ieſuitas compluribus codicillis probroſis vulgatis acerrimè criminatus eſt; ego è regione iniuriam grauiſſimam ab eo, qui tam compertis pudendiſque calumnijs te circumuenire ſtuduit, teque ijs ſtatim fore obnoxium exiſtimauit, tibi factam aio planiſſimè. Non id ego iam pugno præcipuè, ne tu, qui non inconſultus ac præceps, ſed circumſpectus, & ſagax rerum momenta tecum accuratè deputas, fidem inſano obtrectatori habeas; ſed, quia is ſibi à te habendam, non ſine tui inſigni contumeliâ, temerè confidit, vt oppidò, meritoque indigneris. Quis enim eſt tam imperitus morum agricola & ruſticus, quis tam indoctus ignaruſque rerum, qui neſciat, vbi quis crimina ſerit in alterum, eiuſque famam palàm, fœdeque conlatrat, non illico pronas ei facilesque aures immolandas, ſed aſſenſum maturè ſuſtinendum? cui pectus tam parum ſapit, vt ſecum non verſet in animo, eos, qui alijs obloquuntur,

tur, varijs incitatos affectionibus, nunc irâ, nunc odio, nunc inuidiâ abreptos, quicquid lubido ſuggerit, extemplo comminiſci? Noſti, Lector cordate, cordiq́ue habes, quæ hac ipsâ de re ſapientiæ corculum, Seneca præclarè admonet. a Scilicet *his, quæ narrata ſunt, non debemus, citò credere.* Cur? nempe *quia multi ementiuntur, vt decipiant: multi, quia decepti ſunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluiſſe factam. Eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit. Eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, & ex longinquo tutoq; ſpeculetur, quos commiſit.*

a *Lib. 2. de ira cap 20.*

Num. 167. *Ad accuſatoris fidem, ſunt neceſſarij teſtes.*

An verò quiſquam in maiorum inſtitutis ita hæſitat, vel in iure ciuili tam rudis eſt, qui ſi inter diſceptantes quâquâ de re ſententiam ferre debeat, alterutri ſine teſte, aut teſti non iurato aſtutum credat? Nónne antequam pronuntiet, vtrumque acciri iubet, vtrumque patienter audit, vtrique ſpatium ad diluenda, vel confirmanda, quæ vult, indulget, vtriuſque rationes diligenter expendit? quod ſi quis hanc iudicandi formulam æquitatis tam perſpicuæ aut negligit, aut peruertit, ſi ne compellato quidem multam indicit, ſi inauditum condemnat, ſi abſentem punit; nónne ſe nullius conſilij, ſed multæ nequitiæ hominem apertè prodit? Non eſt, Chriſtiane Lector ad hanc tam exploratam Philoſophiam addiſcendam Euangelij magiſterio opus, quum eam idem Seneca modò laudatus vel à naturâ ipsâ iam pridem hauſerit, atque hiſce verbis luculenter enodauerit. a *De paruulâ ſummâ iudicaturo, tibi*

a *Ibid.* *res*

ret ſine teſte non probaretur; teſtis ſine iureiurando non valeret: vtrique parti dares aduocationem, dares tempus, nec ſemel audires. Magis enim veritas elucet, quo ſæpius ad manum venit. Nihilominùs quid fit? Haud raro *Amicum, condemnas de præſentibus, antequam interroges. Illi, antequam aut accuſatorem ſuum nôſſe liceat, aut crimen, iraſceris.* Quo nihil improbius.

Num. 168. *Multos à criminando arcet, probationis neceſſitas.*

Denique quis eſt tam nullius vſus, tam hebes, atque impolitus, qui ratum fixumque non habeat, ingentem ſpiſſamque turbam ab accuſando, à defendendo, à calumniando, ſi quæ carpit, probare cogatur, alioqui talionem luitura, abſterritum iri? *Hic ipſe, qui ad te detulit*, ſubdit eodem loco Seneca, *deſinet dicere, ſi probare debuerit. Non eſt, inquit, quod me protrahas. Ego productus negabo. Alioqui nihil vnquam tibi dicam. Eodem tempore, & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit. Qui dicere tibi niſi clam non vult, pene non dicit. Quid eſt iniquius, quàm ſecreto credere, palàm iraſci?*

Num. 169. *Scioppius Lectoris prudentiam ludibrio habet.*

Luſtra nunc, quæſo, animo, benigne Lector, quantam tibi Scioppius illis ipſis libellis in Ieſuitas elucubratis, quibus te quoque adſtipulari cupit, iniuriam irroget. De iniurijs, quibus ille innocentiam noſtram obruere annixus eſt, hîc non expoſtulo; ſat enim ſuperque ad id locorum, quàm idem ipſe in nos iniurioſus fuerit, quamque falſis calumnijs noſtrum Ordinem, Sociosque traducere conatus ſit, patefeci; neque modò ve-

rendum mihi, aut ſatagendum eſt, ne te eiuſmodi calumnijs irretiri patiaris; quas ego quum ex adipatis mendacijs, & fraudibus coagmentatas manifeſtò iam docuerim; quin eædem à te quoque & agnoſcantur probè, atque, vt par eſt, ingenti cum ſtomacho longè repellantur, nullus dubitare poſſum. Ac proinde, actum otioſè à me agi, ſi id de integro ingeram tibi, iure putem, neque tu immeritò rideas, aut conqueraris. At quòd tibi eaſdem calumnias tuo laudandas ſuffragio temerarius Grammaticus obtrudat, hoc enimuerò maximâ te lacerat iniuriâ, idque illud crimen nouum, & graue eſt, quod ego iure meo hîc perſequor. De tuâ, Lector, prudentiâ, de tuâ integritate, de tuâ ſapientiâ ego ſanè pro eo ac debeo, & honorificè ſentio, & bene exiſtimandum iudico; cenſeoque te, qui ijs ornatus virtutibus præſtas, Scioppio de Ieſuitis, viris Deo authoratis, ſacramque militiam militantibus tam infanda dictu fabulanti, haud citò ex Senecæ documento paulò antè recitato crediturum, gnarum videlicet, *multos ementiri, vt decipiant*, neque adhuc conſtare, eum ab his exceptum; forte *captare ex diditis libellis gratiam, fingereq́ue iniuriam, vt factam dolere videatur*; forte *malignum eſſe, qui amicos cohærentes velit diducere*; forte alijs perturbationum aſilis percitum, impotenter furere: nefas idcirco omnino eſſe, auitâ honeſtiſſimæ famæ poſſeſſione homines Religioſos, niſi priùs compertis teſſeris, ac teſtibus ſontes reuincantur, exuere.

Num. 170. *Scioppius vult Lectorem calumnijs temerè credere.*

At Scioppius in alia omnia vult te ſuis probroſis codicillis fidem præcipitanter habere. Quid inſubidius? quanta hæc tuæ prudentiæ labes? quanta in-

ta iniuria? vult damnatoriam tabellam nullis ſuffultam teſtibus in ſacratos Deo viros à te contra ius ferri. Quid iniquius? quanta hæc tuæ integritatis iniuria? quanta fœditas? vult in teſtium fide excutiendâ te dormitare, vult vtrâque nare ſtertere. Quid flagitioſius? quanta hæc tuæ ſapientiæ macula? quanta iniuria? An ille inficiari audet? Itáne verò audet? Lege ſis atra eius volumina omnia, Lege è contrario & meas haſce *Vindicias* Quos ipſe teſtes in illis niſi inteſtabiles, vel planè nullos; quas tabulas, niſi adulterinas; quæ argumenta, niſi ficulna, vt anteà vici, depromit? & tamen his te illico daturum manus ſibi pollicetur; nec penſi habet, quanta tibi hinc oriatur iniuria. Effatum illud gentium omnium ſancitum placito, neminem fore innocentem, ſi accuſare ſufficiat, quò ſuis maledictis in nos congeſtis bene conſulat, abrogatum it, contenditque, vt Ieſuitas nocentes tibi perſuadeas, ſat eſſe, quòd ijs diem Scioppius dicat, nec ſua referre putat, quòd tanta hinc in te redundet iniuria. Nónne Forerus noſter omnes illius infames codices, prævalidis Apologeticis, vt oſtendi, iugulauit, mactauit, in crucem egit, mendacem calumniatorem, detractâ laruâ, in theatrum Reipubl. dedit, omniumque Lectorum ſibilis & cachinnis explodendum propinauit? nónne linguacem conuiciatorem ita elinguem, vt planum feci, reddidit, vt eiuſmodi Apologeticis ne verbo quidem obuiam ire, aut vllum reſponſionis ſufflamen inijcere auſus ſit, iniecturus alioqui facillimè, niſi ea veritate vndique munita extra tela omnia ſuæ maledicentiæ poſita animaduertiſſet? ô ſi quæ is in nos elatrauit, probare; ſi tabulas, ſi documenta, ſi teſtes proferre debuiſſet; quàm de ſubitò obmutuiſſet? Nunc contra quid agit? mendacia & calumnias ſuppreſſo Auctoris nomine, vel commentitio tan-

tùm addito, in vulgus edit, ne, ita latitans, protrahi poſſit; hòc ipſo tamen eadem mendacia, & calumnias ſatis apertè difflans. Et tamen tam profligatis iam calumnijs & mendacijs ſubſcribere te adhuc iubet Scioppius. Sed quanto cum tui nominis dehoneſtamento, tu ipſe Lector minimè excors, ſatis intelligis, ſatis expendis.

Num. 171. *Scioppius probra ſua partiri cum Lectoribus nititur.*

Quid verò vbi laruatus ſannio in ſcenam proceſſit, luridusque mus, mentitâ Renati Verdæi perſonâ, vnam tantùm Apologeticorum Foreri particulam, primam nempe *Mantiſſæ* illius *ſectionem* admordere aggreſſus eſt, an aliter eam potuit peruellere quàm nomen Catholicorum Hæreticis, Hæreticorumque Catholicis nefariè tribuendo? quàm ampliſſimos, atque doctiſſimos *Cardinales* Toletum, & Bellarminum procaciter irridendo? quàm Eccleſiaſticam immunitatem impudenter auerruncando? quàm Sedis Apoſtolicæ auctoritatem ſceleſtè abolendo? quàm Hæreticos à Catholicâ fide capeſſendâ perfidiosè alienando? quàm Religioſum denique Ordinem, vitasque ſanctiſſimorum virorum impiè infamando? Horum omnium vt inauſpicatum Scioppij patronum fundum factum eſſe, eaque monumentis mandâſſe ſuprà iam demonſtraui; ita cunctis hiſce piaculis te quoque annuere, ac plaudere idem Scioppius prægeſtit Sed quantâ cum tuæ exiſtimationis iacturâ? quanto cum dedecore? quanto cum probro?

Num. 172. *Homini flagitioſiſſimo, nemo prudens habet fidem.*

At quid tandem, rogo, hominis, qui Ieſuitas adeò inſectatur, conuicijsque iactat, Scioppius eſt? quæ illius lingua? quæ acta? quæ vita, vt ei etiam ſine teſte, etiam non iurato, haud temerè, Lector, ac de ſubito fidem poſſis, vel etiam debeas adiungere? An hominis lineamenta non tenes? num eius mores tibi tam citò exciderunt? an eiuſdem ingenium, artes, atque facinora iam obliteràſti? quid attinet hîc rurſum ſpiſſum illud longumque delictorum agmen, quibus effrænem blateronem mancipatum anteà memoraui, fruſtra explicare? quid lernæum illum turpitudinum lacum hîc iterum ingredimur? quid ſtygiam illam monſtrorum paludem hîc denuo commouemus? An non hic ille eſt, quem iam ſuis expinxi coloribus, ille, qui maledicendi principatu, ſeu per genium, ſeu per vim occupato, ſuos liuidos, ſerratosque dentes in omnes Reipub. Chriſtianæ Ordines, in Religioſas familias, in Monachos, in Sacerdotes, & *Clericos*; in Antiſtites, in Epiſcopos, in *Cardinales*, atque Pontifices; in Cæſares, in Reges, in Principes, & in Nationes, cunctis pudoris clauſtris refractis, adegit? an non ille, qui mentiendi calumniandique palmam omnibus præripit? qui artem exercet? qui profeſſione gloriatur? an non ille, qui ſecum perpetuò digladiatur? qui quod ſciſcit, abrogat; & quod inducit, ſancit? qui quod ſorbet, mox euomit; quod egerit, iterum ſtatim vorat? an non ille, qui ſacroſanctis ſcripturis, qui Oecumenicis Concilijs, qui Catholicis Doctoribus impias affert manus? qui eoſdem truncat? qui fœdat? qui diſcerpit? an non ille, qui inflatâ ſuperbiâ, arrogantiâ intolerabili, ſimulatione Phariſaicâ cunctis populis exitia-

exitiabili eſt offendiculo? an non ille, qui Diuos etiam ſolemni conſecratos ritu impuriſſimo ore inceſtat? an non demum ille, qui damnatarum doctrinarum, hæreſeonque multiplicia ſtigmata fronti inuſta gerens, ſponſam Chriſti Domini Eccleſiam ſacrilego auſo contaminat? His alijsque compluribus flagitiorum notis compunctum perfrictæ circulatorem frontis, paulò ante à me delineatum iam, amice Lector, ſpectâſti. Et tamen hoc hominis propudium, hoc capuli dedecus, ſcelerumq; caput, tuis ſe oculis ſiſtere minimè erubeſcit, raſileſque calathos mendacijs & calumnijs de Societate noſtrâ ac Socijs noſtris refertiſſimos, ſuos nempe famoſos libellos, (quid, niſi alienæ exiſtimationis direptæ vellera, ſuæ penſa totidem malignitatis?) in manus tibi porrigit, orans, atque obteſtans, vt eos hiante ore in ſtomachum è veſtigio demittas, ſtupidâque credulitate omnia concoquens, in mera veritatis oracula traijcias. At quantus iſte eſt dignationis tuæ contemptus? quanta contumelia? Quàm turpe enim dedecus honeſtis matronis meretrices, & ſcorta, vbi ſe illis comites addunt, imprimunt? quàm acriter illæ idcirco indignantur? quàm ſeuerè prohibent? quàm aſperis verbis ne dicam, verberibus, arcent? Quantâ verò ignominiâ nobilem virginem procax lena afficit, quum eam ad ſtuprum ſolicitat? At illa pudicitiæ maximè anxia, quàm repentinò, ac iure iraſcitur? quàm meritò fremit? quàm ſtomachabunda proluuium veneris, infamemque proxenetam confeſtim abigit? nunc ſagax Lector, diſpice, an non pari impudentiâ tecum agat Scioppius. Homo pudoris, tot ſceleribus honore proſtituto, iam dudum præmortui, ſuæ venena nequitiæ libellis infuſa, tibi blandè ebibenda proponit: hoc eſt, tibi ea cupit adlinere, te in criminum ſocietatem vocat, te eo-

rum

rum ſubſcriptorem plauſoremque auet, ac poſcit. Sed quanto tuæ honeſtatis dehoneſtamento? quàm fœdo tuæ probitatis vulnere? quid quod à te honeſtiſſimo viro, veritatis ac innocentiæ ingenuo patrono, leno impudens petit, vt vtramque ſuis mendacijs & calumnijs, quia ſic vult, ſic iubet, ſic imperat, ſic pro ratione voluntatem ſuam, & furorem ſubſtituit Scioppius, prodas, vnaque perimas? At tam enormi iniuriæ, quam à morione tam petulanti accipis, quæ alia macula poteſt eſſe par? quæ tuæ famæ immanior plaga, aut labes?

Num. 73. *Scioppius Lectores ſuos habet pro fungis.*

Verùm hæc ipſa plaga, atque iniuria quanto adhuc magis augeſcit, quum idem Scioppius eiuſmodi mendacia, atque calumnias in Ieſuitas excogitatas tibi ingerens, apertum ſe eorundem Ieſuitarum hoſtem profitetur? Quò enim id pertinet, quò recipit, niſi ad tuam laudem ac decus impenſiùs dedecorandum? Peſtem omnem hoſti ab hoſte ſemper optâri, nôrunt omnes; te vnum, Lector, ſcire id vetat Scioppius, ne ab eo Ieſuitarum iurato hoſte quicquam fraudis iiſdem fieri, in mentem tibi venire poſſit. Ita te bardum autumat. Odium inimici ad cuncta mala ei machinanda impellere in confeſſo eſt apud omnes. Te quoque id clam eſſe, ſtatuit Scioppius, ne dolum vllum ab eo, Ieſuitarum inimico infenſiſſimo, dolari ſuſpiceris. Adeò te fungum putat. Inimicum ad mendacia, & calumnias odio architectante, de inimico fingenda incitari, & Lippis notum eſt. Scioppius te non Lippum dumtaxat, ſed plane cœcum, qui id minimè cernas, neque ab eo Ieſuitarum hoſte tam efferato mendacium vllum, calumniam, aut ſtropham in eoſdem componi, poſ-

ſis animaduertere, haud obſcurè iudicat. Vſque eo te deſpicatui habet. Hoſti hoſtem accuſanti, conuicijs proſcindenti, probris oneranti non eſſe credendum, & diuina oracula docent, & gentium ſcita pronuntiant, & leges humanæ ſacræ, & profanæ decernunt, & natura ipſa vnicuique mortalium vel à teneris vnguiculis ſtatim Auctor eſt. At Scioppius in mandatis tibi explanatè dat, vt hæc omnia repudies, pro nihilo ducas, exſibiles, cunctiſque mendacijs, calumnijs & ſtrophis in Ieſuitas adornatis, quamuis à ſe compertiſſimo eorundem hoſte fabricatis illicò credas, iudicium, mentem atque intelligentiam captiua extemplo dedas, neque contra hiſcere, aut ſecus dubitare tibi fas ſit. Tam amentem ac ſtolidum te eſſe retur, ac ridet. Vide iam, an ad tuæ exiſtimationis contumeliam quidquam probrorum adijci poſſit.

Num. 174. *Inhumanus Scioppius Lectoribus eripere humanitatem conatur.*

Sed quid ego de tuæ exiſtimationis iniuriâ loquor? ipſam quoque humanitatem, humaniſſime Lector, inhumanus Scioppius tibi crudeliter inuidet, eamque medullitus exprimere atque extrahere, dum ad fidem hoſtis delationi ſine legitimis teſtimonijs habendam te inuitat, inſanè conatur. Quod ne inuidiæ gratiâ illi viciſſim conflandæ à me hîc exprobrari fortè opineris, en quàm diſertis verbis magnus Africæ Præſul Auguſtinus, huius dicti prædem ſe tibi dat. Nam *ſi eſt*, inquit, *a vlla humanitas in rebus humanis, puto nos iuſtiùs reprehendi, ſi ignotos homines, quos criminantur inimici,*

a *De vnico Baptiſmo contra Petilianum cap.* 16. *Tom.* 7.

inimici, nec eorum crimen vllâ teſtificatione demonſtrant, nocentes potiùs, quàm innocentes crediderimus. Quia ſi fortè aliter ſe veritas habet, ipſi certè humanitati debitum redditur, quum homo de homine nihil temerè ſuſpicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit, quando ſine teſte, ac ſine vllo documento crimen obijciens, maledicus potiùs conuiciator, quàm veridicus accuſator exſtiterit. At quid molitur Scioppius, niſi vt omnes humanitatis leges, quò eius inhumanitati pareas, in te expungat? criminanti innocentes præproperè credere prudentis non eſt. Nil refert, mei gratiâ, ait ille, faceſſat prudentia, & eſto temerarius; crede quæcunque de Ieſuitis commentus ſum. Sine teſte accuſanti fidem habere, iniquum eſt. Nil refert. Pereat tua æquitas, meique gratiâ eſto iniquus. Quicquid in Ieſuitas ieci, tametſi inteſtabilis, & ſine teſte, oraculum arbitrare. Calumnijs à Forero iam fortiter euerberatis aliquid ponderis adhuc tribuere, amentia eſt. Nil refert. Tua ſapientia abſcedat; mei gratiâ deſipito. Eas nihilominùs ex tripode hauſtas cenſe. Sed quis illas cudit? Scioppius, ſacerrimum caput, tam grauibus multiſque flagitijs coopertum, Ieſuitarum hoſtis tæterrimus, non accuſator veridicus, ſed conuiciator maledicus. Quid tum poſteà? Tu nihilominus eas velut reſponſa Sibyllæ ſuſpice, ac venerator. At nulla humanitas hoc ſinit, non fert, non patitur. Sed quid ego humanitatem moror? Tu eam expectora, exturba, proſcribe. barbariem, ac ſæuitiam imas in medullas inſere. Scioppio Ieſuitarum inimico implacabili mendacia & calumnias portentoſas de ijſdem ſine vllo documento aut fide venditanti fidem continuò adiungito. Et nondum, humane Lector, agnoſcis, quam rationem honoris tui huiuſmodi conuiciator ducat, qui, vt

nos

nos collutulet, te priùs, tuumque nomen cœno obruere nihil veretur?

Num. 75. *Aperta mendacia propugnat Scioppius.*

Sed quæ porrò mendacia, quas calumnias hic circumforaneus præſtigiator in noſtri dedecus nundinatur? quas? illas nempe, quæ, vt palàm ſuprà feci, aut manifeſtò falſæ, ſponte ſuâ ſine vllâ refutatione ruunt, aut minùs ineptè concinnatæ, grauiſſimis & argumentis, & teſtimonijs penitùs eliduntur. Quas? illas, quæ vt virulentum Auctoris, à quo proſeminatæ ſunt, animum, ita in ipſiſmet fabulis conſuendis inſcitiam, ac fatuitatem produnt. Quas? illas, quæ ab hoſte Ieſuitarum inſolentiſſimo, & notiſſimo enunciatæ, vt perſuaderi poſſint, Lectorem bubulcis, & caprimulgis hebetiorem, ipſis brutis obtuſiorem, nec hominem, nec pecudem, ſed ſtipitem, ac lapidem omnino exigunt. Vnde, quàm egregiam tui opinionem, Chriſtiane Lector, Scioppius habeat, qui te in bubulcorum, & caprimulgorum numero, imò in brutorum grege, qnin imò in ſtipitum, lapidumque quiſquilijs reponit, nullo negotio potes colligere; quantâ autem tui cum iniuriâ, nulli non liquet.

Num. 176. *Contra plurima veritatis præiudicia mentitur Scioppius.*

Quid quòd eaſdem calumnias idémmet Scioppius ſuis luculentiſſimis teſtimonijs prorſus inducit, delet, euertit, falſitatis euidenter coarguit, perſpicuæ fraudis, ac nequitiæ condemnat? Quid quod teſtimonia quoque Ieſuitarum, illas ipſas calumnias inanitatis ac malignitatis notantium, eique mendacis Archilochi dicam impingentium laudat,

laudat, probat, commendat? Quid quod ob nonnullorum Ieſuitarum errata reliquam Societatem noſtram vniuerſam, innoxiam omnino contra ius fasque flagellat? Quid quod paucorum Ieſuitarum menda cæteris omnibus innocentibus iniquiſſimè etiam tribuit? Quid quod grauiſſimus Eminentiſſimorum Patrum Ordo libellos huiuſmodi calumniarum ſatores atro perculit calculo, in vetitorum codicum indicem retulit, vniuerſæ Chriſti Domini Eccleſiæ interdixit? Quid quod ſacrorum Fidei Quæſitorum Magiſtratus ampliſſimus in Hiſpaniâ, Romanæ ſeueritatis exemplum ſecutus, pariles Lœdorias & Satyras, iiſdem vel ſimilibus calumnijs in nos ſcriptis fartas, deteſtatus eſt, addixit igni, clitellario impoſitas iumento per vrbem Madriti circumduci, tum carnifici tradi, atque ab hoc in accenſam pyram mitti imperauit? hæc omnia, quemadmodum geſta, & peracta ſint, iam antè accuratè expoſui, ratisque tabulis, ac teſſeris confirmaui. Iam quum Scioppius huiuſmodi libellos, quamuis proſcriptos, interdictosque non deſinat, Catholice Lector, quacunque poteſt arte, maloque dolo per diuerſas regiones ſpargere, ipſemet etiam propriâ manu quibuſcunque ſolutum ei ac liberum eſt, inculcare, tibique, vbicunque verſaris importunè ingerere, vt ſuperiùs docui: quid eum putas de tuâ prudentiâ ſentire? quid de tuâ Catholicâ fide cenſere? quid de tuâ probitate, quid de ſapientiâ, quid de honore, ac famâ exiſtimare? nónne quum tibi huius notæ damnatos codicillos obtrudit, ſi candidam veritatis lucem intueri cupis, perinde facit, ac ſi tibi non ambiguis verbis dicat: En tibi, Lector, immanis calumniarum faſcis, quem etſi è decumanis mendacijs & fraudibus à me coagmentatum probè noui, & meis elogijs ac teſtimonijs præclariſſimis, in anteceſſum quoque, ac

deinde

deinde improbaui, planeque perdidi: tu tamen mihi gratificans, prudentiâ, atque intelligentiâ omnino exoculatâ, proba, cole, ac foue? Quamuis Ieſuitarum teſtimonijs eaſdem calumnias diluentibus, ac proſternentibus, mihique mendacis conuiciatoris ſtigma inurentibus ego quoque conſcientiâ victus, vltro annuerim, aſſenſerim, ſubſcripſerim; tu nihilominùs mihi velificans, nil prorſus ijs moueare, ſed, omni ingenuitate, atque æquitate relegatâ, mihi potiùs mentienti & calumnianti, quàm Ieſuitis mendacium & calumniarum me conuincentibus credito. Paucos Ieſuitarum allucinari, paucos ab inſtituto degenerare,& noui,& apertè teſtatus ſum; Tu tamen hoc mihi dans, per meram iniuſtitiam atque impudentiam ob paucorum delicta toti Societati obtrectato, quin & eadem alijs quoque Socijs omnibus penitùs innoxijs adſcribito. Venena peruerſarum doctrinarum, pernicioſarum Hæreſum, ac tæterrimarum calumniarum meis hiſce libellis inſpiraui; tu tamen meis ſtudijs ſeruiens, Catholicâ religione inſignitè pollutâ, hæc alacriter haurito. Non ſum neſcius Pontificiarum fulmen dirarum ijs, qui iſtæc legunt, eſſe intentatum. At tu meæ obſequens voluntati, eiuſmodi fulmen ac diras nihili pendito, diuinam gratiam lethiferâ culpâ abolere ne dubita, Orco te deuouere præſenti animo aude. Sunt quidem hæc, quæ hiſce codicibus diuulgandis contraxi, piacula à Sacrâ Purpuratorum Patrum Congregatione Romæ interdictione confixa, atque ab Quæſitore fidei Madriti iugulata; ſat ſcio; tum etiam digna clitellariâ pecude, digna carnifice, digna igni ac flammis iudicata; non me fugit. At tu in meam cupiditatem incumbens, diuini timoris, tuæque famæ, atque honoris curâ omni abiectâ, hæc omnia participa, obnupto capite

vora.

vora, tolera, concoque. Hæc atque alia complura Scioppius, vt manifeſtum eſt, etſi verbis quidem non exprimit, reapſe tamen in aurem tibi inſuſurrare non ceſſat. Et quiſquámne Sycophantarum tuo nomini turpiùs queat illudere? quiſquam tuam exiſtimationem fœdiùs labefactare? quiſquam tuum honorem inhoneſtiùs dedecorare? quiſquam atrociorem tibi ignominiam, atque iniuriam inferre.

Num. 177. *Lector Scioppio iure poteſt iraſci.*

Quibus ritè, apteque concluſis, ſatis exploratum, opinor, eſt, famoſa iſta volumina, quibus verſipellis hic Momus Societatem noſtram, ac Ieſuitas adeò flagitioſè laniauit, magno quoque tuo cum probro ac dehoneſtamento, Chriſtiane Lector, vt initio denuntiaui, eſſe coniuncta; ac proinde multas quoque cauſſas, & graues, & iuſtas tam procaci calumniatori iraſcendi tibi ſuppetere. Nec dubium mihi eſt, quin tu has tecum reputans, vehementer iam animo incitatus excandeſcas planè, ac fremas, de tot Scioppij commiſſis non ſeueriora hactenus ſumpta ſupplicia; meritoque vocifereris, ea inulta porrò, atque impunita dimittenda non eſſe, ſed triſtiore animaduerſionis genere omnino plectenda: eo quidem honeſtiore etiam nomine, ac iure, quò vel ipſi profani Ethniciq́ue homines in huiuſmodi conuiciatores ferro quoque vindicandum cenſuerunt: quorum ſcitum auſterum ſanè præfractumq́ue M. Tullius in quarto de Republ. libro totidem hiſce perſcriptum verbis, quod poſteà ingens Sapientiæ Myſtes Auguſtinus etiam laudauit, nobis reliquit; a *Noſtra contra*

a *Lib. 2. de Ciuit. cap. 9.*

tra duodecim tabulæ, quum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putauerunt, ſi quis occentauiſſet, ſiue carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumq́; alteri. Præclarè. Iudicijs enim, ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non Poëtarum ingenijs habere debemus, nec probrum audire, niſi eâ lege, vt reſpondere liceat, & iudicio defendere. Atqui Scioppius & occentauit enormiter, & infamiam flagitiumque plurimis fecit, & famam innocentiſſimorum virorum immanibus nequiſſimi veteratoris calumnijs, ne dum Poëtarum ingenijs prodidit, & probra horrenda non in iudicium deducta, vt iudicio defendere ſe inſontibus fas eſſet, ſed propudioſis credita libellis, & ſuppoſititijs illuſa nominibus, ne reſpondere, & fraudes diſſuere, niſi rarè admodum, liceret, euulgauit, & me Lectorem Catholicum, probum, ratione & iudicio pollentem multiplici iniuriâ, & contumeliâ affecit. Et non iure indigner? non meritò erumpam ſtomachum? non meritiſſimò ſcelus, quid ſcelus? tot ac tanta ſcelera vlciſcar?

Num. 178. *Ad veniam Scioppio dandam Lector ſolicitatur.*

Sed reuoca, quæſo, Lector æquiſſime, excandeſcentiam ad lenitatem, pone iras, & fluctus, etſi iure commotos, animo excelſiore compone. Quamuis enim Scioppius mulctam non ſanè leuem commeruit: tu tamen nobiliore inſtitutus Philoſophiâ eam illi remitte. Tui deſpectum atque ignominias cum tot iniurijs, quas ille in nos iniunxit, ſociatas vidiſti. At nos Chriſti Domini imitandi ſtudio ac præſenti memoriâ cunctas illas libenter obliterauimus. Quando igitur noſtræ iniuriæ cum tuâ quoque copulatæ ſunt; te quoque

que per eiuſdem Chriſti Domini ſanguinem etiam atque etiam obteſtor, vt tuam pariter diuini amoris causâ eidem ipſi liberaliter condones, pœnæque omnis acerbioris gratiam omnino facias: Quanquam haud ſanè prohibeo, quin hominis extremam dementiam, qui calumnias omni probabilitatis ſpecie carentes tam ineptas abſonasque conflârit, iure optimo rideas; ac delirantis ſenis deplorandam calamitatem, qui in tam profundam flagitiorum voraginem ſe abiecit, ex animo miſerearis. Quin etiam ſuadeo, hortorque, vt eundem in tantâ neceſſitudine palmari officio caritatis tibi demereri ne prætermittas, ſedulò nimirum curans, vt, quoniam illum *aut ambitus, aut nimia litera ad inſaniam redegerunt*, quemadmodum bonus ille *Monachus Benedictinus* antè ſæpius laudatus apud Forerum diſertè loquitur, huc Mediolanum ad D. Vincentij quàm primùm inſanus obtrectator perducatur, aut peruehatur, quò in tam celebri valetudinario epoto largiter, ac compluries helleboro, ſanitati mentis, ac multo magis animæ, conſcientiæque quantùm humanâ diuinâque ope conniti fas erit, reſtituatur. Ad quod tam regium hoſpitium (nam ibi quoque plures, qui ſe Reges ſomniant, rarò deſunt) vbi eum appulſum intellexero, accurram ego ſubitò, nouumque hoſpitem non ſemel viſam, neque induſtriam operamque meam, Religioſo dignam viro, quacunque in re potero, ad illius morbos omnes euincendos, propulſandosque deſiderari patiar.

Num. 179. *Breuis, & apta Vindiciarum periodus.*

At linquamus modò, Lector, Scioppium in hoc, vel ſimili diuerſorio, donec reſipiſcat; tuque interim iſtarum Vindiciarum Orbem, annulumque

mecum contemplator. Oſtendi ſcilicet in ipſo Operis veſtibulo, *a* quàm pretioſus diuinæ munificentiæ torques ac monile ſit, ignominijs, atque ærumnis Chriſti gratiâ exerceri. Planum deinde feci, *b* Religioſorum Ordinum ſingularem eſſe prærogatiuam, varijs multiſque obtrectationibus Chriſti nomine proſcindi. Docui præterea, *c* & Societatem noſtram in magnam conuiciorum & contumeliarū Chriſti cauſsâ perferendarum partem; Scioppio præſertim nos continenter allatrante, diuinitus eſſe vocatam. Probaui *d* nihilominùs Religioſis viris ius faſque eſſe, tum honeſtum, & conducibile; quin etiam operæ pretium, ac neceſſarium, ſui exiſtimationem nominis aduersùs calumniatores, non quidem ſui vlciſcendi gratiâ, ſed grauia proximorum damna auertendi cauſsâ, elucubratis Apologeticis propugnare. Vici inſuper, *e* acri orationis ſtylo audaces impudenteſque conuiciatores eſſe coërcendos. Ac tametſi, vbi contumeliæ à calumnijs ſecernuntur, neque communi vtilitati incommodant, ex Chriſtianæ Philoſophiæ præſcripto tolerandas ac ſilentio tranſmittendas ingenuè faſſus ſum; nec non etiam ipſaſmet calumnias, quà nos vrunt, vexantque, atque ad patientiæ aliarumque virtutum cenſum pangendum augendumque pertinent, opima Dei eſſe munera agnoſcenda, atque expetenda enucleatè dixi: palàm tamen etiam monui, quum eæ in aliorum perniciem quoq; redundant, minimè diſſimulandas, ſed vulgato innocentiæ ac veritatis patrocinio diſſipandas, inſtar planè morborum, & reliquarum calamitatum, quas licet à Deo, ad tolerantiam aliaſque virtutes comparandas nos erudiente, proficiſci, ex ſacris oraculis perſpectum ſit, nihil tamen vetat, quo minùs remedia à nobis.

a *Cap.* 1. b *Cap.* 2. c *Cap.* 3. d *Cap.* 9. e *Cap.* 10.

à nobis ad eas exuendas arcendasque honeſtè adhibeantur, & adhiberi tum fas, tum vtile, tum neceſſarium quoque plerunque ſit, vt liquet, probantque omnes ſapientes. Hanc eandem orbitam prorſus in refellendo Scioppio ego quoque, Chriſtiane Lector, ad amuſſim inſtiti; cuius famoſos libellos, ex eâ parte, quatenus ludibrio nos habent, duriterque percellunt, equidem veluti Chriſti Domini purpuream chlamydem, eximium videlicet Dei donatiuum venerabundus[a] accipio: at ex alterâ, quatenus graue detrimentum & Societati noſtræ, & proximis important, neceſſe habui ex præſcripto rationum, tum ſacrarum Scripturarum, nec non veterum Patrum, atque Doctorum illos reijcere, & quidem orationis genere, quod Calumniatoris ingenio ac petulantiæ compeſcendæ congruat, aſperiore, ac ſeueriore. Sed nimirum terribili obiurgatione extrinſecus dumtaxat perſonante, intrinſecus verò germanæ caritatis roſeto ſemper vernante, quemadmodum ſuprà D. Auguſtini verbis me pollicitum memini, iamque ſyncerè, ac fideliter, vt reor, præſtiti.

a *Cap.* 12.

Num. 180. *Ad reſipiſcendum Scioppius inuitatur.*

Poſtremò nunc ad te, Scioppi, me verto, quem paucis, antequam abſoluo, conuentum, volo. Hactenus proximis, Ordinique noſtro meus calamus militauit. Iam huiuſmodi curâ ſepoſitâ, tui vnius ſalutem reſpicio. Curuatis proinde humi poplitibus, paſſiſque brachijs te ego per quidquid tibi carum eſt, per Chriſtum Dominum, Deique Matrem Virginem oro, atque obſecro, vt hac tuâ ſenectâ; atque effœtâ ætate ad bonam frugem aliquando te recipias. Atque vt cernas, me non fictè,

ſed candidè, ac defœcatâ prorſus beneuolentiâ tecum agere; facilè, credo, dabis, nullum magis ſe amicum tibi probare poſſe, quàm qui id laborat maximè, vt tu æternâ beatitudine non excidas. Atqui ego de hoc potiſſimùm ſatago. Quocirca rurſum te rogo precorque vt te errorum, ſerò quidem, ac ſeriò ſemel pœniteat. Iudicium tuum adeo tuum, adeo turgidum, & peruicax diuinis Scripturis, antiquis Patribus, ſanis Doctoribus, totiusque Eccleſiæ placitis ante ferre tandem deſinito. E Chriſti Domini diſciplinâ diſce, quæſo, animi demiſſionem, diſce caritatem, diſce concordiam, diſce modeſtiam; diſce non è Stoicorum ſcholâ, ſed ex Euangelio reliquam interioris hominis Philoſophiam. Tot innocentium virorum famam iniquè dilaceráſti. I, publicâ tuarum calumniarum execratione illam redintegra. Tot Religioſis familijs, tot Sacerdotibus, & Clericis, tot *Cardinalibus*, ac Pontificibus iniurias complures ſceleſtè feciſti. I, tuorum mendaciorum apertâ reuocatione ac gemitu eas aboleto. Inſanis, Hæreticisque doctrinis tuos libellos infarſiſti. I, ex animo illas deteſtare, editâque fletu madidâ palinodiâ, damnato. Pleriſque alijs delictis ac vitijs turpiter contaminatus es. I, lacrymis, cilicio, ieiunio, flagro ea elue, exterge, extirpa, vt rite illorum pœnitentiâ cor tuum ſubeunte, Orco eximaris. Quam pœnitentiam genuinam, ac veram vt Deus tibi pro ſuâ infinitâ miſericordiâ quàm primùm indulgeat; ego, qui aliâ ratione tibi opitulari non poſſum, præter laborem improbum quem in plures libros, quos tui etiam (ſi quo modo poſſim) ab erroribus, ac piaculis deducendi, ac lucrandi gratiâ gratis elucubratus ſum operosè impendi, eundem ſaltem Deum, quà precibus, quà ſacrificijs, quà alijs pijs operibus orare, donec exorem, nunquam deſiſtam.

Reli-

Reliquum denique nunc eſt, amice Lector, ad quem redeo, vt iſtarum Vindiciarum, quas ego Dei, proximorum, Societatis noſtræ gratiâ conſcripſi, anulo, ac palæ tui iudicij atque approbationis ſuffragium, tanquam pretioſam gemmam inſeras; quod mihi de tuâ ſingulari benignitate, ac æquitate omnino polliceor.

Omnia ad maiorem DEI *gloriam*.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

Primus numerus Caput, alter ſectionem Capitis, ſeu numerum, vel notam huiuſmodi §. tertius paginam deſignat.

Accuſatio, Accuſo.

Chriſtus accuſatus tacet, 9.3. p.122.

Aduerſarius, vide *Inimicus*.

Cupiditas nocendi aduerſario cunctis rebus ineſt, 14.38.p.390.

Ærumna, vide *Calamitas*.

Apologeticum, vide *Defendo, Stylus*.

Carpuntur, qui apologetica Religioſorũ carpunt. 9.66. p.213. *Apologetica veritatis in Ethnicos, & Hæreticos ſcripta acri ſtylo à Patribus*, 10.§.4.p.219. *& in calumniatores, etiam Catholicos*, 10. §.5. p.243. *& ſeqq. Apologetica Sanctorum acria, in viros ſacros*, 10 §.6 p.261. & §.7.p.288. *Liberè horum vitia carpunt*, ibid. *Exploſi qui apologetica acri perſcripta ſtylo explodunt*, 10.71.p.301. *acria apologetica quomodo à conuicijs, & contumelijs differant*, 10.§.8 n 72.p.303. *diſtinguuntur ex ſano conſilio, & iuſtâ cauſâ*, ibid. *vſque ad n.80. Apologia apologiarum omnium gratiâ conflata*, 10.81.p.317. *differt à famoſo libello*, n.82.p.318.

Arrogans, Arrogantia, vide *Superbia*.

Arrogantes valido fræno tempeſtiuè compeſcendi, 9.38 p.171.

Athanaſius.

Acer in Arrianos, 10.21.p.238. n.22.p.239. *& in calumniatores Catholicos*, n.26.p.244.

S. Baſilius.

Prærogatiua Baſilij, 9.21.p.149. *Calumniâ turbabatur*, ibid. *Acer in Eunomium*, 10.16 p.232.

S. Bernardus.

Prærogatiua, 10.51. p.274. *Cum Petro Cluniacenſi mutuò certat*, n.52. p.275. *Cluniacenſes acriter agitat*, 10.56.p.282. n 57. & 58.

S. Bonauentura.

Acer in Gyraldum, 10.31.p.253. n.32.n.35. & 34.

Calami-

Calamitas, Calamitoſus, vide *Ignominia, Obtrectatio, Perſecutio.*

Calamitas nobilitat vitam Chriſtianam, 1. 1. p. 1. *Dei ſeruos probat,* 1.3.p.4. *affert Chriſtiano dignitatem,* n.4 p.6. *Chriſtus comes calamitoſorum,* n. 5. p.8. *calamitates ſunt dona Dei,* 1.6.p.7. *pignora aeterna beatitatis,* 1.7.p.10. *calamitoſi beati,* 1. 9. p. 12. *carere calamitatibus magna miſeria,* 1. 10 p. 14. *carpuntur qui calamitates fugiunt,* 1.11.p.14. *exhortatio ad calamitates Chriſti gratiâ,* 2. 11 p.28. 29. 30. *cum plauſu excipiuntur,* 3.8 p.40.

Calumnia, Calumniator, Calumnior, vide *Obtrectatio, Credo.*

Reprehenduntur, qui calumniatoribus Religioſorum credunt, 2.10 p 27. *calumnias ſpernendas eſſe docent etiam Ethnici,* 9.5. p. 124. *calumnia conturbat ſapientem,* 9.17.p.142. *& Sanctos,* 9.22 p.150. n. 19. p. 146. ad p. 151 *magis nocet, quàm contumelia,* 9.23 p.151. *turbat, etſi donum ſit Dei, ſapientem* n.24 p 152. *ſilentio confirmatur,* 9.26 p 154. *diluenda, quamuis donum ſit Dei,* n. 27. p. 156. *Apologeticis meritò à Religioſis confutatur,* 9. 36. p.168. *Calumniator grauiter laeditur ab ipſamet calumnia, à quo malo eum liberare opus ſanctum eſt,* 9. 42. p 177. *Calumnia vni Religioſo ſtructa, totum eius Ordinem infamat,* 9. 43 p 178 *ideóq; à Religioſo refellenda,* ibid. & num. 44. pag. 183. *quia magno damno afficit animas, Religioſos ad eius refutationem adigit,* 9.5 5.p 185. *Defendere ſe contra calumnias, opus eſſe humilitatis, omittere autem ſuperbia,* 9.53.p. 197. *Caritatis eſſe iugulare calumnias,* 9.54. p 199 *crudelitatis verò eas negligere,* n. 55. p 200. *tyrannicum eſt negare facultatem oppreſſo tuendi ſe ſcripto contra calumnias,* 9. 56. p. 202. *calumnia reiecta à Thoma Apoſtolo,* 9.58. p. 208. *nec non ab alijs ſanctis viris vſque ad* p. 212. *Calumniatores, & calumnias impudentes acri ſtylo apologetica refel-*

reſellendos eſſe, cap. 10. *p.* 215. *quem tamen aliqui melleum requirunt*, *n.* 1. ibid. *ſed nihilominùs acerem eſſe par eſt*, *n.* 2 *p.* 216. *ad* 229. *orta ex odio*, 14. 39 *p* 391. *Scioppius calumnias euidentes affingit Ieſuitis*, 14. §. 5. *p.* 405 *qua in patrocinium innocentia euocantur*, *n.* 47. ibid. *quomodo à mendacio differat*, *n.* 48. *p.* 406. *aperta calumnia non nocet*, *n.* 49. ibid.

Chriſtianus, vide *Vita*.

Chriſtiani hominis dignitas ex calamitatibus, 1. 4. *p.* 6.

Chriſtus.

Comes calamitoſorum, 1. 5. *p.* 8. *accuſatus tacet*, 9. 3. *p.* 122. *Suum honorem, & famam tutatus eſt*, 9. 32. *p.* 162 *etſi ſuaſit maxillam percutienti prabendam*, *n.* 33. *p.* 163. *iniurias modò diſſimulat, modò repellit*, *n* 34 *p.* 165. *Maria fama*, *& pudori conſulit*, 9. 44. *p* 183.

Chryſoſtomus.

Acer in calumniatores vita Religioſa, 10. 27. *p.* 245. *n.* 28 *p* 247. *& in Catholicos parentes &c.* *n.* 29. *p.* 248.

Ciſtercienſes Monachi.

Prarogatiua, 10. 51. *p.* 274. *certant cum Cluniacenſibus*, *n.* 2 *p.* 275. *à quibus acriter carpuntur*, *n.* 53. *p.* 277, *n.* 54. *&* 55.

Cluniacenſes Monachi.

Prarogatiua, 10. 49 *p.* 272 *& n.* 50. *certant cū Ciſtercienſibus*, 10. 52. *p.* 275. *acriter carpunt Monachos Ciſtercienſes*, *n.* 53. *p.* 277. *n.* 54 *&* 55. *laxata diſciplina arguuntur acriter à ſancto Bernardo*, *n.* 56. *p.* 282. *n.* 57. *&* 58.

Coniectura.

Coniectura rem probant quoque, 7. 3 *p.* 98. *etiam inuoluta crimina*, *n* 4 *quid ſit*, *n.* 5. *p.* 99. *praſumptio ex coniecturis naſcitur*, *n.* 6. *alia probabilis*, *alia violenta*, num. 7. *p.* 100 *magna vis coniecturarum*, *n.* 12. *p.* 106. *probatio ex proximis coniecturis euidentiſſima*, *n.* 7. *p.* 101. *n.* 8.

Contrarius, vide *Aduerſarius*.

Contumelia, vide *Calumnia*, *Ignominia*.

Contumelia ſpreta non obſunt, irritata ſauiunt, 9. 4 *p.* 123. *n* 5. *p.* 124. *Contempta etiam ab Ethnicis*, 9. 5. *p.* 124. *vltionis gratiâ*

non refellenda, 9 9 p.128. *diſsimulanda, vbi nocent*, 9. 10. p. 129. *aut vbi nulla ſpes fructus eſt, ſed maioris mali periculum*, n 11. p. 129. n. 12 p. 131. *calumnia magis nocet, quàm contumelia*, 9.23. p. 151. *contumelias contumelijs refellere fas eſſe*, 9.38. p. 171 *acria apologetica qui differant à contumelijs, & conuicijs*, 10.§.8. n 72 p. 305. *ex ſano conſilio, & iuſta cauſſa*, ibid. *vſque ad n.*80. *contumelia, vel conuicij materialis à formali diſcrimen*, 10.78. p. 313. n. 79.

Conuicium, vide *Contumelia.*

Credo.

Inimicus inimico non credit, 14.40 p. 394. *nemo debes credere ſine probatione*, n. 41. p. 395. *multo minùs inimico inimicum agitanti*, n. 42. p. 397. *Scioppius incredibilia de Ieſuitis credi vult*, 14.53 p 411.

Crimen.

Crimina difficilia probatu, excepta, & atrocia, 7. 9. p. 102. *famoſi libelli ſunt difficilis probationis*, n. 10. p. 103 *populus offenditur aquè fictis etiam criminibus*, 9.47. p. 187.

Cyrillus.

Acer in Neſtorium, 10. 17. p 233. *& in Ioannem Antiochenum*, n. 18. p 234. *prærogatiua*, 10. 42. p 263. *in Theodoretum acerrimus*, 10.44. p. 267. num. 45. & 46. *non eſt conuiciator*, 10. 77. p. 312.

Dæmon.

Dei ſeruos inſectatur, 2.2 p. 20 *eosq́ maximè, qui ſibi aduerſantur, infeſtat*, ibid. n. 3 *curat Dei ſeruos calumnijs turpari, ſed fruſtra*, 14.34. p 384.

Damianus.

Petri Damiani laus, 10. 35. p. 257. *acer in ſui calumniatores*, n. 36. p. 258. *ad* 269

Defendo, Defenſio, Defenſor, vide *Apologeticum, Fama.*

Fas eſſe Religioſis ſe defendere, & reijcere famoſos libellos, cap 9 p 121. *Turpe eſſe ſe illico contra eos tueri*, 9. 6. p 125. *licitum eſſe Religioſis defendere bona fortuna*, 9. 13. p. 132. *& famam apologeticu*, 9. 25. p. 152. *veritatis & innocentia defendenda conſilium, atque officiũ*, 9. §. 3. p. 157. *Chriſtus ſuam famam defendit*, 9. 32. p. 162. *Religioſi*

coguntur famam ſuam defendere, 9 §. 4 p 174 defenſio apologetica amore veritatu ſcribenda, 9. 41. p. 175. Religioſi ob ſalutem aliorum adiguntur ad ſui, & Religionu defenſionem, editis apologeticu, 9 51. p. 191. n. 52. p 199. defendere ſe contra calumnias eſſe opus demiſſi animi, contra autem ſuperbia, negligere, 9. 53 p. 197 imò caritatis etiam eſt ſe tueri, crudelitatis verò calumnias non reÿcere, n. 54. p 199. & n. 55. p 200. Tyrannicum eſt, facultatem ſui defendendi contra calumnias oppreſſo negare, 9. 56. p 201.

Delictum, vide *Crimen.*

Detractio, Detractor, Detraho, vide *Obtrectatio.*

Falſus, vide *Crimen.*

Fama.

Religioſi apologeticis famam tueri poſſunt, 9. 15. p. 136. n. 16. p 138. *à pleriſque vita antepoſita*, n. 15. *qui famam alteri aufert, par occidenti*, n 16. *Religioſis licet famam tueri*, 9. 25. p. 152 *Fama defenſionem ſuadent Ethnici*, 9. 28. p. 158 & *Sancti*, n. 29 p. 158. & *Apoſtoli*, n. 30. p. 160. n. 31. p. 161. *Chriſtus ſuam famam defendit*, 9. 32. p. 162. *fama negligentia Deo diſplicet*, 9. 35. p. 166. *qui famam defendunt, à Deo laudati*, 9. 37. p. 170. *Religioſi famam vulgatis libris coguntur defendere*, 9. §. 4 p 174. *fama propria quando neglecta nocet alÿs, nequit deſpici*, 9. 43. p. 178. *Chriſtus famæ Virginis Matris conſulit*, 9 44. p. 183. *Religioſi ſine fama fruſtra laborant*, 9. 46 p. 185. n 47. p. 187. *Contempta famâ, virtutes quoque contemnuntur*, 9 48 p. 188. *Religioſi curantes ſalutem aliorum, famam ſui cordi habeant*, 9. 49 p. 189. n. 50. p. 192.

Fictus, Fingo, vide *Crimen.*

Forerus, vide *Scioppius, Renatus Verdaus.*

Laurentÿ Foreri laus, 14. 80. p 447.

Gaſpar Scioppius, vide *Scioppius.*

Gregorius Nazianzenus.

Acer in Iulianum, 19. 23. p. 240.

Hæreſis, Hæreticus.

Hæretici præcipuè acri ſtylo refellendi, 10. §. 2. p. 1.

p. 121. *Lenitas in Hæreticos noxia,* 10.7.*p.*121. *Apologetica acida in Hæreſes,* 10.§ 4 *p.*129.

S. Hieronymus.

Ad conuicia à Ruffino ingeſta patienter toleranda impellitur, 10. 65 *p* 295. *ſed fruſtra,* 10. 66. *p* 295. *in Ruffinum acuit ſtylum,* *n* 67.*p.*295 *n.*68.*&* 69 *de fenſionis tantùm gratiâ, citra immodeſtiam,* 10.70. *p.*299 *non eſt conuiciator,* 10.77.*p.*312.

S. Hilarius.

Acer in Conſtantium, 10. 19. *p.* 235. *&* *n.*20.*p.* 237.

Hoſtis, vide *Inimicus.*

Ieremias.

Calumniâ conturbatur, 9. 20. *p* 148. *dotes,* ibid.

Ieſuitæ, vide *Religioſus. Scioppius.*

Odia Scioppÿ patienter ferunt, 3. 3. *p.* 35 *beneficÿs illum afficiunt,* *n* 5 *p.*37. *aliqui Ieſuitæ ad coërcendam Scioppÿ audaciam meritò compulſi,* 11.1 *p.* 318. *n* 4. 5. *&* 6. *fruſtraq; deterriti,* *n* 7.*p.*328 *obedientia Ieſuitarum à Scioppio laudata,* 14.98.*p* 471. *n.*99 *per quam omnes Scioppÿ calumnias diluunt,* 14.113 *p* 488. *Ieſuitæ à Scieppio laudati non deflexerunt ab auita virtute,* 14. 117 *p.* 493. *vſque ad* *n.*120.*p* 500 *Hodierni etiam Ieſuitæ laudibus Scioppÿ abſoluuntur,* *n.* 120. ibid. *Ieſuitas omnes eſſe perfectos nemo Ieſuitarum credit,* 14. 154 *p* 539. *Ex paucis Ieſuitis ſontibus, reliqui omnes inſontes à Scioppio iniquè carpuntur.* 14.155 *p* 540. *ad p.*548.*n.* 164 *Singularia Ieſuitarum apologetica Scioppius libellus famoſis reddita,* 14. 164.*p.*548. *ad iudiciũ aquũ Lectoris contra Scioppium prouocant,* *n.*165.*p.*550.

Ignominia vide *Calamitas, Infamia, Obtrectatio.*

Chriſti gratiâ tolerata, nota ſunt gloria immortalis, cap. 1 *p.* 1.*Ordines Religioſi ignominiÿs pro Chriſto feliciter obnoxÿ,* cap.2. *p.* 16. *cum plauſu excipiuntur,* 3.8.*p.*40.

Improbus.

Dei ſeruos perſequitur, 2.2. *p.*18. *nequit improbus improbos curare,* 9. 46. *p.* 186 *virtutis ſtudioſos ſolet carpere, etiam Sanctos,* 14.24 *p.*373.*n.*25 *p.* 374.

Infamia, Infamis, Infamo, vide *Ignominia*.

Silentio confirmatur, 9. 26. *p.* 154. *Calumnia vni Religioſo ſtructa, totum eius Ordinem infamat*, 9. 43 *p.* 178. *qua infamia ſit deſpicienda*, 9.65. *p.* 212.

Inimicitia, Inimicus.

Latent inimicus infeſtior, Præf. ad Lector. *n* 1. 2 *inimicus inimico peſtem ſemper optat*, 14.36. *p.* 387. *odium inimici ad malum omne incitat*, *n.* 37. *p.* 389. *n.* 38. *p.* 390. *inimicus non credit inimico, arroditq́ quidquid eius eſt*, 14. 40. *p.* 394. *Nemo debet credere inimico inimicum agitanti*, 14 42. *p.* 197.

Iniuria.

Facta Religioni nequit à Præſide remitti, 9.43. *p.* 178.

Innocens, Innocentia.

Conſilium, & officium defendendæ innocentiæ, 9 §.3. *p* 157 *in patrocinium innocentiæ euocantur calumniæ euidentes*, 14. 47. *p.* 405.

Latinitas, Latinus.

Multa ſunt Latina vulgo ignota, in Præf. ad Lector, num. 4, & 5.

Laudo, Laus.

Non poteſt Scioppius Ieſuitas, quos laudat, ſimul vituperare, 14.94. *p.* 466. *ad p.* 471. *n* 98.

Lector.

Vide Scioppius, cap. 14 *à* nnm. 166. p. 551. *vſque ad* num. 179 *&* Ieſuitæ, cap. 14 *n.* 165.

Lenis, Lenitas.

Lenitas in Hæreticos noxia, 10.7. *p.* 222.

Libellus famoſus.

Crimen famoſi libelli difficile probatu, 7.10 *p.* 103. *coniecturis, & præſumptionibus probatur*, *n.* 11 *p.* 104. *idem libellus famoſus variè transformatur à Scioppio*, 8.1. *p.* 116. *Libellos famoſos refellere Religioſis fas eſſe*, cap 9 *p* 121. *patientia eſſe diſsimulandos*, cap. 9. § 1 *p.* 122. *Libelli famoſi ob damnū animarum, neceſſariò refellēdi à Religioſis*, 9. § 5. *p.* 185. *differunt ab acribus apologeticis*, 10. 82. *p* 318.

Liber.

Scioppius multiplicat libros in ſpeciem ſolùm, 5.3. *p.* 53. *&* num. 9. *p* 59.

Lydius Lapis.

Summarium, cap. 13. *p.* 337.

Malus, vide *Improbus*.

Mendacium, Mentior, vide *Scioppius.*

Artem mentiendi Scioppius profitetur, 14. 93. p. 466 *boni viri non mentiuntur*, 14. 133. p. 514. n. 134.

Mordacitas, vide *Stylus.*

Mores.

Magnam habent vim ad perſuadendum, 14. 23. p. 372.

Moyſes.

Calumniâ conturbatus, ſed non oppreſſus, 9. 19. p. 146 *Elogium Moyſis*, ibid.

Nazianzenus, vide *Gregorius Nazianzenus.*

Noceo.

Cupiditas nocendi aduerſario rebus cunctis ineſt, 14. 38. p. 390.

Obedientia.

Ieſuitarum laudata à Scioppio, 14. 98. p. 471. n. 99. *Ieſuitæ per obedientiã cunctis ſtipatam virtutibus omnes Scioppÿ calumnias diſſlant*, 14. 113. p. 488.

Obtrectatio, Obtrectator, Obtrecto, vide *Calamitas, Calumnia, Ignominia.*

Religioſi Ordines varijs obtrectationibus pro Chriſto feliciter obnoxij, cap. 2. pag. 16. *Obtrectatores peiores latronibus*, 9. 16. p. 138. *obtrectanti ſine probatione nemo credat*, 14. 41. p. 395.

Occîdo.

Famam lædens par occidenti, 9. 16. p. 138. *& peior*, 14. 41. p. 395.

Odium, vide *Inimicus.*

Ad omne malum impellit, 14. 37. p. 389. n. 38. *& ad calumniandum*, n. 39. p. 391. *& ad fidem Catholicam negandam*, ibid.

Offendiculum, Offendo.

Populus offenditur æquè fictis etiam criminibus, 9. 47. p. 187.

Omnes, vide *Paucus.*

Origenes.

Acer in Celſum, 10. 15. p. 131.

Patientia.

Ieſuitarum in Scioppio ferendo, 3. p. 25. *famoſos libellos patienter eſſe diſſimulandos*, 9. §. 1. p. 112. *S. Hieronymus ad conuicia à Ruffino ſibi ingeſta patienter toleranda impellitur*, 10. 65. p. 193. *ſed fruſtra*, n. 66. *omnibus virtutibus comitata*, 14. 64. p. 428. fine, & 429.

Paucus.

Culpa paucorum iniquè con-

confertur in cæteros omnes inſontes, 14.155.*p.*540.*ad p.*548.*n.*164.

Peccator, Peccatum, Pecco, vide *Improbus, Crimen*

Per quæ peccat quis, per eadem etiam torquetur, 14.144.*p.*528.

Perfectio, Perfectus.

Religioſi non obligantur ad ſummam perfectionem in omnibus, 9.13 *p* 132.

Perſecutio, Perſequor, vide *Calamitas.*

Qui ſeruos Dei perſequuntur, illis ſeruiunt, 1.8.*p* 12 *improbi & Dæmones Dei ſeruos perſequuntur,* 2 2 *p.*20.*Dæmon infeſtat maximè, qui ſibi aduerſantur, ibid* num. 3. *præcipuè Religioſos, n.* 4. *quos improbi quoque inſectantur, n.*5.*&* 6. *Religioſorum inſectatores diuinitus puniti, n.*8 *p.*25.

Perſuadeo.

*Mores & vita magnam habent vim ad perſuadendum,*14.23.*p.*372.

Petrus Cluniacenſis.

Prærogatiua, 10.48.*p.* 271 *certat cum S. Bernardo,*10.52 *p* 275.

Præſumo, Præſumptio.

Quid ſit, 7.5.*p.*99. *ex coniecturis naſcitur, n.* 6. *alia probabilis, alia violenta, & quæ, n.*7 *p* 100.*præſumptiones violentæ validiſſimæ, n.*8 *p.*101.

Probatio, Probo.

*Coniecturæ rem quoque probant,*7.3 *p.*98 *& inuoluta crimina, n* 4 *probatio ex proximis coniecturis euidentiſſima, n.*8 *p* 101.*Delicta difficilia probatu quæ? n.*9 *p.*102.*n.*10.

Religio, vide *Societas Ieſu, Religioſus.*

Iniuria Religioni facta, nequit à Præſide remitti, 9.43.*p* 178.

Religioſus, vide *Ieſuita, Seruus Dei.*

Religioſi Ordines varijs obtrectationibus pro Chriſto feliciter obnoxij, cap. 2.*p.* 16 *proprium Religioſorum eſt pro Chriſto vexari,* ibid. num. 1. *Dæmon infeſtat præcipuè Religioſos,* 2.4. *p.*19. *quos improbi etiam perſequuntur,* ibid. *n.*5.6. *p.* 20. *Deus calamitates omnes Religioſorum in bonum eorum vertit,* 2.7.*p.* 24. *inſectatores Religioſorum diuinitus puniti, n* 8. *p.*25. *Reprehenſi, qui calumniatoribus Religioſorum credunt, n.*10.*p.*27.

Relig-

Religioſis fas eſſe libellos famoſos refellere, & ſe defendere, 9.p.121. & 9.13 p. 132. *non obligantur ad ſummam perfectionem in omnibus*, 9.14 p.134 *poſſunt, famam tueri apologeticu*, 9.15. p 136. n 16. p 138. *calumnia conturbati*, 9. 19. p. 146. *licet Religioſis famam defendere*, 9. 25 p. 152. *recte calumnias apologeticu refellunt*, 9. 36. p. 168. *coguntur ad refellendum*, 9 § 4 p.174 *Calumnia vni Religioſo ſtructa totum eius Ordinem infamat, ideoq; ab eo refutanda*, 9.43 p 178. & n 44. p. 183 *ſine fama fruſtra laborat*, 9 n 46 p 186. n 47. p 187. *calumnia ob damnum animarum à Religioſis neceſſariò refellenda*, 9. § 5 p 185. *Religioſi ſalutem aliorum curantes, famam ſui cordi habeant*, 9. 49. p. 189 & n. 50. p 192. *ad defendendos ſe, & Religionem editis apologeticis compelluntur*, 9. 51 p. 192. & nũ 52. p. 195. *Carpuntur, qui Religioſorũ apologias carpunt*, 9. 66 p 213.

Renatu Verdæus, vide *Scioppius.*

Fraudulentus in Statera, 6. 5. p 81 *doloſus*, n. 6. p. 84 *fruſtra negat Scioppium eſſe auctorem Myſteriorum*, n. 12. p 89 *Fororum ridicule carpit*, n. 11. p 88 *fatetur Scioppium eſſe fabrum reliquorum libellorum*, n 13 p 90. *commenta Verdæi refutata*, n. 15. p 91 n. 16. 17. 18. 19.

Ruffinus.

Prærogatiua, 10. 60 p. 288 *furit in S. Hieronymum*, 10. 61 p. 288 *vſque ad n. 65 p. 293. conuiciator*, 10. 77 p 312.

Sanctitas, Sanctus, vide *Seruus Dei, Religioſus.*

Sapientia, Sapiens.

Calumnia conturbat ſapientem, 9. 17. p. 142 n. 19. 20. 21. *tria ſapientum genera*, n. 18 p 145.

Scandalum, vide *Offendo*

Scioppius vide *Ieſuitæ, Renatus Verdæus, Societas Ieſu.*

Præcipuus Ieſuitarum inſectator, 3. 1 p 31 & n. 2. p 33 *patientiâ Ieſuitarum euadit inſolentior*, n. 4 p. 36. *famoſos libellos in Ieſuitas edit*, n. 6 p. 38.

Scioppius auctor famoſorum libellorum, cap. 4. p. 41. *euerſionem Ieſuitarum molitur.*

molitur, 4.2. p 42. *inſcriptiones librorum adulterat*, ibid. *n* 1. *Philippicas in Ieſuitas meditatur*, nũ 4.p.44 n 5 p 45 & 46. *ad* 52. *typographium priuatum habet*, n.7 p 46. *mendacij conuincitur*, n. 8. p. 47 n.9 p.48.

Scioppius quorum nominatim libellorum famoſorum ſit auctor, cap.5. p. 52. *ad* 79. *libros in ſpeciem multiplicat*, *ſolo nomine diuerſos*, 5. 3. p.53. n 9. p. 59. *odio in Ieſuitas flagrat*, 5.13.p.63. *commerciũ cum Hæreticis habet*, 5.21.p 72.

Scioppius auctor Statera Renati Verdæi, cap. 6. p. 79. *Libri etiam Myſteriorum, vel Interpres*, n.7. p.85. n. 8. & 9. *iure autem dicitur Auctor*, n. 10. p. 87.n.11. & 12.

Scioppius ſuâ contumaciâ Auctorem ſe famoſorum libellorum probat, 7. 15.p.110. & num.16. *fatetur apertè ſe Auctorem*, num.17. p. 112.

Scioppius eundem libellum famoſum variè transformat, 8.1.p 116 *quas ob cauſſas Ieſuitas odio proſequatur*, n.2. & ſeqq.

Scioppij audacia à nonnullis Ieſuitis compreſſa, 11. 1. p.318. n.4.5.6. *fruſtrà à Ieſuita ab eo deterriti*, n.7. p. 328. *Scioppius lacerat Societatem Ieſu ingenti damno publici boni*, 11. 3. 9. pag.332.

Scioppij impudentia acriter refellenda, cap 12.p. 330. *quia maledicentiſſimus*, n 1. & *alijs flagitijs coopertus*. n.2. *nec vllis caritatis officijs flecti potuit*, n.3 *ridiculè mordacitatem Ieſuitis exprobrat*, n.4.

Scioppio certamen indicitur, 14.1.p 340. *Scioppij libelli famoſi in Ieſuitas nullius ſunt fidei, quia nullam faciunt*, n.2 p. 342. n. 3. p 343. *nec Foreri Apologetica pro Ieſuitis refutare non audet*, n.4.p.345. *quæ tamen, niſi ſolidâ forent, refellere potuiſſet*, n.5. p. 346.

Scioppius ignorationem Apologeticorum pro Ieſuitis fruſtra prætexit, 14. 6 p.348. *inani eorum contemptu ſibi blanditur* n.7. p 350. n. 8. p.351. *nequit diluere Foreri Apologetica, quia vera*, 14.9. p.353. *Ludit operam in Mantiſſa Foreri*, 14. 11. p.356. n. 12. p.358. *impudenter Theologorum*

logorum ratas doctrinas explodit, n.13.p 359. *ridet doctiſſimos Cardinales*, n. 14.p.361. *tum immunitatem Eccleſiaſticam*, n. 15. p 362. *Sediſq́; Apoſtolicæ auctoritatem*, n.16.p.363. *Hæreticos à fide Catholica capeſſenda alienat*, n. 17. p. 364. *infamat Ordinem Religioſum, & vitas Sanctorum*, n.18.p. 365. *nihil opis refert ex Statera Verdai*, n.19.p.366. *nec Foreri Mantiſſa reſpondet*, n. 20. p.367. *nec cæteris eiuſdem Apologeticis*, n 21.p.370.

Scioppij iactantia, 14. 26. p 376. *Lydium Lapidem veretur*, n 27. p.377. *quæ Ieſuitis obijcit, ſolâ negantiâ eliduntur*, num. 28. p. 378. *omni fide præ ſuis flagitijs indignus*, n. 29.p.379. *quæ recenſentur vſque ad* p. 383. *bonis obtrectat, quia ipſe improbus*, 14. 33.p.383. *obrutus magnis ſceleribus, audet labeculas aliorum carpere*, 14. 34 p. 384.

Scioppius edens libellos famoſos in Ieſuitas, putat Lectores eſſe ſtipites, 14.35. p.386. *alioqui nullā apud eos fidem reperiret*, n.37.p. 387.

Scioppius hoſtis Ieſuitarum apertus, 14.43.p 398. *famoſis libellis Ieſuitas lacerat*, n.44.p 400. *nullum ſcelus quò illis noceat, recuſat*, n.45.p 401. *odium Scioppio inſitum in Ieſuitas, cunctis notum*, n.46.p. 403. *vnde nemo, niſi ſtultus, calumnijs eius in Ieſuitas credet*, ibid.

Scioppius calumnias euidentes Ieſuitis affingit, 14. §.5. p 405. *incredibilia de Ieſuitis credi vult*, n.53.p. 411. *calumnia à Scioppio in Ieſuitas edita, vt palàm falſa, ſponte ſuâ ruunt*, 14.49. p. 406. *ad* n.57. p. 416. *fabulatur Ieſuitas eſſe homicidas*, n.57 ibid. *commento incredibili vſque ad* n.64 p. 427. *Ieſuitas dum tam ſecurè calumniatur, innocentes probat*, ibid.

Scioppius alias calumnias minùs apertas Ieſuitis ſtruit, 14.66.p. 430. *& ſeqq. vſque ad* p 466. *quæ omnes difflantur*, ibid *cur Forerum ſit calumniatus, diſſimulat*, n. 85. p. 452. *cœpit verò eum calumniari, quum ab illo apologetica pro Ieſuitis contra ſe edita intellexit*, n.86. p. 454.n.87 p 456.

Scioppij

Scioppij alia in Ieſuitas calumnia expoſita, & refutata, 14. 89. p. 458. ad 466.

Scioppius artem mentiendi profitetur, 14. 94. p. 466. Noua cum Scioppio pugna ex Ieſuitis laudatis, quos nequit ſimul vituperare vſque ad p. 471. n. 98.

Scioppius laudat obedientiam Ieſuitarum, 14. 98. p. 471 n. 99. & alias virtutes, n. 100. p. 473. nec non inſtitutum eorum, n. 101. tum fructum ab illis partum in populis, præſertim in conuertendis Hæreticis, n. 102. p. 474 tum erudiendæ iuuentutis rationes, n. 103 p. 477. n. 104 105. ob quas laudes gratia aguntur Scioppio liberaliter, n. 106. p. 480.

Scioppius laudans Ieſuitas, omnes ſuas calumnias iiſdem à ſe ſtructas iugulat, 14. 107. p. 482. vſque ad p. 448. n. 113 fruſtra excipit priſcos Ieſuitas, quum generatim omnes vituperet, n. 114. p. 490. n. 115. à laudatis Ieſuitis in vitia ſequiora lapſus, n. 116. p. 492. n. 120. p. 500. Vera cauſſa Scioppiani in Ieſuitas odij, & cur Ieſuita mutati Scioppio videantur, n. 119. p. 498.

Scioppius fruſtra pertendit paucos Ieſuitas à ſe mactatos, 14. 121. p. 501. more Hæreticorum inconſtans eadem laudat, ac vituperat, n. 122. p. 502 mentiendi priuilegio vincens, & victus, n. 123. p. 503. gratia ob id ei acta, n. 124. p. 504.

Scioppius Ieſuitis ſuis hoſtibus fidem habere cogitur, 14. 125. p. 506. hilarius recreatur, n. 126. p. 507. probat Ieſuitarum contra ſe teſtimonium, n. 127. p. 508. ad 510. n. 130. qui ſeipſos abſoluũt. ipſum verò damnant, ibid. *n.* 130.

Scioppius nequit Ieſuitas vt mendaces reijcere, magiſq́; ijs, quàm ipſi credendum eſt, 14. 131. p. 310. vſque ad p. 511. n. 138.

Scioppius Ieſuitas teſtes de ſeipſo, & de ſuis dictis laudat, probatq́;, 14. 136. p. 518 n. 137. cogiturq́; ſua mendacia luere, n. 138. p. 521.

Scioppius paullùm refocillatur, 14. 139 p. 521. nouâ pugnâ vexatur, n. 140. p. 522. libelli famoſi Scioppij in Ieſuitas à Sede Apoſtolica vetiti, n. 141. p. 523. n. 142. penituſq́; euerſi, n. 143. p. 526. alijs etiã pœnis mul-

multati, n. 144 p. 528. vſque ad p. 538 n. 153. ab Inquiſitione Hiſpanica incendio damnati, 14. 145. p. 529. ad 153. p. 538. quia mendaces, n. 152. p. 537.
Scioppio noua ſit gratia, 14. 153. p 538 iniquè ex paucis Ieſuitis ſontibus inſontes reliquos omnes carpit, 14. 155 p. 540. ad 548. n. 164.
Scioppius Ieſuitarum inſtitutum infeliciter exagitat, 14. 161. p. 546 n. 162.
Scioppius vulgatis in Ieſuitas calumnijs, maximè iniurius probo Lectori, 14. 166. p. 531. quia eius prudentiam ludibrio habet, n. 169. p. 553. & quia vult eum temerè credere ſuis calumnijs, n 170. p. 554. nec non annuere ſceleribus, n. 171. p 556. tum fidem habere homini flagitioſiſſimo, n. 172. p 557. & quia Lectorem habet pro ſtipite, dum eum ita temerè credulũ quærit, n. 173. p. 559. eundemq; cupit humanitat m exuere, n. 174. p 560. & aperta mendacia propugnat, n. 175. p 562. n. 176 ob quæ omnis Lector meritò iraſci poteſt Scioppio, ac debet, n. 177. p. 563. ſed ad parcendum flectitur, n. 178 p. 566. Scioppius autem ad reſipiſcendum inuitatur, n. 180.

Seruus Dei.

Probatur à Deo calamitatibus, 1. 3 p. 4. qui Seruos Dei perſequuntur, eis ſeruiunt, 1. 8 p. 12. Dæmon & improbi Dei ſeruos perſequuntur, 2. 2. p. 10 conturbatur calumniâ, 9. 19. p. 146. n. 20. p. 148. n. 21. p 149. carpitur ab improbis, 14. 24 p. 373. n. 25 p. 374. Dæmon curat turpari Dei ſeruos calumnijs, ſed fruſtra, 14. 34. p. 384.

Sodomia.

Paßim graſſans exprobratur, 10. 29. p. 248.

Societas IESV, vide Ieſuitæ.

Vtilitates ex Societate Ieſu in Rempub manantes, 11. 2. p 319. à Scioppio laceratur maximo publicè boni damno, n. 3 p 322.

Stylus, vide Apologeticum.

Acri ſtylo refutandos calumniatores, & calumnias impudentes, cap. 10. p. 215. non lenis ſed acer eſſe debet in ijs diluendis, 10. 1 p. 215 n. 5. p. 220. præſertim in Hæreticos. 10. §. 2. p. 221. in quos lenis nemini eſt, 10. 7. p 222. acer ſtylus

ſtylus in calumniatores vibrandus exemplo Sanctorum, & Christi, 10 §. 3. n. 9. p. 125. n. 10. 11. 12. *nec non in Ethnicos, & Hæreticos exemplo Patrum,* 10. §. 4. p. 229. *tũ in Christianos quoq; detractores,* 10. §. 5. p. 243. *& ſeqq. tum* 10. § 6 p. 261. *& §. 7. p. 288. ſtylus acer apologeticorũ defenſus,* 10. 81. p 317. *mordacitas ſtyli ridiculè à Scioppio Ieſuitis exprobrata,* 12. 4. p. 334.

Superbia, vide *Arrogantia.*

Taceo.

Qui tacet, conſentire videtur, 7. 13. p. 107. & n. 14. *calumnia & infamia tacendo confirmatur,* 9. 26. p. 154.

Teſtimonium, Teſtis, vide *Scioppius.*

Teſtimonium Ieſuitarum probatũ à Scioppio contra ſe, 14. 127. p. 508. *teſtes ad fidem accuſatoris neceſſarij,* 14. 167 p. 552. n. 168.

Theodoretus.

Prærogatiua, 10. 42. p. 263. *in Cyrillum bacchatur,* 10. 43. p 265 *conuiciator,* 10. 77. p. 312.

Veritas, Verus.

Conſilium & officium defendendæ veritatis, 9. §. 3. p. 157. *Apologetica defenſio amore tantùm veritatis ſcribenda,* 9. 41. p. 175. *veritas de iniurijs ſibi illatis expoſtulat, ſuiq; patrocinium imperat,* ibid.

Virtus.

Aſſecla virtutis effeminati, 1. 1. p. 1. *contempta fama virtutis, virtutis quoque contemnuntur,* 9. 48 p. 188. *cum vitio confunditur, niſi acria dicta à conuicijs diſcriminentur,* 10. 74. p. 306. *Flagitioſi ſolent virtutũ aſſeclas carpere etiam Sanctos,* 14. 24. p. 375. n. 25. p. 376. *patientia omnibus virtutibus comitata,* 14. 64. 428. *fin.* & 429.

Vita, Viuo.

Vita Chriſtiana calamitatibus nobilitatur, 1. 2. p. 2. *magnam habet vim ad perſuadendũ,* 14. 23. p. 372.

Vitioſus, Vitium.

Virtus cum vitio confunditur, niſi acria dicta à vitijs diſcriminentur, 10. 74. p. 306.

Vitupero.

Non poteſt Scioppius, quos laudat ſimul vituperare, 14. 94 p. 466. ad 471. n 78

Vnitas, Vnus.

Calumnia vni Religioſo ſtructa, totum Ordinem infamat, 9. 43. p 178.

Typo-

Typographi menda ſic emendantor; ac nonnulla etiam, quæ ſunt prætermiſſa, ſupplentor.

Prior numerus paginam, poſterior plerunque paginæ verſum, nonnunquam etiam capitis numerum deſignat; tertius verò ſubinde additus, talis numeri verſum.

In præfatione ad Lectorem num.4. pag. 3.

	Corrige.
Latinæ	Latinæ linguæ.
3.6.illuxit	illuxiſſe.
6.1.Pſalmi 50.	Pſalmi 55.
7.15. vtuntur	vruntur
19.27.Religioſiſſimorum	Religioſiſsimum
27.19.famulorum	famulorū Dei
28.16.pecudinasque	pecuinasque,
32.14. cIɔIɔcXII.	cIɔIɔcvI.
35.30. nouum	vnum.
42.n.2.13. Anatomiâ	Antanatomiâ
43.35. Append. pag.145.	Append. pag. 445.
47.2. mirificè	mirificè futura
48. 6. appreſſo	appello
48.23.cap.15.¶.11.	cap.14.¶.9.
57. 19. vei	veri
62.5. Academia	Anatomia
64. 1. exaſperandos	ad exaſperandos
77.1. animaduertat	non animaduertat.
81.19. Curſorem	Curſorum
83.37.cogitatione	cognatione
84.10. gratiâ	gratiâ clam antehac
86.n.8.3. præuertit	præuerterit
*90.n.14. cauillus	cauillatus
93.7. Germaniæ	pro Germaniâ
95.12. prenus	promus
* 95.n.19.1.cauilus	cauillatus
104.17. adliti	adlito
112. n.2.17. abijciuntur?	ſpernuntur?

	Corrige.
123.17.eloquentiæ	aureæ eloquentiæ
129.4.defendimus	defenſionis
P.129.n.1.11.tanti	tanta
130.17. ſurdos	ſurdus
131.n.12.12.deuoratâ	cauſsâ deuoratæ
138. n.16.1. Quin	Quum
139. 4. illa	illius
139.6. ſplendenspue	ſplendensque (bonum
140. 6. regant	negant.
141. 29. enim	multos
147.20. Cathano	Dathano
147.30.fretumque	fremitumque
151 n.23.1.tantùm	tandem
152.16.ſapientum	ſapientem
156. 19. nequam	nequaquam
158.n.29.5.diſcernit	decernit
158.n.29.19.diuinæ	diuina
160.17. certi	cerriti
160.24. reprehendit	reprehenderit
163. 23 Tuique	Tui
174. 1. conſtet	conſtat
178.3. flagitioſus	flagitioſius
180.18. ouis	quis
181.5. ſubſcripſit	ſubſcribit
182.13. ferum	feram
184.2. a	a. lib.2.in Luc.
189.28. penitius	penitùs
189. n.49 1. Sui	qui
n.49.2. qui	Sui
194.18. deletæ	decreta
200.16.Tom.14.	Tom.4.
201.23. par.3.	par.2.
— ¶.8.	¶.3.

Corrige.

P.201.27.diſp.96.	diſp.46.
201. 37. lib.2.	lib.2.ab Anngo Roberto Rerũ iudicat. lib. 4. cap. 12. &c.
204.22. illam	illatam
206.n.59.3.Rõ.8.	Rom. 7.
227. 27. altiusque	altiùs
231.n.15. 10. illis	illius
233.n.27.1.virtute	virtutis
237.n.20.vlterius	præterea
241.35. ſuſpicere	ſuſcipere.
247. n. 28. 7. exſoluat?	exſoluit?
250.4. ducerent	dicerent
254.n.33.2.& falsò allucinor	& allucinor
266.6.pag.105.& 106.	pag.205. 206.
267.n.44.28.peculium	peculium
268. n.44.	num.45.
ibid.vlterius	inſuper.
ibid.11.vrticos	vrticas.
272. n.49. 11. inferret	referret
ibid.12.tanquã	tamque
275. 18. a	a. Serm. 1. de dedicat. Eccleſ.
276.15.ſanctiores	ſanctiones
281.n.54.15. admirabitur	admirabatur
282.n.56.13. quantos	quantas
289 25.actorum	actuum
294. 27. multa	mutã
305. 17. quod	quot
305.23.alioque	alioqui
305. 32. Theologi.	Theologi in ijs, quæ ſuâpte naturâ ſunt indifferentia
307. 22. Atque	Atqui
311.31. geminum	genuinum
311. 33. non omnis	non ſolùm omnis.
315. 29. illi	illic
317.præſumptionẽ	præſcriptionẽ

Corrige.

322.5.reſtaurationẽ	inſtaurationẽ
322. 20. An non	At non
324. 14. fixis	infixis
324 18. diurna	diuturna
325.26. contentiones	contentionis
328. 31. illi	ille
329 2. a	a. lib. 2. hiſtor. Soc.Ieſu num. 49. & 50.
337. verſ. vlt. abreptum	arreptum
338. 13. Scriptoricus	Scriptoribus fraudes
340.7. appellatur	appellatus
343.n.13. 12. ad hæc penitùs	Ad hæc verò penitùs
345. 9. illi	illico
349. 6. aſſoles	ſoles
350. 21.a	a. cap.10.p.30.
357. 32. quæ	quæ tuã
358.19. aggredieris?	aggrederis?
358. 30. fors	forſan
359. n.13.23. delere cogitas maiore impudentia?	delere cogitas? maiore impudentiâ.
ibid.24.præter	precor
361.15. omnium Foreins	omnium reum Forerus
367. 19. fateri ſolùm	fateri non ſolùm
369. 16. vel	vox
369.18. obtrectatores	obtrectares.
369. 24. multiplices	multiplicis.
372. n.23.1. hanc	hunc
372. 22. monebat	monebit
374. 21. peruertere)	peruertere, præuertente)
381. n.31.13. tum	dum
390.15.ictos irritus	ictus irritos.
390. 17. inuadit	inuadit
393 9. capitalis	capitali
294. 23. abs	ab
396.4. motis	moris
397.n.42.5.oraculis	oculis

398

	Corrige.
P.398.3. eſt	es
399.1. Achatem	Achaten
404.23. a	a. Eccleſ. I.
416.10. peiora	peiera
420.n.61.vlterius	præterea
421.12. quod	quin
421,13. obtruncarunt	obtruncâſint
421.17. quia	quin
421.21. omnia	omnino
*422.n.62.2. cauillos	cauillatus
426.14. vt	cur
428.16. mititate	lenitate
430.5. liceet	liceat
430.n.65.3.inſana	ita inſana
438.n.73.6.audis?	audes?
439.10. interluctatus	reluctatus
443.n.77.5. tum,	tu,
452.9. Aut	Aut enim
458.n.89.12. ſuppares	aliosque ſuppares
464.n.93.7.iam	tam
466.9. ſe	ſeſe
471.n.98.3. laudatæ?	laudatam?
ibid.20.ſubdieq;	ſubdisque
472.n.99.21. obſtrinxet	obſtrinxit
474.n.102.13. ad propugnandam	propuſnandam
480.n.105.1. in commendationem	in noſtri commendationem
483.28. Cſiriſto mancipant	Chriſto ſe mancipant
489.9. affirmatiuè	affirmatiſsimè
490.16.hac amentia.	hac ab amentiâ.

	Corrige.
490.n.115.2.adco te in	adeo in
492.6. ſocios	ſolos
497.10. tum	dum
503.18. Ad	At
510.7. vt te	te
510.8. mortalibus arbitrentur	tum mortalibus; tum
510.n.131.1. qui	quid
511.19. hec	hos
512.n.132.6. A ſi	At ſi
514.10. Scioppi,	Scioppi, te
515.12. leui falſitatis, conſcium	leui, falſitatis conſcium
522.2. indulgendi	indulgendum.
523.6. meum	mecum
537.1. tam	tum
538.6. differri	diffiteri
542.15. quanti	quanta
545.n.160 9. captiones	capitones
547.1.	lib. de præſcript. aduersus Hære- Hæretic. cap. 3.
548.5. qui	quia
553.n.165.5.luitura	quanquam ſcio verbum *luo* ſupino orbatum à Grammaticis cenſeri, *luitura* tamen placuit ex Claudiano pangyr. 4.
558.10. dedecus	decus
559.6. recipit	reſpicit
559.11. poſsit	poſcit
564.11. mendacium.	mendaciorum

Bibliotheca Angelica